

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6 MD 34 28



CATENA ARGENTEA
EX
THEOLOGORVM SCHOLASTICORVM

Argumentis, Concluſionibus, Expoſitionibus, Quæſitis, Reſolutionibus ad totam ferè Sacram Scripturam pertinentibus confecta.

AVCTORE


FLORIANO NANNIO CASIO BONONIEN.

Canonico Regulari Lateranenſi, Sacræ Theologiæ profeſſore.

AD SANCTISS. DOMINVM NOSTRVM

SIXTVM QVINTVM PONT. MAX.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.



BONONIAE, Apud Io. Roſsium. MDLXXXVII.

Curiæ Archiepiſc. & S. Inquiſit. conceſſu.

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
SIXTO QVINTO
PONT. MAX.

Florianus Nannius Can. Reg. Later.
Fęlicitatem.

SI corda hominum non itá abditè deliteſcerent, ſed in luce poſita perſpicuè, qualia ſunt, in frontibus legerentur, pectoraué in criſtallorum figuram, atq; imaginem formata, fulgore ſuo, quòd intus eſt, foris apertè commonſtrarent, aut magis deſiderium illud Socratis, vt mentibus ineſſent feneſtræ, hoc tẽpore in meipſo expleretur, quemadmodum B. P. illa tibi perſpecta fuit lætitia, qua, cum vniuerſa chri-

ſtiana reſpublica, tum maximè Ciuitates, Terræq; temporali ſacro ſanctę Eccleſiæ ditioni ſubiectæ in glorioſa tui ad pontificatum aſſumptione, exultarunt, domus nanquè, Templa, Vię, Plateæ omnes cateruis hominum, gaudium, hilaritatem, iucunditatem præſeferrentium, ac veluti feſtum ob eiuſmodi electionem, agentium, redundare videbantur, quaſi vnuſquiſq; te pacis, & tranquillitatis auctorem, & conſeruatorem fore, per quem, & damna reſarciri, ſperatæq; ſalutis iaci fundamenta præſagiret; ita nimirum te non lateret, qua ego quoq; animi in te inclinatione propendere cęperim, quam primum te ex viſu cognitum habui, quam alta, & magnifica tunc temporis de te conceperim, quam magna ex inde lętitia affectus fuerim, cũ te Sixtum Quintum glorioſè in Petri Solio inſidere, Chriſtiquè Domini gregem in Monte Alto fęliciter paſci ad me perlatum eſt.

Anno ſi quidem octuageſimo primo ſupra milleſimum quingenteſimum cum Romæ commorarer, ac propter ſanctarum, ſublimiumquè cerimoniarum delectationem, qua valde me allici ſentiebam, omnibus ferè diebus feſtis in ſacro Pontificis adeſſem, & ſi ob fulgentes illos gloriæ radios, qui de Illuſtriſsimorum ibi conſidentium luminibus, ac ſummi præſertim Pontificis effundebantur, hebes oculorum meorum ita perſtringeretur acies,

vt

vt, ſi ex Seraphico angelorum choro aliquis fuiſſem, proprijs alis me faciem velare, atq; obtegere oportuiſſet: miro tamen, ac ineffabili propemodum gaudio ad inceſſum, ſtatum, conſeſſumq; tuum, grauitatis, modeſtiæ, & maieſtatis plenos, me conuerti, animumquè adieci, & ſingula intenſius contemplari inſtitui.

Neminem, tanta atque tu reuerentia in maiores, benignitate in æquales, humanitate in inferiores, præditum videbam. Hinc factum eſt, vt, quæ de te grauiter, & magnificè iam antea prædicari audieram, memoria repeterem: De ſtabili firmitate, firmaq; conſtantia, cōſtāti integritate, de animi magnitudine, dequè humili ne dicam, an forti? tolerantia in aduerſis, & moderata in proſperis temperantia. O quoties aureum illud Euripidis dictum mihi in mentē venit. Certamen patientiæ tale eſt, vt qui vincitur, ipſo victore ſit melior. Tùm de pietate, de religione, ac fide potiſsimum, cuius zelus adeo in te ſemper exarſit, vt pro ea tutanda aperto mortis periculo ſæpius te offerre non dubitaueris: Mox quomodo prudenter, diſcretè, amanter, vbique, & in omnibus te gereres.

Hæc cum de te audita animo meo reuoluerem, tequè interim præſentem intuerer, qui tot virtutum ornamenta præteferebas, ſic tandem conſtitui, vt, quæ de te ſumma cum laude tua narrabantur, nulla

ex parte veritati aduerſa, ſed claritati famæ ipſa facta reſpondere compertum haberem, recteq; omnia tecum agi, & apte conuenire, vt ea, quæ oculis cernuntur, perſpicerem. Atquè adeò ſenſim amoris erga te mei aucta eſt flamma, vt pro deferendo tibi ſublimi pontificatus honore, ex intimo corde (teſtis Deus) orare cæperim. Quid plura? eò perueni, ſiue, quia quod quiſque cupit in animum ſibi inducit, ſiuè ob alias cauſas, vt id euenturum fore firmiter exiſtimarim, ſimulq; te optimè de Romana Repub. meritum iri, egregiamq; ei nauaturum operã mihi repromiſſerim.

Quorum vtrunq; per non obſcuras rationes me coniecisſe re, & euentu poſtea cõprobatũ eſt. Nam ſicuti agricola cum è ſummitate alicuius mõtis, aut nauta è puppi, Solem ad Occidentem vergere omni nube defęcatum, aut ſtellas veſperi viuidis, atque ignitis coruſcare luminibus animaduertunt, aueſuè inſolita quadam iucunditate prædulcibus aera mulcire concentibus, ex cuiuslibet horum ſignorum inſpectione futuram ſerenitatem diuinare conſueuere; Ita virtutum tuarum mentis meę oculis eluceſcens fulgor, famaq; omnium in te ornando conſentiens, nimirum pręuidendi ſummi honoris, qui poſtea multis tuis meritis, & magno Eccleſiæ commodo tibi delatus eſt, non iniuſtam mihi cauſſam præbuerunt.

Quam-

Quamobrem, cum procedente tempore huiuſce rei nuncium ad locum, vbi degebam, allatum fuiſſet, neque continuò ab alijs crederetur, ſed plerique ancipites, atque animo dubij (vt in nouitatum rumoribus fieri ſolet) penderent, mihi repentè omni prorſus dubitatione ſe mota fidem fecit veritas.

Ecce autem non ita multo poſt, vt, quam verè omnia præuidiſſem, liquidò conſtaret, promulgatus fuit vniuerſalis Iubileus, quo priuilegia ampliſsima, peccatorũq; remiſſiones continebantur eorum reſpectu, qui ob clauum Chriſtianæ reipub. tibi commiſſum Deo preces obtuliſſent. O dignum tua prudentia, & charitate conſilium, quo non aliud, aut tempori magis idoneum, aut perſonæ quam geris, animarumuè ſaluti accommodatum inueniri poſſe videbatur. Planè te optimè ſcire oſtendiſti non minorem in adminiſtrãdis ſupremis officijs, quàm in eiſdem ſuſcipiendis lętitiæ fructum capi oportere; Indicium certum rerum bènè gerendarum, multipliciumquè honorum, quæ ex tuo Pontificatu Eccleſiæ conferenda erant.

Porrò humanas vires impoſito oneri nequaquã pares eſſe conſtat, niſi orationum adminiculo diuinæ tutellæ acceſſerit præſidium, quo cum difficile nihil; Vnde illud memorabile dictum. Orante homine legitimè nihil fortius. Rurſusq;, Precibus noſtris obedit Deus. Item, Oratio iugis infirmitas ho-

ſtium. Et alibi, Plus valent preces iuſtorum, quàm arma. Qui verò omnium orationes actionibus ſuis præcedere ſatagit, is vtique eas ad omnium commoda conuertere expetit. Meritò igitur B. P. ſimul atquè ad ſummæ dignitatis faſtigium euectus es, diuino quodam impulſus nutu, non aliunde, quàm ab orationibus ipſius Eccleſiæ, cuius vtilitati inhiabas, initium ſumere voluiſti; Cumquè indulgentias, & cõdonationes peccatorũ orationum prẹmia conſtituiſti, hocquè tui Pontificatus caput, atquè principium eſſe voluiſti, quid aliud, quàm totum ipſum pontificatum annum Iubileum, ideſt, gaudij plenum, futurum declaraſti?

Hac te mẽte fuiſſe, huncquè tibi omnium actionum, cogitationumq; tuarũ, prẹfixiſſe ſcopũ, cũ alia multa, tũ illud maximè argumẽto eſſe poteſt, quod ex inde paucis interiectis diebus ſalubre illud contra facinoroſorum exulũ peſtem, promulgandũ curaſti edictum; Quorũ contagio adeo latè ſerpſerat, tantaſquè aſſumpſerat vires, vt non modo in ſiluis, aut deſertis locis viatores ſpoliarentur, quin etiam (quod magna admiratione dignum eſt) eò inſolentiæ peruenerant, vt intra ipſius Vrbis mœnia, quodquè magis eſt, in foro ipſo viri nobiles impunè trucidarentur, vt alia ſexcenta omittam nefaria ſcelera, quæ ab eiuſmodi ſceleſtiſsimis hominibus, dicam, an feris? quottidie patrari, non ſine maxi-

mo

mo horrore audiebantur. Quodquidem pluſquam ciuile bellum, adeoquè grauè, ac periculoſum, & iam multis retrò actis annis cęptum, atque exortum, ex indequè, vel impotentia, vel tolerantia confirmatum, ita, vt nullum exitum haberę videretur, magna prudētia, quæ propriè virtus Principum eſt, incredibili auctoritate, mira celeritate, non ad tempus ſedaſti, ſed in perpetuum compreſſiſti, non pauliſper repreſsiſti, ſed penitus ſuſtuliſti. Itaquè tanta ſubita mutatio te Pontifice facta eſt, vt homines, qui antea in ſuis tectis non ſine maximo cædis timore latebant, nunc tutiſsime vltrò, citroq; commeare poſsint.

Quo nomine ingentes tibi gratias vniuerſæ Italiæ Ciuitates, ſi non referre queunt, ſaltem agere, vel habere oportet, atque inter cęteras patriam meā Bononiam, cui non modica huiuſce beneficij obtigit portio, quippè quæ varijs olim vexata incommodis, cędibusq;, & latrocinijs referta, nunc otium, & tranquilitatem, quantum vix ſperare antea audebat, per te conſequuta lętatur.

Nec ideo minores, nunc fęlix, vereque libera, docta Bononia tibi gratias referre habet, quod Cardinalis Antonius Maria Saluiatus, Vir in magnis cogitandis excelſus, in aggrediendis ſtrenuus, in aduerſis ſuſtinendis inuictus, & perſeuerans, egregiè te adiuuerit: Sed idcirco maiores, quod tua illa diuina

uina potius, quam humana, prudentia (quæ non tam parentis eſt, quàm imperantis) Cardinalem Antonium Mariam Saluiatum, vtpotè, ad ſaluandum natum, ſeu aptum, necnon Cardinalem Henricum Caetanum, ita lenitatem cum grauitate miſcentem, vt neque facilitas de auctoritate, neque ſeueritas quidquam de ſuauitate detrahat, atque proinde ad parta tuenda aptiſsimum, & ad maiora, ſi caſus ità feret, ad ipſam Legatos delegeris.

Quid hic memorem tuam in remittendis iniurijs benigniſsimam promptitudinem? quod tui Pontificatus veluti quoddam præludium, nunquam ſatis laudatum fuit.

Quid in pauperes, afflictoſquè cōmiſerationem, paternamq; curam? Quid Iuſtitiæ inſitū in te amorem? quam ita omni ratione colis, & retines, vt eam non aduerſus infirmos tantùm, ſed potentes etiam viros (non reſpiciens perſonas) ęqua lance exerceas?

His ergo B. P. non inanis, & caducæ, ſed verę, & ſolidæ gloriæ radijs, ego, indignum licet Eccleſiæ membrum, te caput noſtrum ornari, tibi, vt par eſt, gratulor, & ſummoperè gaudeo, quamquam non ignarus ſim, quàm penitus ab hac cogitatione alienus ſis, vt laudis potius, quam virtutis amore, quod rectum eſt, agere ſtudeas, gloria tamen virtutis ſocia eſt, atque comes, eamquè tanquàm vmbra corpus ſequitur, quinimo, virtus mater eſt gloriæ.

Hinc

Hinc Marcum Marcellum duo quadrata templa, ſimulq; iuncta Romę ædificaſſe memoriæ proditum eſt: quorum alterum virtuti, honori alterum fuit conſecratum, ſed ità compoſita, & conſtructa, vt ambo vnica, ſolaquè porta conſtarent; nec in templum honoris aliò patere poſſet ingreſſus, quàm per templi virtutis aditum, vt hoc commento facilè demonſtraretur, fruſtra ſibi hominem de adepto honore blandiri, quem non virtutis præceſſerit decus. Quod cum ipſe non manufactis templis, ſed vitę exemplo, præclariſsimiſq; animi dotibus te ipſa præſtiteris, meritò illud egregij Pſaltis Iſrael tibi cõuenit. Mons Dei, Mons pinguis, Mons coagulatus: Mons pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Cuius rei ſignum illud mihi viſum eſt, quod non ſine diuina diſpenſatione, cum tibi prius inditum eſſet nomẽ Fęlix, eo mutato iuxta morem maximis plenum miſterijs nuncupatus es Sixtus, vt hoc facto oſtenderetur te, tametſi Fęlicis nomen deſerueris, rem tamen, quæ ipſo nomine ſignificabatur, ad huc tenere, & in vera fęlicitate non verbo tenus, ſed factis conſetuari, & Siſti. Neque verò te Ideo fęlicem dicendum putarim, quod diuitijs, atquè honoribus terrenis affluas, hoc enim fęlicitatis genus quam paruifaciendum eſt? cum malis æquè, ac bonis

nis commune habeatur, non hoc te nomine com-
mendandum cenſeo (vt ignauum vulgus conſueuit) ſed ob germanam illam, & minimè fucatam, ſoliſquè bonis, & grauibus viris probatam, quæ internorum, videlicet, bonorum exhuberantem copiam in ſeſe continens, eam in communem confert vtilitatem, eam, inquam, quæ hominem Deo penè ſimilem reddit, cuius proprium eſt inheſauſtam liberalitatem erga omnes creaturas largiter exercere, quem, ſicut in terris dignitate, ita (quo ad eius fieri poteſt) beneficentia, & largitate refers. Huc ſpectat illa Montis pinguedo, quam humilitatis ope in vniuerſa Eccleſię arua ſpargis, ac diffundis, vt impinguata, atquè ad fertilitatem redacta, vberrimos fructus, non tàm temporales, quàm Deo acceptos ſpirituales producant. Quod ſi, vt inſtituiſti, facere perrexeris, te quidem non poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fęlicem non pręſens modo, ſed omnis futura ætas prædicabit, Seruumq; ſeruorum Dei iure nominabit.

Quare, cum anno ſequenti, poſtquàm te Romæ vidi, magnoq; tui amore, multis tuis meritis incenſus ſum, vt initio dixi, quò talentum mihi creditum, Deo, à quo acceperam, cùm vſuris (vt par erat) redderem, necnon, vt beneuolentiam erga te meam hoc argumento ſignificarem, initium dediſſem operi in totam Bibliam Catenæ argenteę nomi

ne inſcripto : decreuerimquè in præſens tempus eiuſdem particulam in lucem edere præludij inſtar, vt varias Theologorum ſententias ſuper ea ferendas explorem, non ſub alia fęliciori, quàm protectione, tutellaq; tua eam in publicum exire poſſe iudicaui, cui iam ex hoc tempore, quod reliquum erit eiuſdem operis, dedicandum, & conſecrandum duxi, vbi vitam, ſanitatem, ſtudiorumquè facultatem diuina mihi conceſſerit miſericordia, per interualla temporum opportunè edendum.

Et profectò cui nam alij Catenam ego argenteã magis dedicare debui, quàm ſucceſſori illius, qui & Hieroſolimis, & Romæ Catenas ferreas tantò decore ornarit, vt qui maximus honor calendis Auguſti Victori Cæſari tribui conſueuerat is totus in eaſdem fuerit translatus?

Quod ſi à quibus malitiosè, atque ſceleſtè obtrectatum fuit ſcholaſticis doctoribus, ab ijſdem itidem inſolenter, & impiè negatus fuit primatus Petri, non alij certè cuippiam commendari par erat opus conceptuum Theologicorum, quàm vni tibi, qui quemadmodum ſolertia, & actionum tuarum maturitate non modo honorificè ſuſtines, ſed etiã officium, & dignitatem à Deo acceptam illuſtras, ita inter eruditiſsimos, ſubtiliſsimosq; Theologos conſpicuum, atque admirabilem te præbuiſti. Cui denique laboris huiuſce, partusq; mei primogeni-

ti

ti donum magis congruere poterat, niſi illi; cui me iã antea conſecraram? Niſi fortè, quod munus adhuc Cardinali deſtinatum erat, iam Pontifici Max. negari oporteret. Fateor quidem à mea conſcientia temeritatis me coarguendũ eſſe, tenuitatem propriã recogitãtem, niſi apud Senecam legiſſem. Quod, cũ Socrati multa multi pro ſuis quiſque facultatibus offerent, Aeſchines pauper auditor. Nihil (inquit) dignũ te, quod dare tibi poſsim inuenio, & hoc vno, modo me pauperem eſſe ſentio. Itaquè dono tibi, quod vnum habeo, me ipſum. Hoc munus (rogo) qualecunque eſt, boni conſulas, cogitesq; alios, cum multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe. Cui Socrates, quid ni? Tu, inquit, mihi magnum munus dederis, niſi forte paruo te æſtimas. Habebo itaquè curæ, vt ne te viliorem tibi reddam, quam accepi. Itaquè, cum non minori humanitate, animiquè magnitudine præditum, quam Socratem, te Sixtum. V. perſuaſum habeam, me tibi qualemcũque vnà cum opuſculo tradere, & committere non ſum veritus. Vale B. P. Fęlix què diutiſsime viue. Bononiæ, Nonis Martij. 1587.

IN CATENAM ARGENTEAM AVCTORIS.

PRAEFATIO.

QVi Cælorum continet thronum, quiquè à fine vſq; ad finem attingens fortiter, omnia ſuaviter diſponit, eam Eccleſiæ ſuæ curam ſemper habuit, vt mox vna ſuborta hæreſi, diuinos aliquos homines cælitus huc demiſerit, qui cæleſti doctrina contrà graſſantes paſſim hæreſes dimicãtes, & de eis proſtratis glorioſiſſimè triumphantes, ipſam Eccleſiam tuerẽtur. Si hæc mater noſtra adhuc paruula, nec vbera habẽs, vidit Simonis, Menandri, Baſilidis, et Marcionis furorẽ; vidit etiã Iuſtinum, Ireneũ Diuinæ Doctrinæ fulgore, tantas tenebras ab hæreticis effuſas, ſtatim diſpellentes. Si ſecuta ſunt tempora nihilo meliora, in quibus in ſe experta eſt Mõtaniſtas, Nouatianos, Euſtratianos ſub pietatis nomine ſua peſtifera decreta obtrudere; Experta quoq; eſt Firmilianum, Cyprianũ, Cornelium tantam flammam Sacræ Doctrinæ inundatione reſtinguentes. Si dolens aſpexit Arrianam peſtem per vniuerſum orbem peruadere, & ſuo contagio maximam Epiſcoporum

partim

partem inficere, hilaris itidem intuita eſt Athanaſium, Hilarium, Baſilium, eorumque ſocios huic malo opportunè occurrentes. Si ſenſit Berengarium acutiſsimum ſui temporis Dialecticum, Albigenſes, Abailardos, qui totam ætatem in Syllogiſmis conficiendis contriuerant, falſi nominis ſcientiæ innixos ſublimia quædam de ſe polliceri. Senſit etiam Lombardos, Alenſes, Aquinates, Gandauenſes, Scotos, alioſque Theologos Scholaſticos nuncupatos, artem arte noſſe eludere, & cum argutis illis argutijs inſtructos poſſe, & ſcire congredi. O quot ſophiſticæ collectiones, quot fallaciæ, quot ſcripturarum torſiones, atq; dilaniationes, horum arte, & labore amotæ ſunt. Hi amentatas haſtas in fidei hoſtes iecerũt, hi nouos Goliathos proprio ipſorum pugione confodere, hi antidota ad vulnera ab huiuſmodi viperis inflicta ſananda confecere, hi artem quandam ſcripſere Theologicam, quam Scholaſticam appellarunt, qua Eccleſia Dei, tanquam firmiſsimo aliquo præſidio, contrà hæreticorum inſultus, aſsiduè ſe muniuit, & munit, quâ munita, non ſolum tela ab Aduerſarijs immiſſa abſque vlla læſione excipit, ſed & eoſdem nullo negotio, partim proſternit, partim in fugam vertit. Vallent eam vndique, vt ad terram proſternant, Ab oriente Simon, Menander, Valentinus, Manes: Ab occidente Priſcilianus, Vigilantius, Abailardus: A meridie, Nouatus, Donatus, A Septentrione, vnde panditur omne malum, Pelagius, Vuitcleff, Ioannes Hus, Martinus Lutherus, & quot barbaræ nationes aduerſus filios Iſrael olim commotæ ſunt, tot, immo plures contrà fidem Catholicam, & Doctrinam Euangelicam inſurgant, ad ſcholaſticæ Theologiæ præſentiam ſtatim euaneſcent. Lutherus, qui velut Cerberus ex Orco prodiens omnem ferè poſt ſe traxit damnatarum hæreſum cateruam, in quem quemadmodum poetæ Pythagoræ animam in Euphorbum tranſlatam eſſe finxerunt, multorum, ne dicam omnium hæreticorum animas tranſlatas eſſe dicerem, ſi eorum more, Chriſtiano, & Religioſo Viro ludere liceret, niſi ſcholaſticorum doctrinam prorſus exploſiſſet, & exibilaſſet, in voto-

rum

rum libera, quam docet, violatione, Turre lupinum non ſe feciſſet: Sacerdotes omnes Epiſcopis æquans, in Aerium haud ſe transformaſſet; Ieiuniorum virtutem, & meritum omnino extenuans, Iouiniani mentem non videretur induiſſe: Superioribus ſuis obedientiam negandam docens, Begardorum, atque Beguinarum inſanum non ſuſcepiſſet ſpiritum. Sanctos non eſſe orandos contendens, Euſtachium in Concilio Gancrenſi damnatum, & Vigilantium à beato Hieronymo acriter reprehenſum, non fuiſſet imitatus: Suffragia defunctis nihil prodeſſe aſſerens, Valdenſium, Albigenſium, Græcorum, & Armenorum figuram minimè ſuſcepiſſet: Excommunicationes contemnens, & omnes Eccleſiæ cerimonias ſubſannans, Valdenſem, Huicleffitam, atque Huſsitam ſe eſſe non demonſtraſſet: Operibus detrahens, vt fidem extolleret, Eunomium minimè induiſſet: Mendicitatem liberè pro Chriſto ſuſceptam irridens, Deſiderij Longobardi, & Guillelmi de Sancto Amore, ſpiritu impio ductus non appareret. Petri, & ſucceſſorum eius primatum tam hoſtiliter inſequens, in Marſilium Paduanum, aut in Ioannem Vuitcleff non ſe ipſum transfiguraſſet. Audacter dico, ex ſcholaſticæ Theologiæ contemptu, tanquam ex primo fonte, reliquæ Lutheranorum hæreſes deriuatæ ſunt. Principiò nanque, quod erat facile, Scholæ auctoribus contemptis, Scholæ quoque iudicia contempſerunt; his neglectis, mox neceſſe erat Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Ambroſius, Baſilius negligerentur, quos Theologi recentes dogmatum ſuorum auctores habebant; & antiquis Sanctis poſthabitis, deſpectui quoque habita ſunt eorum Concilia; Vnde conſecutum eſt, vt & libros quoſdam Canonicos, & Eccleſiaſticam auctoritatem Lutherani conciderent. Adeò verum illud eſt; Qui minima negligit, paullatim defluit. Abſit inuidia verbo: nec enim minima Scholæ auctoritas eſſe poteſt, quam paruifacere nemo ſine fidei diſcrimine poteſt. Connexæ quippè ſunt, ac fuere ſemper poſt natam ſcholam, ſcholæ contemptio, & hæreſum peſtes. Atque eam ob rem nuſquam gentium hæreſeos patroni vlli prodierunt,

 dierunt,

dierunt, qui non primum omnium, vniuerſam philoſophiæ cognitionem cum Scholaſtica Theologia à ſua Republica profligarint: qua vtique ratione viam ſibi, & ad ſuos errores ſternunt, & ad retractationem occludunt: denique ad ſuam obſtinationem communiunt. Abactis enim à grege canibus, (vt ille olim Demoſthenes dixit) peruius fit lupis ad ipſum aditus. Neque Philippus Melanthon, Conradus Pellicanus, Lambertus, Fabritius Capito, Oſiander, Sturnius, Martinus Butzerus, multiq; alij temporis ſucceſſu, cateruatim ſe Lutheri familiæ inſeruiſſent, niſi falsò, & impiè Theologiam Scholaſticam, ignorantiam veritatis, inanemquè fallaciam, & Academias Antichriſti lupanaria dixiſſent, O Impudentiam. Cùm Dominus dixit; Qui vos audit, me audit, & qui uos ſpernit, me ſpernit; num ad primos Theologos, hoc eſt, Apoſtolos verba illa duntaxat referebat? Abſit. Sed ad Doctores etiam in Eccleſia futuros, quandiu paſcendæ eſſent oues in ſcientia, & doctrina. Quemadmodum igitur, qui Theologos Chriſto ſuccedentes contemnebat, Chriſtum is etiam Dominum contemnebat: ità qui Theologos Iuniores antiquis ſuccedentes deſpicit, hic Chriſtum quoq; ipſum deſpiciat neceſſe eſt. Vnde Chryſoſtomus, ſiue quis alius fuerit, in Cōmentarijs ſuper Matthæum Imperfectis. Hom. 45. Cum audieris (inquit) aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba qualis eſt circa ſuos Doctores: ſi enim illos, cum quibus viuit, ſuſtinet, & honorat, ſine dubio illos, ſi cum illis vixiſſet, honoraſſet: Si autem ſuos contemnit, ſi cum illis vixiſſet, illos contempſiſſet; Hactenus ille in ea verba Chriſti, Vah vobis, qui ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis. Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum: itàque teſtimonio eſtis vobis metipſis, quòd filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt, & vos implete menſuram patrum veſtrorum. Nimirum Phariſæorum inſtar, hæretici ratiocinantur: Si eſſent Scholaſtici Doctores, quales erant Hilarius, Hieronymus, Baſilius, ſequeremur

mur

mur eos, ſi in diebus Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi fuiſſemus, non eſſemus ſocij Manichæi, Nouati, Vigilantij, Pelagij, Iouiniani. Itaque teſtimonio ſunt ſibimetipſis, quòd filij ſunt eorum, qui Sanctos antiquos contempſerunt, cùm Iuniores ſcholæ Theologos pro nihilo putant. Sed quemadmodum Epicurus reijcit Dialecticam, Alfaquini etiam Machumetis Saracenos procul ab omnibus diſciplinis abducunt, quoniam intelligunt diſciplinas, arteſquè omnes rationales, doctrinæ peruerſæ eſſe contrarias, ità hæretici, ne quando à diſcipulis errores ſectæ abſurdiſsimi deprehendantur, cupiunt eos à Scholaſtica Theologia ſeuocare. Omnes enim Sophiſticæ collectiones, & ſacræ paginæ dilaniationes, quas tum ſupradicti hæretici, tum Zuinglius, Caroloſtadius, Ocolampadius, & Caluinus appoſuerunt, vt hoc, quod Chriſtus iecit fundamentum, videlicet fides rueret, annis ab hinc circiter quadringentis à Scholaſticis amotæ fuere. Eadem quippè argumenta formant Hæretici, vt peruertant, quæ iandudum Scholaſtici conſtruxere, vt conuerterent, vt parati eſſent reddere rationem de ea, quæ in illis erat, fide, vt promptiores poſtea inuenirentur ad hæreticos debellandos: Sed quia Hæretici in eis facultatibus ſe exercuerunt, quæ linguam expoliunt, ſæpè elegantius ratiocinantur, atque ſermonis elegantia homines incautos decipiunt, vt recentia argumenta putent, quæ vetera ſunt, & olim à Scholaſticis ſoluta. Qui de hoc ambigit, videat Angelicum Thomam, Irrefragabilem Alexandrum, Magnum Albertum, Deuotum Bonauenturam, reuoluat Eximium Tarantaſium, Fundamentarium Aegidium, Auctoratum Ricardum, Solemnem Henricum, legat Subtilem Scotum, Illuminatum Durandum, Acutum Argentinenſem, Reſolutum Biellum in illis quæſtionibus, quas ipſi excitarunt, vt veluti in paleſtra exercerentur, & vt ad veram fidei cognitionem peruenirent, quaſmet noui hæretici mouent, quia non credunt, mouent vt peruertant. Hæretici quærentes ſunt, velut Nicodemus dicens, Quomodo poſſunt hæc fieri? & Iudæi Capharnaitæ di-

ſcipuli Domini dicentes; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuā dare ad manducandum? Quærebant, quia non credebāt, vnde & retrorſum abierunt. Scholaſtici quærentes, ſunt velut glorioſa Virgo, quæ credens quæſiuit, vt doceretur; Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Ad hunc modum interpretandæ ſunt illæ Scholaſticorum aſsiduæ quæſtiones: An Deus ſit vnus? Num pluralitas perſonarum poſsit conſtare vnitati eſſentiæ. Vtrùm Spiritus ſanctus procedat à patre, & filio? Non ità eſſe dubitant; ſed modum, quo id eſſe poſsit, oſtendere volunt. Illi nanque (Ariſtotele teſte) apti ſunt conijcere veritatem, qui poſſunt in vtranque partem dubitando diſquirere. Quæſiuit Arrius, An filius ſit patri per omnia æqualis? Quæſiuit Sabellius; An in Diuinis ſint plures perſonæ realiter diſtinctæ? Quæſiuit, & Thomas, & Scotus; Et quotquot quæſtiones excitant, & veteres, & recentes hæretici, tot, & plures excitant Scholaſtici. Sed illi, vt mactent, perdant, occidant; iſti vt conſeruent, viuificent. Hanc ob rem Theologiam Scholaſticam, tanto hominum conſenſu iamdiu approbatam, tam vniuerſæ Eccleſiæ vtilem, addo, & neceſſariam, iſti nunc primum calumniãtur, extinctam volunt, vt ſeptis his, atq; cuſtodibus ab Eccleſia remotis liberius poſtea in Chriſti ouile graſſari poſsint. Pace antiquitatis dictum ſit (cui multum deferendum cenſeo) quemadmodum, & ſanctitati, audacter dico, & libenter, certiſſimisq́; argumentis probabo; Scholaſticos Theologos tantam opem attuliſſe Eccleſiæ Dei in ſacris ſcripturis elucidandis, & hæreticorum ſophiſmatibus confutandis, vt poſsint priſcis doctoribus æquari. Quoniam, etſi priſci auctores doctiſsimis quibuſcunq;, ac diligentiſsimis, magnã Diuitiarum copiam ſuppeditauerint: at recentiorum inopia, docendi facilitate penſatur: quã in rudium, & inertium animos artificioſius influentes, & quæ fuſè olim diſputabantur, ac liberè; ea nunc articulatim, preſſeq́; dicentes, lucem non paruam dictis priſcorum obſcurioribus afferunt. Rurſum fides, ſeipſa ſola, ſine doctrina, & ratione, nequaquam tutari poteſt. Nam philoſo-

philoſophia, & omni ratione diſputandi ſublata, cum fide ſancta ruſticitas manet: quæ (vt Hieronymus ad Paulinum ſcribit) quantum prodeſt vitæ merito, tantùm ſimplicitate nocet, ſi aduerſarijs non reſiſtat; multa etiam in Theologiæ principijs continentur, quæ niſi naturali ratione, & diſcurſu interueniente intelligi, & explicari non poſſunt. & nihil eſt ferè, cuius in ſcriptura ſacra mentio non fiat; non Angelus, non Anima, non Aer, non Ignis, non Aqua, non Cælum, non Terra: quo fit, vt ſi ornatè, & eruditè hæc Theologus explicare velit, philoſophiam, hoc eſt, rerum huiuſmodi intelligentiam, eum habere neceſſe ſit. Igitur cùm Theologi Scholaſtici philoſophiam, cæteraſq; naturali ratione partas diſciplinas, vel in ſcholam Chriſtianam inuexerint, vel certè ab alijs inuectas excoluerint, iure ſacram ſcripturam mirificè elucidaſſe cenſendi ſunt. Propter quod, & Deus Eccleſiaſtæ Salomoni philoſophiam indidit. Dedit mihi Deus horũ (inquit) quæ ſunt, ſcientiam verã, ut ſcirem diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, diuiſiones temporum, ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, vim ventorum, differentias virgultorum. Quorſum Dominus, qui docet vtilia, horum rerum eum ſcientiam docuit, niſi quia humanæ omnes ſcientiæ, tanquam ancillæ ad arcem, & veræ ſapientiæ miniſterium aduocandæ ſunt? Præterea quomodo Eccleſia poterit philoſophos edocere, niſi humanæ rationis adiumenta habeat? Simile enim edocetur ſimili; atq; adeò, ſicut Apoſtolus hæbreis hæbreus factus eſt, & omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret; ita Theologiæ profeſſor fiat neceſſe eſt philoſophus philoſophis, vt hos conuenientius, faciliuſq; lucretur. Qua in re Scholaſtici multũ valent. Præterea, quantũ philoſophorum diuitiæ valeant ad Chriſtianum dogma locupletandum, ex eo colligitur, quòd olim Eccleſiæ Doctores ſummi fuere, qui iidem fuere philoſophi, Didymus, Iuſtinus, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Gregorius Niſſenus, Damaſcenus, Auguſtinus, tales enim cum habebãtur, Eccleſiaſticæ Scholæ præfici ſolere Euſebius lib. 5. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 10. ſcribit

his verbis. Conſuetudo antiquitus tradita ſeruabatur, vt diuinarum ſcripturarum Doctores in Schola Eccleſiaſtica habeantur viri duntaxat ſcientia, & eruditione probatiſsimi, Legatis omnia eorum commentaria, quibus de opere ſex dierum diſputatio inſtituta eſt, atque in his vel ſolis videbitis, & quanta fuerit maiorum noſtrorum in perlegendis philoſophis diligentia, & quantus ſit philoſophorum explicandis ſacris litteris vſus. Quid? non ne Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum, etiam cum hæretico differens varijs philoſophorum teſtimonijs vtitur? Quid? non nè, & Paullus ipſe, non ſolùm cùm Ethnicis perſuadet, ſed etiam, cùm fideles inſtituit, poetarum, & philoſophorum teſtimonia referre ſolet? Nam ad Athenienſes loquens ex Arati Aſtronomi Phænomenis vſurpat illud. Ipſius enim, & genus ſumus? Ad Corinthios verò, ex Euripidis pöetæ Tragædijs, Illud, Corrumpunt bonos mores colloquia mala? Ad Titum autem, ex oraculis Epimenidis philoſophi, Illud: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri? protinusq́; ſubinfert; teſtimonium hoc verùm eſt. Ex quibus luce clarius colligere licet, quantùm philoſophorum auctoritas Theologo ad argumentandum conferat. Philoſophia enim, inquit Clemens Alexandrinus, à Deo fuit data Græcis, velut proprium teſtamentũ, ſicut Iudæis vetus, & Chriſtianis nouũ. Quocirca diuinæ hoc quoque procurationis erat, vt nõ omnes ſimul philoſophi, aut in Dei cognitione, aut in morum, & vitæ regula, aut etiam in rerum naturalium intelligentia, quæ quidem eſſet ad illa duo priora neceſſaria, hallucinarentur. Quæ res effecit, vt iuxta Paulli ſententiam Græci fuerint inexcuſabiles; qui tamen excuſari poſſent, ſi eorum præceptores non ad veritatem bonitatis inſtructi ſatis, informatiq́; eſſent, auctore naturæ optimo Duce, atque magiſtro. Cum igitur certum ſit veros philoſophos plurimùm Theologiæ prodeſſe, vt potè diuinitus procuratos, de Chriſtiana theologia optimè meriti ſunt ſcholaſtici, qui ea, quæ à philoſophis rectè, & ſapienter dicta ſunt, ſuis diſputationibus inſeruerunt. Non inficior, dum fides in cunabulis agebat,

philoſo-

philoſophorum ſcholas hæreſum fuiſſe officinas. Tunc enim quæ res erant ſuprà, eaſdem ſcioli contrà naturam iudicabant. At vbi fides creuit, Philoſophia Theriaca cenſenda eſt, quæ earundem medetur viperarum morſibus, ex quarum conficitur carnibus. Eſt quippè naturalis philoſophiæ munus ſupernaturalia fidei myſteria, non quidem monſtrare, quippè quæ ex ſolis ſint diuinis teſtimonijs recepta; ſed tamen explicare, & cōtrà philoſophos aſſerere: dum eorum eneruat, defringitq́; argumenta, oſtendens nihil aduerſus nos euincere. Quantò Auguſtinus ſua Dialectica, & Philoſphia maius exhibuit Eccleſiæ negotium, dum erat Manicheus, tantò fuit ei poſtea aduerſus hæreticos vtilior. Præterea Ethnicorum hiſtorias ad intelligentiam ſacræ ſcripturæ plurimùm conferre tradit Auguſtinus lib. De Doct. Chriſt. 2. c. 28. Oſtenditq́; ex earum ignoratione quoſdam circà ſcripturas erraſſe: Videlicet, Irenæus, & Tertullianus circà ætatem, qua Chriſtus paſſus eſt, vario ſunt quidem errore verſati, Irenæus enim in quadrageſimo anno Chriſtum paſſum dixit, Tertullianus in trigeſimo; ſed ob eandem cauſſam tamen. Hiſtorias quippè humanas hoc loco neglexerunt, quibus cognitis ea res facilè expeditur. Atque Eraſmus, quas tenebras ſuper vniuerſam terram factas planè ſcribit Euangeliſta, eas ipſe ſuper Iudæam tantùm fuſas intelligit, falſæq́; intelligentiæ cauſſam ponit, neque veram, neque ſi vera eſſet, ſatis idoneam: Quòd, ſi hæ tenebræ tanto ſpatio contigiſſent per vniuerſum orbem, aliquis certè, ſeu Latinus, ſeu Græcus Scriptor, eius rei meminiſſet. Sed, niſi humanas hiſtorias hic ignoraſſet Eraſmus, tenebras profectò illas aliter, ac verè quidē interpretatus fuiſſet. Phegon enim Olympiadarū egregius ſupputator in quarto decimo libro ità ſcribit. Quarto autem anno ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis; magna, & excellens inter omnes, quæ antè eam acciderant, defectio Solis eſt facta. Dies hora ſexta in tenebroſam noctē verſus, vt ſtellæ Cælo viſæ ſint. Quem annum cum paſſione Dominica concurriſſe Euſebius in Chronicis patefecit. Scholaſtici igitur qui & argumē

ta ex hiſtorijs petierunt, etiam quoad hoc elucidaſſe ſcripturam cenſendi ſunt. Sed quàm Eccleſiæ vtiles ſint, tum in elucidandis ſcripturis, tum in hæreticis confutandis, nunc ex ipſius Theologiæ finibus demonſtrare pergo. Tres veræ Theologiæ ſunt fines. Primus eſt, quæ in ſacris litteris, Apoſtolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quaſi è tenebris erui. Colligit enim Theologus ex principijs fidei à Deo reuelatis concluſiones ſuas, atque in principijs ipſis implicitas per argumentationem naturæ conſentaneam explicat. Quemadmodum enim Muſica facultas ex ijs, quæ ſunt in Arihmetica poſita, ea ratiocinando connectit, quæ ſunt in numeris ſonantibus aut conſona, aut diſona: Ità Scholæ Theologia ex ijs, quæ fides poſuit, ea, quæ ſunt conſequentia, naturæ ratione conficit de Deo, rebuſquè diuinis. Quòd ſi Aſtrologia, Muſica, perſpiciendi Facultas, atq; aliæ id genus diſciplinæ, tametſi ex alienis facultatibus quaſi mendicæ, ſed habentur in precio tamen, tanquam vtiles, & neceſſariæ, Ecquis nam iſte malus genius eſt ſcholaſticam diſciplinam profligare velle, quæ non ex Arithmetica, non ex Geometria, non ex Phiſica, ſed ex ſacris, diuiniſquè litteris, & inſtitutis, docet quid conſequens ſit, quid contrà repugnans? Origene nanq; teſte ſuper Geneſ. in Homil. de Arca; de aliquibus ſacra ſcriptura nihil retulit, ſed ſolùm traditio illa tenet, quia opportunum videtur ſuper hoc habitum ſilentium, de quo ſufficienter quærere ratio docet. Alius finis eſt, fidem, nempè noſtram aduerſus hæreticos defendere; hoc quippè munus eſt Doctoris Scholaſtici, vt Magiſter Sententiarum in proœmio ex Auguſtino tradit, ſcire, quemadmodum fides Catholica, & pijs opituletur, & aduerſus impios defendatur. Nullus (opinor) inficiabitur aliquem fuiſſe vſquã, qui à recta fidei regula diſceſſerit, niſi fortè ex ſecta Rhetoricorum fuerit, qui, vt Philaſtro placet, æſtimarunt omnes hæreſes veras eſſe, hæreticoſq; ſemper bene ſentire. Quod adeò magna eſt dementia, vt Auguſtino lib. Hære. c. 72. impoſſibile videatur, hominem vllum ita ſtupuiſſe vt hoc aſſeuerarit. Non

dubito

dubito quin Arrianus hæreticum cenſeat Sabellium, Sabellianus viceuerſa Arrium, Pelagius, ſi ſuperſtes eſſet, iudicaret Lutherum à vera fide deuiare, Lutherus hoc idem impingit Pelagio. Sunt enim eorum aſſertiones adeò pugnantes, vt altera alteri minimè cohærere queat. Si igitur, vt par eſt, concedatur aliquis fuiſſe hæreticus, aduerſus hunc Scholaſtica Theologia fidem Catholicam defendit. Hanc ob cauſſam ſcholaſticorũ diſputationibus adeò ſunt hæretici infenſi, quòd intelligunt Catholicam fidem, quam expugnare moliuntur, horum ſtudio, doctrinaquè muniri. Agnoſcunt ſanè lupi canes, eoſquè odio proſequuntur: & Schola nomen iſtis inuiſum eſt, quæ lupos arcet à gregibus, & eorum inſidias porrò cauet. Tertius finis eſt, Chriſti, Eccleſiæq́ doctrinam (quantùm fieri poteſt) ex diſciplinis humanis aut illuſtrare, aut etiam confirmare. Nam, quod Auguſtinus docuit, vaſa argentea, & aurea, cæteramq́ Aegyptiorum ſupellectilem, etiam ſi commodatam acceperimus, iure quaſi noſtra facere poſſumus, inquè fidelium vſus vendicare. Et alienigenam mulierem, vt Hieronymus commonet, raſis crinibus, reiectisq́ ſuperfluis, ad Dei populum introducere. Diſcunt Theologi à Dauid extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſsimi caput proprio mucrone truncare. Diſcunt à Paullo, vel inſcriptionem fortuitam arte torquere in argumentum fidei, & quæ in alium vſum ſcripta ſunt, ea ad emolumentum Eccleſiaſticæ Doctrinæ conuertere. Diſcunt cum Daniele, ac Moyſe Caldæorum, Aegyptiorumq́ ſapientiam, ſi non vt ſequantur, at, vt indicent, atque conuincant. Cùm igitur tria munera veræ Theologiæ conſtituta ſint, & ea omnia Scholaſtica Diſciplina præſtet, eam maximum Eccleſiæ commodum afferre fatẽdum eſt. Sed aliud præterea videre eſt beneficium neque leue, neque contemnendum, quod Scholaſtici ſuis diſputationibus poſteris præſtiterunt. Nam, cùm veteres minori interdum, vt ità dicam, circunſpectione, maiorìq́ licentia in ſcribendo vſi ſint, quod non adeo multi hæretici eo tempore Rempublicam Chriſtianam vexarent, & ſe aliter

intelli-

intelligi non poſſe arbitrarentur, quàm Catholica ſentiret Ecclesia, factum eſt opera horum Auctorum, primùm quidem, vt patres commodè, & piè, vbi minus accuratè loqui videntur, interpretemur; ac non eos confeſtim noſtra cenſura, aut damnemus, aut deridendos, & exſibilandos (quod faciunt hæretici) in medium proferamus: Deinde, vt præſsius, limatiusq́; nos loquamur, nec à præſcriptis verborum quibuſdam formulis, ac receptis communi conſenſu Doctorum regulis aberremus. Neque enim ea verborum libertate noſtris Theologis vti permiſſum eſt, qua philoſophi Gentilium vſi ſunt, qui non ſemper caſtas, & religioſas aures expetebant: ſed iubentur noſtri caſtè, propriè, & demum ità accuratè loqui, vt nullam offenſionem, nullam impiam, falſamuè opinionem in animis auditorum ſua oratione pariant. Quam fortè ob cauſſam Hieronymus trium Hypoſtaſeon nomenclaturam, quòd noua illi videretur, vel certè, quòd non admodum frequens in priſcorum patrum monimentis haberetur, non niſi Damaſi auctoritate munitus, recipere voluit: & Auguſtinum, quòd fortunæ nomen ſuis in ſcriptis frequentaſſet, poenituit. Etenim receptis hiſce loquendi formulis efficitur, vt hoc tempore tutiſsimam, caſtiſsimamquè Theologiam obtineamus. Cùm igitur tot, tantaquè beneficia Scholaſtici Doctores præſtiterint, & præſtent, opus haud vtilitate vacuũ me facturũ exiſtimaui, ſi ex eorum argumentis, concluſionibus, expoſitionibus, quæſitis, reſolutionibus ad totam ferè ſacram ſcripturam pertinentibus, quaſi CATHENAM *quandam Argenteam conficerem;* ARGENTEAM *dixerim, ad differentiam earum, quas, veluti* AVREAS *primùm D. Thomas Angelicus Doctor, deinde alij graues admodum viri, & Doctrina perſpicui ex priſcorum patrum auctoritatibus confecerunt. Si enim Dionyſij Carthuſiani Collectanea in quatuor ſententiarum libros non magna carent vtilitate, licet meliorem ordinem fortaſſe deſiderent, profectò ex Cathena iſta ad omnes ſacrarum litterarum ſtudioſos non parua manabit vtilitas. Theologis ipſis minimè*

nimè nocua erit. Etenim cernent ex ſacris litteris non modò practicè, verum etiam (quod Durandus negat) ſpeculatiuè multa deduci. Agnoſcent ſe Theologos, cùm Theologia ſit habitus eorum, quæ ex articulis fidei, ſacræquè ſcripturæ teſtimonijs, veluti Concluſiones ex principijs inferuntur: atque ſimilium præfata Cathena admodum diues exiſtit. Experientur tandem veriſſimum eſſe, quod Hieronymus in Epiſtola illa ad Paullinum celebri multis, & teſtimonijs, exemplíſquè, & rationibus elegantiſſimè docet, Neminem, videlicet, in ſcripturis ſanctis ſine prauio, & monſtrante ſemitam poſſe ingredi; Diuinarum ſcripturarũ intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis, & auctoritate inueſtigandam fore, & Sanctorum communem ſenſum, tanquam Theſei filum tenendum, eosq́; quaſi Duces intelligentiæ ſequendos: Quoniam ſæpè ſæpiuſquè continget ex eadem ſcripturæ auctoritate multo plura argumenta veriſimilia capi, quàm Concluſiones veras inferri. Quæ beneficia ſacræ Theologiæ tyronibus non adferet? Vnà Theologiam, & ſcripturam addiſcent, quo fiet, vt non Theologaſtri, ſed Theologi ritè nuncupari poſſint. Non poſſum certè non admirari, vel, vt veriùs dicam, non ingemiſcere, conſiderans quorundam temerariam audaciam, qui ſe abſolutos Theologos reputare non verentur, cùm tamen vix locum vnum difficilem ſcripturæ intelligant. Satis ſibi eſſe putant, ſi Ariſtotelis mentem perceperint: & ad hunc ſcopum omnes ſuas diſputationes potiſſimùm dirigunt, vt aliquid Ariſtotelis ſententiæ proximum tradant. Et ob hanc cauſſam Ariſtotelem, tanquam ſi diuinus ille eſſet, ferè ſemper, cùm de re Theologica diſſerunt, verſant in ore. Ego quidem Ariſtoteli tantùm tribuo, quantùm nulli alteri homini fide deſtituto, non tamen adeò illum æſtimo, vt putem res theologicas, quas ille prorſus ignorauit, per ſolas illius regulas eſſe dirigendas; prout multi Theologi, de ſimilibus rebus diſſerentes, hactenus fecerunt. Ob quã cauſſam à multis prudentibus viris deſideratur, vt Theologia purior, et ſincerior traderetur, quæ

plus

plus diuinarum ſcripturarum, quàm Ariſtotelicæ doctrinæ contineret. Scholaſtici igitur tyrones præfatum opus præ manibus habentes, eiquè operam dantes, meliores producturi ſunt Theologi, quàm pleriquè prædeceſſorum. Quantùm deniquè profuturus ſit præſens labor de pulpitis declamantibus non dicam, cùm omnibus compertiſſimum ſit, Scholaſticorum reſolutiones ſacris Concionibus opportune interpoſita ſi mirificè, & prodeſſe, & oblectare. Vnum duntaxat obnixè rogabo, vt cui ſtylus minimè placuerit, memor ſit eius, quod Auguſtinus 4. De Doctr. Chriſt. c. 11. Eccleſiaſticum Doctorem docens (inquit) Quid prodeſt clauis aurea, ſi non aperit? aut quid obeſt lignea, ſi aperit?

AD BENIGNVM LECTOREM.

NE mireris benignæ Lector, quòd Ego in totam Bibliam paratus ſcribere, ſola hoc tempore commentata, & ſcripta, quæ ad caput eiuſdem in ordine primùm conferunt, edenda curarim: cum tamen hæc totius operis minima pars eſſe videatur: Quoniam in hoc, à pleriſquè obnixè rogatus, præcellētis cuiusdam pictoris probaui conſilium, qui hanc rationem inijt, vt picturam quandam ab eo magna arte, & induſtria effectam, atque elaboratam populo ſpectandam in editiori loco proponeret: Vt exinde inter varia hominum iudicia, quæ de ea ferri audiret, non omnium, ſed periti cuiuſquè de qua re iudicaret, ſententiam perpendens: & in opere iam completo errata corrigeret, & in alijs

quæ

quæ aggreſſurus erat, ne quid offenderet, facilius proſpicere, & præcauere poſſet. Huius ego ſectatus exemplum, hoc veluti præludium in lucem prodire volui, vt quid de eo non vulgus, ſed docti homines ſentirent, quorum iudicio, correctioniquè, non immemor propriæ infirmitatis, me libenter ſubijcio, facilè intelligerem, ſimulquè de reliquo quid mihi agendum eſſet, præuiderem. Vale.

THEO-

THEOLOGORVM SCHOLASTI-corum, ex quibus Catena Argentea præcipuè contexitur.

Scripta.	Nomina.	Cognomina.
Sũma vniuerſæ Theologiæ in quatuor partes diſtributa.	Alexander de Ales.	*Doctor Irrefragabilis.*
Prima, & ſecũda pars ſummæ, & Scripta in quatuor ſent. lib.	Albertus.	*Magnus.*
Sũma Theologiæ, cont. Gent. Quæſt. Diſput. Quodlib. Script. ſuper ſent.	D. Tho. Aquinas.	*Doctor Angelicus.*
Scripta in quatuor ſenten.	D. Bonauentura.	*Doctor Deuotus.*
Scripta in primum, & ſecundum ſent.	Aegidius Rom.	*Doctor Fundamentarius.*
Scripta in quatuor ſenten.	Ricardus de Mediauil.	*Doctor Authoratus.*
Summa Theologiæ, & Quodlib.	Henricus de Gandauo.	*Doctor Solemnis.*

Scripta

Scripta in Quatuor ſenten.	Ioannes Duns Scotus.	*Doctor Subtilis.*
Scripta in Quatuor ſenten.	Durandus de Sancto Porciano.	*Doctor Illuminatus.*
Scripta in Quatuor ſenten.	Thomas de Argentina.	*Doctor Acutus.*
Opus ſuper Decreta in quatuor Tomos diſtributum.	Ioannes de Turre Crema.	*Doctor Eminentiſsimus.*
Scripta in Quatuor ſenten.	Gabriel Biel.	*Doctor Reſolutus.*
Comment. in Summã D.Tho.	Thomas Gaiet.	*Doctor profundiſsimus.*
In Quartum ſenten. & de Iuſt. & Iu.	Dominic. Sotho.	*Doctor Elegans.*

FLORIANI NANNI CASII BONON. CANONICI REGVLARIS Lateranenſis, Sacrę Theologiæ profeſſoris.

CATENA ARGENTEA.

Libri Geneſis, Cap. Primum.

In principio creauit Deus Cælum, & Terram.

ARGVMENTA.

1 CREATIO, ſecundum quod dicitur, In principio creauit Deus, &c. Terminatur ad informe: vnde Aug. 12. conf. Informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata eſt Cælum, & Terra, cùm dictum eſt: In principio creauit Deus, non quia hoc iam erat: ſed quia eſſe poterat: nam poſteà ſcribitur cælum factum. Sed facere terminatur ad id, quod habet ſpeciem: ergo dignior eſt actio, quæ nomine eius, quod eſt fieri, deſignatur. Alex. 2. p. q. 6. m. 2. a. 2.

2 Cælum corporalem deſignat naturam: ergo nomine cæli, & terræ non deſignantur niſi corporales creaturæ: ſed nobilior eſt creatura ſpiritualis corporali: ergo aliquo nomine conueniente ſpiritibus debuit creatio deſignari. idem cit. p. q. 10. m. 2.

3 Cælum & terra, inquit Manichæus, ſunt viſibilia: ergo Deus, de quo loquitur Moyſes, tantùm creauit viſibilia: & ſi inuiſibilia condidit, quare Moyſes, ſicut de viſibilibus non expreſsit? idem 3. p. q. 69. m. 5. a. 1.

4 Gen. 1. vbi dicitur, In principio creauit Deus, hæbraica veritas habet Elohim, quod poteſt interpretari Dij, ſiue iudices: & hoc dicitur propter pluralitatem perſonarum: ergo tres perſonæ ſunt plures Dij, & non vnus Deus. D. Tho. 1. p. q 39. a. 3.

5 Dicitur Gen. 1. quòd vocauit Deus firmamentum cælū. Sed Cælum factum eſt ante omnem diem, vt patet, cùm dicitur, In principio, &c. Ergo firmamentum non eſt factum ſecunda die. idem, cit. p. q. 68. a. 1.

6 Cælum contra Terram diuiditur, cùm dicitur, In principio creauit Deus cælum. Sed terra eſt vna tantùm: ergo & cælum eſt vnum tantùm. idem, ead. quęſt. a. 4.

7 Sicut lux, & firmamentum, & huiuſmodi opera, per Dei verbum facta ſunt, ita cælum, & terra. Ioan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, ergo in creatione cæli, & terræ debuit fieri mentio de verbo Dei, ſicut in alijs operibus, & dici, In principio dixit Deus fiat cælum. idem, cit. p. q. 74. a. 3.

8 Recreatio reſpondet creationi: Sed creatio appropriatur patri, vnde, cùm dicitur Gen. 1. In principio creauit, Deus creans exponitur pater, ergo & incarnatio, per quam recreatio facta eſt, patri potiſsimè conueniet. Idem. 3. ſent. d. 1. q. 2. a. 2.

9 Cuius principium eſt determinatum, & ſcitum, & finis poteſt determinatè ſciri, eò quòd omnia menſurantur quodā periodo, vt dicitur 2. de Gen. Sed principium mundi determinatè ſcitur. In principio creauit, &c. ergo & finis ipſius

poteſt

poteſt determinatè ſciri. Tunc erit tempus reſurrectionis, & iudicij, ergo tempus illud non eſt occultum. idem, 4. ſen. d. 43. q. 1. a. 3. quęſt. 1.

10 Eaq; cum mundo viſibili facta ſunt, ſcriptura in principio Gen. proſequitur. Sed de Angelis nullam facit mentionem: ergo videtur quòd Angeli non fuerunt creati cum mundo, ſed antè mundum. idem, de pot. q. 3. a. 18. arg. 4.

11 Finis vnius cuiuſq; rei reſpondet ſuo principio, ſed principiũ mũdi ſcitum eſt per reuelationẽ, ex qua Moyſes dixit. In principio, &c. Ergo & finis mundi ſciri poteſt per reuelationem in ſcripturis traditã. idem, de pot. q. 5. a. 6. arg. 2.

12 In ſacro Canone hic modus videtur eſſe obſeruatus, quia primò ibi agitur de conditione creaturarum, ſcilicet, quomodo creaturæ ſint à Deo conditæ, ſic enim incipit noſtræ ſcripturæ ſacræ Canon. In principio creauit Deus cælum, & terram. Aegid. 2. ſent. d. 1. q. 1. a. 2.

13 In omnibus alijs operationibus diſtinctionis, & ornatus ſcriptura ſic loquitur, dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux; Dixit Deus: fiat firmamentum, & factum eſt firmamentum: dixit Deus: fiant luminaria. ergo multo magis fuit dicendum, Dixit Deus: creetur cælum, & terra: & creata ſunt, vel facta ſunt cælum, & terra: Nam nullum opus creationis poteſt fieri, niſi à ſolo Deo, & per ſolum verbum Diuinũ, quia ſolus Deus eſt creator rerum, opera autem diſtinctionis, & ornatus in multis facit Deus per ſecundas cauſſas, quia multa diſtinguit, & ornat mediantibus ſecundis agentibus, ergo potiſsimè in opere creationis debemus vti ijs verbis, Dixit Deus: ideſt, verbum genuit, in quo erat, vt fieret.

14 Præterea, potiſsimè in opere creationis debemus de Deo ſentire, quòd ſuum dicere eſt facere. In multis autem alijs operibus dicere poſſumus, quòd ſuum fari eſt ſuum facere, vt in hoc diſtinguamus dicere Dei, & fari Dei: vt ſuum dicere ſit ſuum verbum gignere: ſuum verò fari ſit, quod in verbo concepit, per foris cauſſas, id eſt per exteriores cauſ-

ſas explicare. Vnde Fatum ſecundum Aug. 5. de Ciuit. Dei, circa principium, poteſt dici vis ſiderum: vel ordo ſecundarum cauſſarum: vt quæ Deus in mente concepit, per ſidera, & per has ſecundas cauſſas quaſi fatur, id eſt foris oſtendit, & operatur: potiſsimè ergo opus creationis debemus referre ad diuinum dicere: quia ſolus Deus dicendo, & verbum gignendo, illud opus operatur. Aegid. lib. cit. d. 12. q. 1. a. 1.

CONCLVSIONES.

1 DEVS poteſt aliquid creare.] Probatio facilis, In principio creauit, Tho. 1. p. q. 45. a. 2. Obſeruandum ex Alex. 2. p. q. 6. m. 2. a. 1. Creare (inquit) dicitur multipliciter: propriè enim dicitur ex nihilo facere: ſed ſicut eſſe ex nihilo, dicitur differenter, ità creare dicitur differenter. Vno modo dicitur creare, omnino de nihilo facere: & ſecundùm hoc dicitur: In principio creauit Deus cælum, & terram. Alio verò modò dicitur de nihilo facere, cùm recreat; hoc enim eſt, de non eſſe culpæ reducere ad eſſe gratiæ; & ſecundùm hoc poteſt illud dici, quod dicitur in illo Pſal. 32. Exultate iuſti in Domino, in illo verſu, Dixit, & facta ſunt: dicuntur enim ibi creata, quæ per gratiam ſunt recreata. Tertio verò modo, dicitur creare, cùm illud, quod deficit, in bonum conuertitur; & hoc eſt malum ad bonum ordinare; & ſic accipitur, cùm dicitur; Ego Dominus faciens bonum, & creans malum, mala enim in bonũ conuertit. Nihilum, ergo dicitur tripliciter: vel quod omnino nihil eſt, vel quia nihil eſt ratione culpę; vel quod nihil eſt ratione pœnæ. Hæc ille.

2 ¶ DEVS ex nihilo res in eſſe produxit.] Etenim ſi nihil aliud eſt Creare, quàm abſque materia præiacenti aliquid in eſſe producere, & in principio creauit Deus cælum, & terram; vtique ex nihilo res in eſſe produxit. Tho. contra

tra Gent. l. 2. cap. 16. Notandum quòd neque ex ſacra ſcriptura, neq; ex Doctorum vſu, qui Latinæ linguæ habentur principes poteſt colligi, verbum, Creare, duntaxat illam efficientiam ſignificare, quæ nullam ſibi materiam ſubijcit: etenim in ſacris litteris hoc etiam verbo ſignificatur productio de aliquo: paullò poſtea nanq; dicturus eſt Moyſes, Creauit Deus Cete grandia. Et Eccl. 7. Creauit Deus de terra hominem, & Pſal. 103. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. Et Cicero lib. 5. de finibus ità loquitur. Etenim omnium rerum quas natura creat, & tuetur: at natura non de nihilo, ſed de materia corpora format. Cur igitur ſcholaſtici agminatim docent, id verbum; ità hoc loco capi oportere, Creauit, id eſt, de nihilo fecit: Quoniam ſcripturæ, Synodi, & Patres longè anteà, ſic eſſe capiendum, præmonuerunt: Ioan. 1. dicitur, Omnia per ipſum facta ſunt, Ad Coloſſ. 1. In ipſo creata ſunt omnia, ſiue quæ in Cælo, ſiue quæ in terra, viſibilia, & inuiſibilia. Da quamcunq; volueris realem entitatē, illa certè aut Creator erit, aut Creatura. Nam Synodus Conſtantienſis damnauit Ioannem Vs, & Hieronymum Pragenſem, qui eſſe realem quandam entitatem Deo, & Creaturis ab ęterno communem, dicebant. Rurſum da quamcunq; materiam, vel etiam Metaphyſicam illam, quam Ariſt. 7. Mēt. 5. ait; Nec quid, nec quale, nec quantum eſſe (actu videlicet, quāuis poteſtate ſit omnia hęc) & quam D. Aug. l. 12. Confeſs. c. 7. eſſe prope nihil eruditè dixit; In harum rerum alterutra Claſſe viſibilium ſcilicet, aut Inuiſibilium, vt comprehendas eam oportet: quę cùm ex alia materia non fuerit producta (ſic enim in infinitum abiremus) omnino fit, vt de nihilo demum prodierit: ſenſum ergò hunc luculenter aperit Scriptura, & eſt de fide. Hiero. Viel. lect. 2. de ſex diebus conditi orbis.

3 ¶ *Solius Dei eſt creare*] Huic veritati Sacræ Scripturæ auctoritas atteſtatur, quæ Deū omnia creaſſe affirmat. Gen. 1. In principio creauit Deus Cælū, & terrā. Tho. 2. cōt. gent.

c. 21. Nihilominus obſeruanda eiuſdẽ Doctrina 2. Sent. d. 1. a. 3. de Ratione Creationis eſt, vt non pręexiſtat aliquid ſibi ad minus ſecundũ naturæ ordinẽ: hoc autẽ poteſt accipi vel ex parte Creãtis, vel ex parte creati. Si ex parte Creantis, ſic dicitur illa actio eſſe creatio, quæ nõ firmatur ſuper actione alicuius cauſſæ præcedentis, & ſic eſt actio tantùm cauſſæ primę: quia omnis actio ſecũdæ cauſſæ firmatur ſuper actione cauſſæ primæ: Vnde ſicut non poteſt communicari creaturæ quod ſit prima cauſſa, ita non poteſt communicari ſibi quod ſit creans; in hoc ſenſu, omnino ſolius Dei eſt creare; ſi autem ſumatur ex parte creati, ſic illius propriè eſt creatio: cui non præexiſtit aliquid in re, & hoc eſt eſſe. Vnde dicitur in libro de cauſſis: quod, prima rerum creatarum eſt eſſe: & alibi in eodem libro dicitur, quod, eſſe eſt per Creationem, & aliæ perfectiones ſuperadditæ per informationem, & in compoſitis præcipuè illud eſſe, quod eſt primæ partis, ſcilicet materię: & ex parte iſta accipiendo creationẽ potuit communicari creaturæ: vt per virtutem cauſſę primę operantis in ipſa aliquod eſſe ſimplex, vel materia produceretur. In hoc ſenſu, propria virtute creare ſolius Dei eſt; virtute verò à Deo communicata poteſt & creaturæ cõpetere. Scio eundem D. Thomam 1. p. q. 45. a. 5. ſentire creaturam neq; per potentiam diuinam poſſe eſſe inſtrumentum creationis, ratio eſt, omne inſtrumentum habet aliquam operationem propriam præuiam operationi participatæ à principali agente, cui deſeruit. Quod autem creatur, producitur ex nihilo, & nullo ſubiecto præſuppoſito. Quare circà illud non poterit inſtrumentum aliquod habere aliquam propriam operationem, & ex conſequenti neque Deo deſeruire ad Creationem. Quæ ratio & ſi fortaſſis efficax ſit, bifariam nihilominus (ni fallor) dilui poteſt. primò, Non ſunt quidem omnibus actionibus omnia inſtrumenta idonea, ſed alia ijs, alia illis magis congruunt: verum de ratione inſtrumenti non eſt, vt dicit Doctor ſubtilis 4. ſent. d. 1. q. 4. quod ſit actiuum, ſed poteſt quodcunque agens principale vti ali

quo inſtrumento ad aliquam operationem, quin inſtrumentum ipſum habeat aliquam operationem propriã, præuiam operationi participatę à principali agente. Licet enim quando faber lignarius ſerra ſcindit lignum, vt faciat Sedem, pręuium quidem ſit, ſerra ſcindit lignum ad faciendum ſedem, magisq; ſerrę, ſit proprium ſcindere lignum, quàm facere ſedem: tamen ne hoc quidem propriam eſt ſerræ vt ſcindat lignum, ſed id habet à principali agente: & ſi aliquis ea vtatur duntaxat ad ſcindendum, nulla erit operatio propria ipſius, quæ antecedat ſciſsionem ipſam ligni, quę eſt operatio participata à principali agente, & ad quam etiam Serra ei ſeruit vt inſtrumentum. Andre. Veg. De Iuſtif. l. 7. c. 13. Secundo, idem ipſe D. Tho. de pot. q. 6. a. 4. concedit Sanctos aliquando inſtrumentaliter concurrere ad opera miraculoſa, Dicente Greg. 2. Dialog. Sancti ex poteſtate quandoq; miracula faciunt. Sicq; mentẽ ſuam declarat. Deus ſolo imperio miracula operatur, idcirco inquantum diuinum præceptum per homines creaturę præſentatur, agunt homines vt inſtrumẽtum diuinæ virtutis ad perfectionem miraculi, & præſentare imperium tale eſt opus proprium illius creaturæ, & ſe habet vt præuium operi miraculoſo. V.g. tempore Ioſue volebat Deus ſolem ſtare, hoc diuinum præceptum fuit præſentatũ Soli à Ioſue dicente, Sol cõtrà Gabaon ne mouearis, ſtetitq; ſol &c. applicando prædicta propoſito noſtro. Deus ſolo imperio creat. Dixit Deus fiat, &c. Dixit, id eſt, iuſsit. Ion. 2. Et Dixit Dominus piſci. &c. & Pſal. 32. ipſe mandauit, & creata ſunt: quatenus igitur hoc imperiũ pręſentaretur creaturæ non exiſtenti in ſe ipſa, exiſtente verò in mente Dei, per hominem, poſſet dici homo inſtrumentaliter concurrere ad creationem. Da Deum concedere homini, vt poſſit formare corpus humanum organizatum, da rurſum eidem concedere, vt dicere valeat. Creetur anima, quę hoc corpus informet, vtique hoc poſito, fateri poterimus hominem fuiſſe inſtrumentum creationis illius animæ, quatenus ad illam, imperium diui-

num per hominem delatum eſt. Nec dicas diuinũ imperium nequit ad nihil deferri, Si imperatur ipſi nihil, deferri poteſt & imperium, at Deus ipſi imperat, mandauit & creata ſunt, Dixit, & factum eſt. Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quę ſunt. Rom. 4. Si conſideres hominis virtutem ſecundum ſe, impoſſibile eſt, quòd imperiũ alicuius ad creaturam inſenſibilem deferat: Si conſideres vt eleuatam ad hanc dignitatem vt ſit exequutrix diuini Imperij, & deferens illud, quemadmodum ad creaturam inſenſibilem deferre poteſt, ità ad creaturam non exiſtentem, quoniam Deo ipſum Nihil obedit, & omnia ſecundum eſſe Ideale in ipſo ſunt. Creatura igitur ad opus creationis præuiam operationem habere poteſt, quæ eſt diuini Imperij ad rem creandam delatio, atq; propterea potentia creandi ei communicabilis eſt.

4 ¶ *Creatio eſt abſque ſucceſsione.*] Vnde ſcriptura creationem rerum in indiuiſibili factam pronunciat dicens. In principio &c. quòd quidem principium, Baſilius principium temporis exponit, quod oportet eſſe indiuiſibile, vt in 6. phyſ. probatur. D.Tho. cont.gent. l. 2. c. 19. Patrocinatur etiam ratio. ſucceſſio in rerum factionibus ex defectu materiæ prouenit: quę non ſufficienter eſt à principio ad ſuſceptionem formę diſpoſita: Vnde quando materia iam perfectè diſpoſita eſt ad formam, eam recipit in inſtanti: & inde eſt, quòd quia Diaphanum ſemper eſt in vltima diſpoſitione ad lucem, ſtatim ad prǽſentiam lucidi in actu illuminatur: nec aliquis motus prǽcedit ex parte illuminabilis, ſed ſolùm motus localis ex parte illuminantis, per quem fit prǽſens. In creatione autem nihil prǽexigitur ex parte materię, nec aliquid deeſt agenti ad agendum, quod poſtea per motum ei adueniat, cùm ſit immobilis: Relinquitur igitur quòd creatio ſit in inſtanti. Vnde ſimul aliquid dum creatur, creatum eſt, ſicut ſimul illuminatur, & illuminatum eſt.

5 ¶ *Non poteſt demonſtratiuè probari mundum incepiſſe.*] Id quod eſt fidei demonſtrari non poteſt, quia fides eſt non apparentium, Heb. ij. Sed Mundum ex quodã principio temporis

poris eſſe creatum, eſt articulus fidei, vnde & prophæticè à Moyſe dictum eſt, In principio &c. vt Greg. in 1. Homil. Ezech. dicit: Ergo non poteſt demonſtratiuè probari mundum incepiſſe. D. Tho. 1. p. q. 46. a. 2. & quol. 3. a. 31. De hac quæſtione, vtrùm ſcilicet contradictionem implicet mundũ ab ęterno produci, tres ſunt opiniones. pri. D.Tho. vbi ſuprà, & Argent. 2. ſent. d. 1. q. 2. a. 2. Non repugnat ſimpliciter creaturam eſſe ab æterno. Repugnat ex ſuppoſitione mundum fuiſſe ab ęterno, Neque nouitas mundi, neque ęternitas ratione demonſtratiua probari poteſt. Secunda eſt Dur. 2. ſent. d. 1. q. 2. & 3. permanentibus, & incorruptibilibus non repugnat eſſe ab ęterno, ſucceſſiuis verò, & corruptibilibus repugnat. Tertia eſt Bon. cit. d. q. 2. Henri. quolib. 1. q. 7. Alb. petri, Ric. Vldar. Guliel. apud Carthucit. d. q. 4. Mundum produci ab ęterno contradictionem implicat. Secundum hanc opinionem facillimè ſatisfit quæſito; Cur Deus potiùs creauerit mundum in tempore, quàm ab ęterno, cùm nihil aliud induxerit ipſum ad mundũ creandum niſi bonitas ſua. Reſpondetur enim, quòd mundus non fuit ab æterno creabilis, Rursũ ſi quæratur, cùm Deus in mundi creatione, rerum vtilitatem, laudem, & gloriam ſuam intenderit, creaturis autem fuiſſet maior vtilitas de mundi creatione ſi ab æterno extitiſſet, quantò ęternitas maior eſt tempore, cur igitur non creauit? Quoniã impoſſibile fuit mundum ab ęterno creari. Ergo dicet aliquis, Ariſtoteles philoſophorum ſummus hanc impoſſibilitatẽ ignorauit. Reſponſio ex D. Bon. loco cit. colligitur. Ponere mundum æternaliter productum, ponendo res omnes ex nihilo productas, implicat in ſe manifeſtam contradictionem; at ponere mundum æternum præſuppoſita æternitate materiæ, rationabile eſt, & intelligibile, dupliciq; exemplo manifeſtatur. Egreſsus rerum mundanarum à Deo eſt per modum veſtigij: at ſi pes eſſet ęternus, & puluis in quo formatur veſtigium eſſet æternus, nihil prohiberet veſtigium pedis eſſe æternum, & tamen à pede eſſet veſtigium. proin

de ſi

de ſi materia eſſet coæterna auctori, quid prohiberet ipſum veſtigium eſſe ęternũ? immo videretur congruum. Rationalis Creatura procedit à Deo vt vmbra, filius vt ſplendor, ſed quam citò eſt lux, ſtatim eſt ſplendor, & ſtatim eſt vmbra, si ſit corpus opacum ei obiectum: Itaq; ſi materia eſſet coæterna auctori tamquam opacum luci, quemadmodum rationabile eſt ponere filiũ qui eſt ſplendor, coęternũ patri, ita rationabile foret mundũ; qui eſt vmbra ſummæ lucis ponere æternum. Ariſtoteles igitur ad vitandam contradictionem habuit ponere aut mundum eſſe factum ex tempore, aut non eſſe factum ex nihilo. Hæc Bon. Ego autem mentem meam explico tribus propoſitionibus. prima. Nouitas mundi non poteſt demonſtratiuè probari, verùm eſt, ſi de Demonſtratione oſtenſiua ſermo ſit, ſi autem de Ducente ad impoſſibile, fortaſſe non eſt verum. Vnde & Doctor ſubtilis in hac quæſtione problematicus eſt: Secunda. Tale vniuerſum non potuit ab æterno produci. probatio clara, vtique tranſacti fuiſſent homines infiniti. Vnuſquiſque autem habet ſuam animam immortalem, ergo eſſet numerus animarum actu infinitus, quod eſt impoſſibile, vt habet D. Tho. 1. p. q. 7. a.4. hæc ratio eſt efficaciſſima, vt colligere licet ex eodem, cit. p. q. 46. a. 2. ad 8. & ex Caiet. Tertia, Mundum incepiſſe ſola fide tenetur: Verùm eſt, eo modo quo incepit, videlicet per interualla dierum: ſicq; intelligi poteſt auctoritas Greg. Moyſes prophetauit de prçterito dicens. In principio &c.

6 ¶ *Deus non agit ex neceſsitate naturæ.*] Omne agens de neceſsitate naturæ producit effectum coęuum ſibi niſi impediatur: Sed virtus Dei, quę infinita eſt, impediri non poteſt: Si ergo res ex neceſſitate naturæ ageret, mundum ſibi coæternum creaſſet, quod eſt contrà fidem. Rurſum, ab vno ſecundum neceſſitaté naturæ operante non eſt niſi vnũ, quia ſecundum philoſophum, idem ſemper facit idem. ergo ſi Deus eſſet agens per neceſſitatem naturę, ab ipſo non eſſet niſi vnum immediatè: & ab illo vno eſſet aliud, vel alia,

&

& ſic deinceps, quod eſt contrà fidem, quæ Deum omnium Entium creatorem confitetur, & nullum alium creatorem eſſe. Non ergo agit ex neceſſitate naturę. D. Tho. 1. Sent. d. 43. q. 2. a. 1. in contra. Ex hoc quod Deus voluntariè agit in rerum productione, collige ſimul ſtare iſta duo, Actio, qua Deus mundum produxit, eſt æterna. Mundus non eſt ab æterno productus; Effectus ab Intellectu, & voluntate ſequitur ſecundum determinationem Intellectus, & imperium voluntatis: ſicut autem per Intellectum determinatur rei factio, & quæcunq; alia conditio, ità pręſcribitur ei tempus: etenim ars non ſolùm determinat vt hoc tale ſit, ſed etiam vt tunc ſit: medicus ordinat potionem, & tempus potionis: vnde ſi eius velle per ſe eſſet efficax ad effectum producendum, ſequeretur de nouo effectus ab antiqua voluntate, nulla actione de nouo exiſtente. Nihil igitur prohibet dicere actionem Dei ab ęterno fuiſſe, effectum autem eius non ab æterno, ſed tunc quando ab æterno diſpoſuit. D. Tho. 2. contrà gent. c. 35. Immo ſecundùm Alb. ſuper 4. cap. cęl. Hierar. concedi poteſt, quòd Deus ab æterno creauit res, ſed res non ſunt ab æterno creatę. Et ſi obijcias, actiua vertitur in paſſiuam, dicit, hoc fallere in illis, in quibus patiens non recipit totum actum agentis. Sol enim viuificat illuminata: attamen lapides non viuificantur, cum non habeant proportionem ad ſuſtinendum vitam, quæ per actum ſolis infertur, actus autem diuinus infinitus eſt. Vnde nulla res eſt ſibi proportionata ad ſuſtinendum ipſum in toto. Sed quod ipſe æterna actione efficit: quædam ſuſtinet in ęuo, quędam in tempore, & ideo non eſt neceſſarium, vt quod ipſe æterna actione fecit, ab ęterno ſit factum. Actio nanquę agentis per voluntatem eſt duplex; Interior ſcilicet, & exterior, ſicut cogitatio operis, & voluntas eſt interior actio artificis, exterior verò eſt ſecare, vel dolore &c. Exterior ſemper eſt ex defectu interioris: Si enim cogitatio, & Voluntas eſſet cauſa efficax operis, nunquam artifex moueret manum. In Deo eſt tantùm actio interior, exterior autem

tem actio ipſius non eſt niſi reſpectus quidam creaturæ ad ipſum. Suum enim intelligere, & velle efficax eſt ad cauſſandum rem. Intelligit autem, & vult ab ęterno, aliquid in tempore fieri, & hoc immobiliter ſtat. Vnde ipſo cauſſante immobiliter res ab æterno, ſecundum prędefinitum tem pus ex ordine ſapientiæ diuinę exeunt in eſſe mutatione facta ſecundùm ipſas tantùm. Hæc Alb. D. Tho. de pot. q. 3. a. 17. ad 26. negat iſtam. Deus facit res ab ęterno: Quoniam facere vltrà diuinam actionem ęternam importat reſpectum in creatura, & ponit creaturam in actu. Attamen, quia 3. ſent. d. 13. in exp. lit. concedit iſtam. Deus ab ęterno res operatur, Deus ab ęterno res agit. opinor in ſenſu conuenire. Facere (inquit ille, propriè eſt actus rei tranſiens in materiam exteriorem. Vnde philoſophus dicit 6. Eth. artificialia eſſe factibilia: & ſic Deus non fecit aliquid ab æterno, ſed operatio dicitur quilibet actus rei etiã ſi exterius non tranſeat: Sicut intelligere eſt operatio Intellectus, & poteſt eſſe ſine motu. Vnde phil. dicit 7. Eth. Deus vna ſimplici operatione gaudet. Per hunc modum Deus ab æterno res operatur: ſicut artifex cogitando, formas artificialium.

7 ¶ *Deus immediatè plura produxit.*] Aug. 12. confeſſ. exponens. In principio creauit Deus Cęlum, & terram, dicit, in principio, id eſt, in verbo ſuo ſibi coęterno fecit Deus intelligibilem, atque ſenſibilem: ſpiritualem, atq; corporalem creaturam, Deus ergo non per aliquam creaturam mediam, ſed per Verbum ſuum coæternũ ſibi, quod eſt idem eſſentialiter quod ipſe, produxit plura immediatè: ſpiritualem ſcilicet, & corporalem ſubſtantiam. Aegid. 2. Sent. d. 1. q. 3. a. 3. Declaratur, Deus, agens per intellectum, & voluntatem, intelligit, quòd nulla creatura poteſt ipsũ perfectè capere: ſed quęlibet ab ipſo deficit: magis autem & minus, ſecundùm quòd vna eſt perfectior, vel imperfectior alia: & quot modis videt creaturas poſſe ipſum participare, & imperfectè capere, tot modis videt ſe imitabilem, & participabilem

pabilem à creaturis; & videns ſe tot modis participabilem; videt eſſentiam ſuam eſſe propriam ideam, & rationem creaturarum: nihil enim aliud eſt idea plantæ in mente diuina, quàm diuina eſſentia intellecta, vt imitabilis per modum plantæ, &c. igitur diuina eſſentia eſt tota; & propria ratio producendi quamlibet creaturam; at omne agens per intellectum poteſt omne illud per ſe ipſum producere, cuius habet totam, & propriam rationem factiuam. Quòd enim Faber lignarius, agens per intellectum, non poſſit facere arcam ſine ligno, hoc eſt, quia ratio, quam in mente habet, non eſt ratio totius ſimpliciter, ſed formæ; etenim ab arca, quę eſt in mente, non fit ipſa materia ſimpliciter, ſed fit arca in materia, vt declaratur 7. Meth. Cęlum, dato etiã quod per intellectum ageret, & eſſet ratio totius, fortaſſis adhuc non poſſet producere equum ſine equo: quia non eſt ratio propria. Eſt enim Cęlum quoddam vniuerſale agens: non propria ratio huius, vel illius, ſed determinata ad hoc, vel ad illud, ſecundùm aliam, & aliam diſpoſitionem materiæ, vel ſecundùm aliud, & aliud agens, in quo recipitur influentia eius. Angelus, per rationes rerum, quas habet apud ſe, non adhibitis ſeminibus, nequit res producere: quoniam illę rationes, dato quòd ſint totius, & dato quòd ſint propriæ, non tamen ſunt factiuæ, ſed repræſentatiuæ tantùm; at diuina eſſentia eſt tota, propria, & factiua ratio cuiuslibet creaturæ: tota quidem, quoniam quicquid perfectionis eſt partis, reſeruatur in toto, & omnia entia nõ ſunt niſi quędã participationes Dei: propria autẽ, quoniam creaturę ſũt quędã entia deficiẽtia à Deo, cùmq; alio modo deficiat hæc creatura, alio modo alia, ſecundùm alium, & alium deficiendi modum, erit Deus propria cuiuslibet creaturæ ratio, ità quòd omnia proprijs rationibus ſunt condita, vt vult Aug. lib. 83. quæſt. factiua, & non repræſentatiua tantùm, quoniam ſemper primum in quolibet genere, eſt cauſa omnium eorum, quæ ſunt poſt. Vnde Aug. ait, Has rationes rerum principales, appellat ideas Plato, quarum

par-

participatione fit, vt ſit, quicquid eſt. Si igitur omne agens per Intellectũ poteſt omnia illa immediatè producere per ſe ipſum. quorum habet rationes proprias, totales, & factiuas: Deus; quia eſt huiuſmodi, potuit multitudinem rerum per ſe ipſum immediatè producere, & produxit. Hæc ſummatim ex Aegid.

8 ¶ *Creatura corporalis eſt à Deo immediatè producta.*] Dicitur Gen. 1. In principio creauit Deus Cælum, & Terram: per quæ creatura corporalis intelligitur. Ergo, creatura corporalis eſt immediatè à Deo producta. D. Tho. 1.p.q. 65.a.3. Error eſt in fide, aſſerere, quòd cùm mundus creatus eſt à Deo, aliqua creatura concurrit cum ipſo ad creandum, quod magis habetur ex communi ſenſu Eccleſiæ, & Sanctorum, quam ex aliquo expreſſo loco Scripturæ, aut Concilij. Adducitur locus iſte Gen. In principio creauit Deus Cælum, & terram. Sed hic non negatur expræſſè, quòd in creatione concurrit vt inſtrumentum aliqua creatura. Nihilominus ratione Theologica inde colligitur, Solum Deum ſine inſtrumento creaſſe. Arguitur enim ſic. In principio, ideſt, antequam quicquam faceret, creauit cælum, & terram, ergo nulla creatura potuit eſſe inſtrumentum. Probatur conſequentia. Quia euidens eſt lumine naturali, quod inſtrumentum eſt prius, quàm effectus. Item, cùm in principio Geneſis ſecundùm numerum dierum ſex, Dicitur Deus aliquid feciſſe ex aliquo, ſemper illud explicatur. V.G. producat terra animam viuentem in genere ſuo iumenta, & reptilia &c. Ergo cum primum fecit ſubſtantiam corpoream, ſolus fecit, aliàs dixiſſet cum quo fecit, ſicut de alijs dixit ex quo facta ſunt. nec dicas, Diuerſitas effectuũ demonſtrat diuerſitatem cauſſarum: quia idem ſemper facit idem. Si ergo omnes creaturæ tam ſpirituales, quàm corporales ſunt immediatè à Deo productæ, nulla eſſet inter creaturas diuerſitas, nec vna magis diſtaret à Deo, quâm alia. Quod patet eſſe falſum: cùm propter longè diſtare à Deo, dicat philoſophus, Quædam corruptilia eſſe.

Biſa-

Bifariam enim euacuatur, primò, quemadmodũ ipſe Deus vnus abſq; ſuæ ſimplicitatis detrimento diuerſorum cognoſcitiuus eſt, ita ſecundùm diuerſa cognita diuerſorum productorum cauſſa eſt per ſuam ſapientiam: ſicut & artifex, apprehendendo diuerſas formas, producit diuerſa artificiata. Tho. loco cit. Idem ergo ſemper facit idem, ſecundùm idẽ, vt ſecundùm vnam, & eandem rationem: non niſi vnum poteſt producere, at ſecundùm diuerſas rationes, poteſt diuerſa producere. Secundò, in omni producto à Deo, cùm creatio ſit tranſiens in exteriorem materiam: id eſt, in exteriorem ſubſtantiam (vt materia ſumatur largè pro omni ſubſtantia) eſt ibi duo conſiderare, & actionem, quæ tranſit, quę ſe habet, vt actus, & ſubſtantiam, in quam tranſit, quæ ſe habet, vt potentia. Videt Deus, quòd multæ, & variæ eſſentiæ poſſunt ab ipſo procedere, ſecundùm quod, ipſe multis, & varijs modis eſt imitabilis à creaturis: Et in poteſtate ſua eſt producere hanc naturam, vel illam. Quoniam & ſi habeat in ſe rationes totales, proprias, & factiuas: ipſæ tamen non ſunt productiuæ rerum, niſi ſecundùm ſuæ voluntatis imperium: Producendo ergo has quaſcunque naturas: quantum eſt ex parte ſui, ſemper facit idem, quia non producit huiuſmodi naturas, niſi communicando eis ſuum eſſe, quibus naturis productis, quantum eſt ex parte ſui, totum ſe exponit, & totum ſe communicat: ergo quantum eſt ex parte ſui, omnibus communicat idem eſſe: quia omnibus communicat totum ſuum eſſe. Sed quòd non omnes totum recipiant, hoc eſt, quia à Deo deficiunt: & quod non omnes idem eſſe accipiant, hoc eſt, quia non omnes naturę eodem modo deficiunt. ergo idem manens idem ſemper facit idem, modo quo diximus. Sed propter iſtud facere idem, negare non poſſumus, quin ab eo procedat multitudo rerum immediatè: quia habet apud ſe rationes omnium, per quas poteſt immediatè omnia producere, in quibus omnibus productis quantum eſt de ſe, ſemper facit idem, quia ſemper eis communicat idem eſſe, ipſa tamen

men naturæ non recipiunt idem: quia non eodem modo recipiunt illud eſſe. Aegid. loco proximè citato.

9 ¶ *Angeli non ſunt creati priuſquam Cœlum, & Terra.*] Etenim ſi in principio creauit Deus Cælum, & Terram, nihil fecit ante Cælum, & Terram, & ita ante Angelicam naturam facta ſunt Cælum, & Terra, & nihil ante ipſa. Alb. 2. p. q. ij. De creatione Angelorum tres inuenio opiniones. Gennadius arbitratur, eos potius natura ſubſecutos eſſe huius orbis conditionem, quoniam quod animale eſt, prius eſt, quàm ſpirituale, 1. cor. 15. & prius Adę corpus formatum fuit, quàm in eo Deus inſpirauerit animam. Atlicet reſpectu eiuſdem, prius ſit imperfectum, quàm perfectum, attamen ſimpliciter, perfectum prius eſt imperfecto. Greg. Naz. Orat. in Chriſti natiuitatem, & Orat. 2. in Paſcha. Baſil. Homil. 1. in Exám. Orig. homil. 4. in Iſa. Hiero. in Epiſt. ad tit. Dam. l. 2. Orth. fid. c. 3. Iſid. de ſum. bon. Hilar. l. de ſin. Opinantur Angelos creatos ante ſenſibilem mundum, cuius conditionem intendat deſcribere Moyſes, idcirco de eis non egit. Aug. autem, quem Scholaſtici ſequuntur, tenet, Angelos creatos eſſe cum hoc mundo ſenſibili. Ego ità opinor: Si Moyſes creationem Angelorum prætermiſit, profectò creati fuere ante hunc mundum ſenſibilem. Etenim nouem ſunt cauſſæ, cur Scripturæ aliqua ſilent: prima, quòd nullam cum ſubiecta materia, quam ſibi ſacri auctores tractandam ſumpſerunt, cognationem habeant: Sic Moyſes ſiluit multorum filiorum Adæ nomina, vitam, prophetias. Erant hæc aliena à ſuo ſcopo. At verò Angeli ſunt principalior pars Vniuerſi, cuius creationem Moyſes deſcripſit. Neq; dicat quiſpiam. Hac Hiſtoria præparabat Moyſes Hebræos ad Chriſtum tanquam Redemptorem, ideircò creatio Angelorum aliena erat à ſuo ſcopo. Quoniam Chriſtus non erat futurus eorum redemptor. Nonne Angelus diuinę Incarnationis fuit nuntius? nonne diuinorum reuelationes fiunt hominibus, mediantibus Angelis? Nonne per Chriſtum, eorum ruinæ inſtauratæ, & eorum lætitia aucta?

Cur de Auibus, & Animalibus egit? Num illorum fuit Chriſtus redemptor? Secunda, propter myſterium, ſicut ſiluit natales, parentes, & vitæ annos Melchiſedech, vt eſſet illuſtris Chriſti figura. Heb. 7. Hac quoq; de cauſſa nõ ſcripſit Adam Deo ſacrificaſſe, ne author gratiæ is eſſe videretur, qui peccati origo fuerat. D.Tho.2.ſecundæ q.85.a.1. At non poteſt aſſignari myſterium, propter quod tacuerit Angelorum creationem. Tertia, propter impios, & irriſores, ne ſcilicet Sanctum canibus exponatur, propter hoc, excepta forma Baptiſmi, & Euchariſtię, aliorum ſacramentorum formę non habentur in Scriptura, ſed ex Apoſtolorum traditione. D.Thò. 3.p.q.72.a.4.ad i. & in addit. q. 29.a.7. ad i. Nullus verò impiùs irrideret Moyſem, ſi Angelornm creationem deſcripſiſſet. Imò vituperatur à Iuliano Cęſare, quia Angelos prætermiſit, vt refert Cirrillus. Quarta. Quia notiſſima ſunt, vt quod Dominus reſurgens à mortuis Matri apparuerit. Verùm Angelos, à Platone in Thimęo Deos Deorum, à Peripateticis Intelligentias appellatos; Creatos eſſe, non eſt ita notum: immò pleriq; poſuerunt eos duntaxat in genere cauſſę finalis à Deo depẽdere. Quinta, propter aurium ſanctitatem, mallens intelligi, quàm proferre. vt loquitur Hieron. contrà Heluid. Huius generis ſunt Blaſphemię, & res obſcenæ. Quare vtitur verbo benedicere pro maledicere. Iob 2. Benedic Deo, & morere, & 3. Reg. 21. Benedixit Naboth Deo, & regi. Conſtat autem hac de cauſſa Angelorum creationem non prætermiſſam. Sexta, voluit Deus, vt viua voce, non verò literis, multa credentibus exponerentur. Dantur enim traditiones, Scriptura antiquiores. Sed neq; hac de cauſſa prętermiſſa eſt, alioquin in alijs Scripturę locis de ipſa non ageretur. Pſal. laudate eum omnes Angeli eius; & ſubdit. Ipſe dixit, & facta ſunt. Et in Cantic. trium puerorum. Benidicite eum omnes Angeli eius. Septima, propter in capaces, qui non poſſunt altiora myſteria capere. Ioa. 17. Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis ea portare modò.

1. Co.3. Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis. Octaua, quia ſi diceretur, aliquando offendiculo eſſe poſſent. Propter hoc Paulus, Heb. 7. perſtringens totam Melchiſedech hiſtoriam prætermiſit Panis, & Vini oblationem, ne hęretici accommodarent illam ad victimam Crucis, de qua ſola in ea Epiſtola verba facit. ſignificat enim altaris ſacrificium. His duabus de cauſſis, dicunt nonnulli, Angelorum creationem prętermiſſam. Quod mihi nunquam potuit probari. Etenim inferius cap. 3. dicitur; collocauit ſcilicet Deus, ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeũ gladium, atque verſatilem; ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Rurſum, in hoc eodem libro ſcribitur, Quo modo tres Angeli occurrerunt Abraham, Loth duo, Iacob verò agmina, & Caſtra Angelorum obuiam fuerunt, & vnus cũ eo luctabatur vſq; mane. Amplius, Exod. 32. cùm Dominus eſſet indignatus Iſraeli, propter peccatum vituli, dixit Moyſi. Duc populum iſtum quò loquutus ſum tibi; Angelus meus prȩcedet te: præterea, populus Iſrael, aut ſciebat Angelos dari, aut non, non poteſt dici quòd neſciret, cùm prædeceſſoribus eorum Angeli fuerint familiares. Si autem ſciebat Angelos dari, vt verè ſciebat, congruum erat Moyſem eorum creationem explicare, ne ex hoc ſcilicet, quòd creati non reperiuntur, putentur dij, & non habuiſſe principium. Relinquitur igitur, quòd propter nonam cauſſam eorum creatio prætermiſſa ſit, ſi prætermiſſa eſt. Silent Scripturæ multa, quia falſa ſunt. Aug. de ſpiritu, & lit. c. 31. Nuſquam legimus in Sacris Scripturis: Non eſt voluntas niſi à Deo, & rectè non eſt ſcriptum, quia verum non eſt. alioquin peccatorum (quod abſit) auctor eſt Deus. Cùm igitur Moyſes huius ſenſibilis mundi conditionem deſcribere intenderet, Angelorum creationem prætermiſit, ſi prętermiſit, quia Angelus creatura cæli & terræ inuenitur antiquior. Neq; Concilij Lateran. diffinitio, quę habetur de Sũ. Trin. & fid. cath. ità opinari impedit; quoniam vti colligitur ex prędictę Decre-

cretalis interpretatione à D. Tho. ædita, Concilium loquitur contra Errorem Origenis Dicentis, Spirituales tantùm creaturas eſſe per ſe à Deo productas, Corporales verò, propter Spiritualium Demerita. Verba Concilij ſunt. Creator omnium viſibilium, & inuiſibilium, ſua omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis vtranq; de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam. Notula D. Tho. eſt, quòd quolibet verbo reprobat aliquam hæreſim. Verbo, viſibilium & inuiſibilium, reprobat Manicheos. Verbo omnipotenti virtute, Menandrianos, qui mundum hunc creatum mediantibus Angelis dixere. Verbo, ſimul ab initio vtranq;. Originem qui dixit vt ſupra etc. Verbo, ab initio temporis, Ariſtotelem. Verbo, ex nihilo, Anaxagoram. Non eſt probabile, Concilium, tantorum Doctorum, tam ſolennem opinionem, de qua Caſſianus lib. 8. Collat. ait; Quòd ſuo tempore erat ab omnibus recepta, vnico verbo, non citato auctore, non poſitis eius rationibus, voluiſſe reprobare. Si, eod. tit. cap. Damnamus, reprobatur opinio Abbatis Ioachim, de Collectiua Dei vnitate, mentio fit de authore, auctoritates, quibus abutebatur, exponuntur; idem eſt obſeruare, eiſdem tit. in 6. cap. Fideli, & in Clement. cap. Fidei. Dixi autem, ſi prætermiſit, quoniam ſecundùm Aug. creatio Angelorum deſcribitur ſub nomine cæli, & lucis, vt dicetur inferius.

10 ¶ *Materia prima eſt terminus Creationis.*] Hæc enim eſt, quæ diuerſis nominibus nominatur, vt patebit inferius. Biel 2. d. 12. q. 1. De creatione materiæ duæ opiniones. Vna D. Tho. præcipuè Quol. 3. a. 1. Dur. 2. Sent. d. 12. q. 2. Argent. ead. a. 2. Bon. ead. q. 1. Deus non poteſt facere, quòd materia prima ſit ſine omni forma. quoniam Nihil implicans contradictionem ſubeſt diuinæ potentiæ, ſed materiam eſſe ſine forma actualiter in rerum natura implicat contradictionem. Omne enim quod eſt actu, vel eſt ipſe actus, vel eſt potentia participans actum; eſſe actum repugnat ra-

tioni materiæ, quę ſecundùm propriam rationem eſt ens in potentia, participare actum repugnat materię ſine forma, quoniam actus participatus à materia nihil aliud eſt, quàm forma. Altera opinio eſt Doctoris ſubtilis cit.d.q.2.Greg. Arim. & Bieli. Hi arbitrantur, Deū poſſe facere materiam ſine omni forma. Etenim ſi Deus poteſt facere accidens ſine ſubiecto eſſe, vt conſtat in Sacramento Altaris, cur non poterit facere materiam ſine forma, cum ipſa, vt pars ſubſtantiæ, potior ſit accidente? Rurſum, ſi mediante forma Deus conſeruat materiam in eſſe; cur non poterit conſeruare ſine illa, cùm quicquid poteſt mediante creatura, poſſit immediatè? Cui placet opinio D. Tho. dicat, magis repugnat eſſe in actu materię ſine forma, quàm accidenti ſine ſubiecto, nam accidens cùm ſit forma, eſt actus quidam, materia autem ſecundum id, quod eſt, eſt ens in potentia. Illa quoque propoſitio. Quicquid poteſt Deus mediante, &c. Vera eſt in genere cauſſæ efficientis. Fallit in genere cauſſæ formalis, & materialis; Non enim poteſt facere album ſine albedine, nec animal ſine corpore; ratio eſt. Materia, & forma ſunt intrinſeca rebus, idcirco ab ipſis excludi non poſſunt: at verò agens ſemper eſt extrinſecum, propter quod virtute diuina à cauſſalitate rei abſque contradictione excludi poteſt. Item; Deus eſt cauſſa efficiens non formalis, vel materialis rerum. Cui placet opinio Doctoris ſubtilis, dicat. Materia, in quantum recedit à non ente, ſeu nihilo, in tantumq́ ſortitur, & habet aliquid de oppoſito, hoc eſt, de Entitate, quæ, quamuis non ſit actualitas formalis completa, naturaliter per ſe ſubſiſtens; attamen eſt entitas abſoluta, incompleta, ſupernaturaliter conſeruabilis in eſſe. Eſt enim materia extra nihil, actu materia, & actu ens; licet in potentia ad formas. Secundùm opinionem primam, non poteſt dici creata, ſed concreata. D. Tho. 1.p.q.7.a.2. Secundùm alteram, poteſt dici creata. Vtrùm autē materia in principio creata ſit ſimpliciter nuda ab omni forma ſubſtanciali, & accidentali; diuerſa ſenſerunt Doctores, vt refert.

fert Bielus loco citato. Argent. verò vbi ſuprà habet. Si materia propriè fuiſſet creata, ità quod totum compoſitum non fuiſſet immediatè productum de nihilo, ſed ſola materia, tunc Cælum, & terra non fuiſſet creata, ſed genita, cuius oppoſitum habetur in principio ſacri Canonis, cum dicitur: In principio creauit Deus Cælum, & terram. Conſequentia inde patet, quoniam quod immediatè non educitur de Nihilo, non creatur, ſed generatur, eo quòd ſua forma educitur de materia naturaliter præſuppoſita, Dico igitur, quòd per ſe totum compoſitum creatum fuit à Deo in prima rerum creatione, & creatione ipſius totius compoſiti, Deus creauit partes compoſiti. Hæc ille. propoſita igitur concluſio parum firma eſt.

11 ¶ *Creari propriè Compoſitorum eſt, & ſubſiſtentium.*] Cęlum & Terra de quibus dicitur, In principio creauit &c. ſunt res compoſitæ ſubſiſtentes. ergo horum propriè eſt creatio. Tho. 1. p. q. 45. a. 4. Addit & rationem. Creari eſt quoddam fieri, fieri ordinatur ad eſſe rei. Vnde illi propriè conuenit fieri, & creari, cui conuenit eſſe: Quod quidem conuenit propriè ſubſiſtentibus, ſiue ſint ſimplicia, ſicut ſubſtantiæ ſeparatæ: ſiue ſint compoſita, ſicut ſubſtantię materiales. Illi enim propriè conuenit eſſe, quod habet eſſe; & quod eſt ſubſiſtens in ſuo eſſe. Formæ autem, & accidentia, & alia huiuſmodi non dicuntur entia, quaſi ipſa ſint, ſed quia eis aliquid eſt: vt Albedo ea ratione dicitur ens, quia eius ſubiectum eſt album. Vnde ſecundùm philoſophum, accidens magis propriè dicitur entis, quàm ens. Sicut igitur accidentia, & formæ & huiuſmodi, quæ non ſubſiſtunt, magis ſunt coexiſtentia, quàm entia. ità magis debent dici concreata, quàm creata. propriè verò creata ſunt ſubſiſtentia.

12 ¶ *Vna eſt materia Celeſtium, & terreſtrium quantùm ad eſſe.*] Secundùm expoſitores cùm dicitur. In principio creauit Deus, nomine terræ intelligitur materia omnium Viſibilium, ergo ſi illa vna fuit, & aliquam formam habuit,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

videtur quòd cæleſtia, & terreſtria ex vna materia quantum adeſſe fuit producta, Bon. 2. Sét.d. 12.a.2.q.1. Materia, iuxtà D. Bonauenturæ mentem concipi poteſt, ſecundùm Eſſentiam, quomodo eſt informis per poſſibilitatẽ omnimodam, & dum ſic conſideratur, formarum ipſa capacitas, ſiue poſſibilitas eſt ſibi pro forma, & vt, habet eſſe in natura, & ità dicit Concluſio. Vnam materiã, &c. attamen dupliciter intelligi poteſt, aut ſecundùm eſſe, quod materia habuit ante rerum ex ea productionem: aut ſecundùm eſſe, quod habet poſt productionem rerum ex ea, primò ſine dubio, inquit ille, vna fuit materia corporum Cæleſtium, & terreſtrium, quia vna fuit moles habens vnam formam incompletam. Secundo modo abſque dubio differt Cæleſtiũ, & terreſtrium, materia quantum ad eſſe, tum quia ſub vna forma eſt corru- 2
ptibilis, ſub alia incorruptibilis, tũ quia ſub vna eſt ſubiecta priuationi, ſub alia non: & hoc non ſolùm facit diuerſitatem in materia ſecundum eſſe quantum ad actum; imo etiã quantùm ad potentiam ordinatam ad actum: quæ quidem diuerſitas non eſt in materia ſecundùm quod eſt formis elementaribus ſubiecta. Nam & ſi materia igni ſubiecta, & aeri, habeat aliud, & aliud eſſe actuale, tamen quia vtrobique ſubiecta eſt trãſmutationi, & priuationi, & poſſibilis ad vtrũque, ideo dicuntur habere vnam materiam ſecundùm eſſe. In cæleſtibus autem corporibus, & elementaribus non contingit hoc reperire. Non quęrit vtrùm vna ſit cæleſtium, & terreſtrium materia ſecundùm eſſentiam, quia hoc modo etiam arbitratur vnam eſſe ſpiritualium, & corporaliũ, eod. lib. d. 3. q. 3. Cęterum Alb. 1. p. q. 53. m. 2. Informem materiam duplici nomine nominari inquit, ſcilicet Cæli, & terræ, quia ſecundum ſubtilem philoſophorum conſiderationem, non eſt vna materia corruptibilium, & incorruptibilium.
De hac quæſtione quatuor inuenio opiniones, vna Docto- 21
ris ſubtilis 2. Sent. d. 14. q. 1. Nulla eſt in Cælo materia ſecũdùm Ariſtot. nec eiuſdem, nec alterius rationis, ex quo infert, quòd ſecundùm philoſophos, Cælum non poteſt eſſe

ani-

animatum formaliter, at theologicè loquendo, concedit cũ corrumptibilibus cælum habere eandem. Altera Dur. cit. lib. d. 14. q. 1. Materia (inquit) dupliciter accipi poteſt. vno modo, vt eſt pars rei faciens cum forma vnum compoſitum, & ſic non eſt in Cęlo, ſed ipſum eſt corpus ſimplex, non ſolùm ſimplicitate oppoſita mixtioni, per quem modum Elementa dicuntur corpora ſimplicia, ſed ſimplicitate oppoſita compoſitioni, quæ eſt ex partibus diuerſarum naturarũ, puta ex materia, & forma, qua ſimplicitate nullum corpus generabile, & corruptibile poteſt eſſe ſimplex. alio modo poteſt accipi materia, vt eſt ſubiectum actu ens, ſicut dicimus omnia accidentia habere materiam; in qua ſunt, quia ſupponunt ſubiectum ens (etiam ſimplex) ſicut ponitur de anima reſpectu potentiarum ſuarum non organicarum, Et iſto modo, materia eſt in cęlo, immo verius loquendo, Cęlum eſt materia ſuæ quantitatis, Diaphaneitatis, luminoſitatis, & motus. Hanc dicit eſſe opinionem Ariſt. & Comment. Differt à prima, quia non addit theologicè materiã in Cælo ponendam. Tertia eſt Aegid. cit. lib. & d. q. 3. a. 4. & D. Bon. vt ex ſuperioribus colligi poteſt. Materia cæleſtium, & inferiorum eſt eiuſdem rationis. Quòd autem cæleſtiã incorruptibilia ſint, non eſt ratione materiæ, ſed formæ, quę non habens contrarium, nec priuationẽ annexam, ſatiat totum appetitum materiæ; Declaratur exemplo, Hidropicus dupliciter ſatiari poſſet, vno modo, ſi daretur ſibi ad bibendum, quantum poſſet bibere: alio modo ſi auferretur infirmitas, quæ eſt hydropiſis. primo modo, nullatenus ſatiari poteſt: quoniam manente illa infirmitate ſemper plus appetit, quàm poſſit bibere. Secundo modo, poteſt ſatiari: amota enim hydropiſi, bibens quod ſibi ſufficeret, ſatiatus eſſet: nec vlterius bibere appeteret. Priuatio eſt quędam materiæ hydropiſis, ideo coniuncta priuationi plus appetit, quàm poſſit habere: & ex hoc nunquam ſatiari poteſt, exiſtens nanque ſub vno contrario, ratione priuationis, appetit eſſe ſub alio: quæ ſimul habere non poteſt. At Deus

materiam Cæli ſatiauit, non imprimendo ei omnẽ formam, ſed imprimendo formam non habentem contrarium, & ex hoc ipſam ab hydropiſi id eſt, priuatione, ſanauit, quæ non eſt annexa niſi formæ habenti contrarium, propter quod Cælum incorruptibile remanet. Quarta eſt D.Tho. 1.p.q. 66.a.2. Materię cæli & horum inferiorum ſunt alterius rationis. Materiam Cęli, & inferiorum eſſe eiuſdem rationis, eſt eſſe eiuſdem ſpeciei, & diſtingui tantùm numero, non ex ſe, ſed ex quantitatibus, & formis ſub quibus ſunt, prout diuerſæ formæ diuerſas materię partes informant: eſſe diuerſarum rationum, eſt eſſe diuerſarum ſpecierum ab intrinſeco, & ſecundùm eſſentiam, ità quòd alia natura formaliter eſt materia Cęli, & alia inferiorum. Et cùm materia prima abſolutè ſit ens, quod eſt pura potentia, in genere ſubſtantię ſunt duæ primæ potentiæ, diſtinctæ realiter, & formaliter: Ità quòd ſi abſtrahatur quantitas, & forma lapidis à materia lapidis, & quantitas, & forma Cæli à materia Cæli, erit vna materia numero, & penitus indiſtincta ſecundum Aegidium; ſed ſecundùm D. Tho. ad hũc diſtinguerentur realiter, & formaliter. Iudicium lectoris ſolutum relinquo.

13 ¶ *Materia prima ante omnem diem producta fuit.*] In principio creauit Deus Cęlum, & terram. Conſtat autem hoc factum eſſe ante productionem lucis, vt ipſa Scriptura inſinuat; at cum luce cępit dies, ergo antè omnem diem fuit productio informis materiæ. Bon. 2. Sent. d. 12. a.2. q. 2. Secundum omnes, creatio Cęli, & terræ fuit antè omnem Diem quantùm ad ordinem naturæ, at quantùm ad ordinẽ temporis, ſiue durationis, diuerſimodè ſenſerunt diuerſi, vt patebit inferius. Si dicatur, Creator omnium eſt Deus lucis: ergo omnia, quę facit, facit in luce, ergo ſi creauit materiam, in luce creauit, & ità in die. Si creauit in tenebris, erat in tenebris, quomodo ergo habitat lucem inacceſſibilem? Reſpondeo, Deus non eſt lux corporalis, ſed ſpiritualis, quæ eſt lux ſapientiæ, & in hac fecit, quicquid produxit,

quia

quia omnia in ſapiētia fecit. Neq; magis eſt Deus in tenebris in loco tenebroſo, quàm luminoſo. Hæc ex Diuo Bonauēt.

14 ¶ *Non ſunt duo principia prima, Opifex, & materia.*] Cùm enim dicitur in libro Gen. In principio creauit Deus; per Celum, & terram intelligitur materia corporalis, & ſpiritualis, ergo materia cùm ſit creata, principium habet, & ità non ſunt duo principia prima. Alex. 2. p.q.1.m.2.a.3. Dicitur autem intranſmutabilis materia ſecundùm viam generationis, & corruptionis, in quantum hæc ſunt à natura, ſecundùm quod generatio eſt mutatio de non eſſe in eſſe, ſubiecta exiſtente materia: & corruptio de eſſe in non eſſe: attamen tranſmutabilis eſt: eò quòd de nihilo proceſſit in eſſe, & in quantum eſt de ſe, poſſibilitatem habet ad non eſſe. Hæc ibi. Cōfirmatur propoſita concluſio, quæ eſt de fide. Hoc nomen terra dupliciter in ſacris litteris accipitur: aliquando capitur (idq; vſitatius) pro vno ex quatuor elementis. Sicq; capitur, cùm dicitur, Congregentur aquæ. Et vocauit Deus aridam Terram. aliquando verò capitur pro maſſa illa, ex qua omnes creaturæ corporeæ deriuatæ ſunt, de qua dicitur, quòd erat inanis, & vacua, id eſt informis, eo modo, quo dicetur, tanquam rudis, indigeſtaq; moles, ex qua partes diuerſę ſumptæ ſunt ad diuerſarum formarum ſuſceptionem; & hęc eſt de qua dicitur. In principio creauit, hoc eſt, maſſam illam, quam philoſophi materiam primam vocant. Alf. de Caſtr. l. aduer, Her. V. Aqua.

EXPOSITIO.

IN primo capite Gen. Secundùm omnes ſcholaſticos, triplex opus Dei in prima mundi productione deſcribitur, ſcilicet opus creationis, opus diſtinctionis, opus ornatus. Opus creationis, eſt opus productionis creaturæ de Nihilo, quod deſcribitur antè omnem diem, cum legiſlator Moyſes ait. In principio creauit Deus Cælum, & terram: Terra autem erat inanis; & vacua. & tenebrę erant ſuper faciem abyſſi: & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Opus

Opus diſtinctionis eſt, quo ab inuicem diſtinctę ſunt partes mundi principales ſcilicet Cælum, & elementa, aut per formas ſubſtantiales non quidem de nouo creatas, ſed de prę-iacenti materia productas: vel accidentales, & per locationem eis debitam, & diſtinctam. Et hoc deſcribitur factum in primis tribus diebus: quorum primo facta eſt lux, ſecundo, firmamentum: tertio, aqua, & terra. Et licet die tertia deſcribatur productio plantarum, quę pertinere videtur ad opus ornatus terræ, tamen quia plantę immobiliter terræ adhęrent, quaſi pars toti, ideo cum terra deſcribuntur. Ornatus enim propriè extrinſecum eſt, ſeparatum, ac per ſe mobile ab eo, quod ornat. Opus Ornatus eſt productio luminarium in Cęlo, & mixtorum ex materia elementorum, quibus cæleſtia corpora, & ipſa elementa ornantur. Et hęc deſcribuntur vltimis tribus diebus facta ſcilicet quarta, quinta, & ſexta; Quarta opus ornatus Cæli, Quinta ornatus aquæ. Sexta ornatus terræ. Biel. 2. d. 12. q. 2. In principio ſecundum D. Tho. 1. p. q. 46. a. 3. tripliciter exponitur ad excludendum tres errores. Quidam poſuerunt mundum ſemper fuiſſe, & tempus non habere principium. Et ad hoc excludendum exponitur, In principio ſcilicet temporis. Quidam poſuerunt duo eſſe creationis principia, vnum bonorum, aliud malorum, & ad hoc Excludendum exponitur, In principio id eſt, In filio. Sicut enim principium effectiuum appropriatur patri, propter potentiam, ità principium exemplare appropriatur Filio propter ſapientiam: vt ſicut dicitur, omnia in Sapientia feciſti, ità intelligatur omnia feciſſe in Principio, id eſt, in filio. Secundum illud Apoſtoli Col. 1. In ipſo (ſcilicet) filio condita ſunt vniuerſa. alij dixerunt corporalia creata à Deo mediantibus creaturis ſpiritualibus, & ad hoc excludendum exponitur, In principio, id eſt ante omnia. Quatuor enim ponuntur ſimul creata, Cęlum Empyreum, materia corporalis, quę nomine terræ intelligitur, tempus, & natura Angelica. Hęc D. Tho. D. Bon. 2. Sent. d. 13. cir. lit. dub. 4. Quærit, cur recipitur iſta, pater

eſt

eſt in filio, & creauit in filio: hæc autem non recipitur, pater eſt per filium, licet recipiatur iſta; pater operatur per filium? Reſpond. præpoſitio, In, poteſt importare cauſalitatem, & identitatem. cauſſalitatem, vt cum dicitur Omnia ſunt in Deo, identitatem, vt cum dicitur, pater eſt in filio; at prępoſitio, per, quantum eſt de ſe, importat cauſſalitatem. Itaq; conuenienter dicitur: pater operari in filio: & ratione Identitatis, quia pater operans eſt in filio: & ratione cauſſalitatis, quia filius eſt cauſſa effectus producti à patre. Hæc autem prępoſitio, Per, quando importat habituditem cauſſę, & principij, non recipitur niſi in illis verbis, quę important aliquem effectum, reſpectu cuius filius habet cauſſalitatem: & ideo recipitur, quòd pater operatur per filium, ſed non recipitur, quòd pater ſit per filium. Hęc ille. Cęlum, & Terram. D. Bon. cit. lib. d. 12. cir. lit. dub. 1. quatuor ſunt huius verbi principales expoſitiones; prima. Cęlum, & Terra vnam, & eandem materiam nominant; ſcilicet materiam informem omnium corporaliũ, prout tamen de ipſa debebant fieri duorum corporum genera, ſcilicet cæleſtia, & elemẽtaria, vt ſenſus ſit. In principio Creauit Deus cęlum, & terram, id eſt, materiam, ex qua debebant fieri cælum, & omnia elementa: & iſta expoſitio confirmatur per ſubſequentem litteram: ſubſequenter enim exprimitur qualiter factum eſt cęlum, & qualiter facta eſt terra. Altera eſt expoſitio ab hac valde longinqua, quia nomine cęli vult intelligere naturam ſpiritualem: nomine terrę, naturam corporalem: vt ſenſus ſit. In principio Creauit Cælum, id eſt, Angelicam naturam, & terram, id eſt, materiam primam: Quæ expoſitio confirmatur per ſequentem litteram, quia in ſecunda die productio Cęli corporei exprimitur: ergo in principio temporis, ſi qua fuit productio cæli, non fuit cæli corporalis, ſed ſpiritualis. Tertia eſt quaſi media inter iſtas. Per terram intelligitur elementum terrenum, & per Cælum tria alia elementa, quę ſimiliter ſuper terram circumquaq; in modum nebulæ erant ex

panſa

panſa, & in vna confuſione permixta; ſiue potius in vna permixtione confuſa, circunquaque ſuſpenſa, quę eouſque in altum protendebatur, quouſque nunc ſummitas corporeæ naturæ pertingit. Hęc ſimiliter videtur per litteram ſequentem confirmari. Quarta quæ communior eſt, & planior. Per Cælum intelligit Empyreum, quod eſt Angelorum habitaculum, in quo Angeli ſunt creati, per terram verò materiam omnium corporum intra ipſum contentorum, ſiue cælęſtium, ſiue terreſtrium. concordat ſequenti literæ, quæ exprimit de illa materia facta eſſe corpora cęleſtia, & Elementaria. Si quæras, quare illa duo Scriptura diſtinguit? plana eſt reſponſio. Empyreum completum erat, immutabile, & habebat menſurari ęuiternitate cum ſuis contentis: materia verò illa incompleta erat, & ſubiecta mutabilitati tam ipſa, quàm ea, quę ex ipſa futura erant, & ideo debebant menſurari tempore. Propter quod Scriptura diſtinxit illa duo valde rationabiliter, & eleganter, cùm in primaria conditione diuerſas haberent menſuras, ſecundum quas ad inuicem differrent, ſiue eorum differentiæ innoteſcerent. Hæc D. Bon. De Celo Empyreo; Quod dari, vt notiſſimum ſupponit hęc quarta expoſitio, quatuor ſunt opiniones. Vna quæ eſt Caietani, hoc Cælum non recipit, tùm quoniam nulli bi ſcripturæ eius meminerunt, tùm verò quòd ſine cauſſa (vt inquit) & abſque ratione efficaci priſci Doctores illud in Eccleſiam inuexerunt. Etenim nec viſu comprehenditur, nec motu circumuoluitur, & Angeli incorporei ſunt, multòq; magis eorum Conditor Deus. Sed reſpondemus, Eccleſiam ex traditione Apoſtolorum ipſum recepiſſe, tantæq; auctoritatis eſt traditio, vt apud veteres diceretur. Traditio eſt, nil aliud quęras. Adducuntur poſteà rationes à Doctoribus perſuadentes, conuenienter ità eſſe. Secunda, cuius Aug. ſteuchus eſt Auctor in lib. De reb. incorp. & inuiſib. non ſolùm Cælũ Empyreum recipit, ſed æternum, & increatum dicit. Sed aliquid eſſe præter Deum æternum, fides Catholica negat. Vocat Baſilius hoc Cęlũ æternum,

non

non quaſi fuerit ſemper, cum expreſsè dicatur in principio creatum, Sed quoniam nunquam deficiet, vt potè ab omni corruptione, & mutatione, ex diuina voluntate alienum. Tertia, quam Cardinalis A'iacenſis quæſt. 3. ſuper Sphærã ſuſtinet, creatum fatetur, ſed ratione naturali poſſe probari docet: ibi enim probare conatur, oportere eſſe ſuper omnes ſphæras mobiles, vnam quoq; quieſcentem, quam non obnueret (opinor) hoc Empyreum eſſe. Quarta communis eſt, Dari quidem Cęlum Empyreum fatetur, at ratione naturali probari poſſe, negat. Etenim quicquid de Cælis cognoſcimus hoc eſt, aut per viſum, aut per motum; at Empyreum nec motui, nec viſui ſubiacet, vt conſtat, & Sancti Docent, lucidum quidem eſt, immo dicitur Empyreum, non ab ardore, ſed à ſplendore, vt habet Mag. 2. Sent. d. 2. Verùm lumen ſuum ſenſus noſtros latet, vt placet Argent. cit. diſt. q. 2. a. 1. Quoniam ſicut luna, ex eo quod obſiſtit viſui, & non eſt tranſparens, aufert à nobis lumen Solis, quando interponitur inter nos, & ſolem, ità octaua Sphera, quia ex nulla ſui parte eſt tranſparens, & Diaphana, obſiſtit viſui noſtro, ac lumine Cęli Empyrei nos priuat. Vel, vt placet Ric. cit. d. a. 3. q. 2. illius lumen improportionale eſt oculis non glorificatis, ſicut lumen corporis glorificati, aut propter longam à nobis diſtantiam multiplicatio prædicti luminis vſque ad viſum noſtrum non protenditur, niſi fortaſſis ità debiliter, vt ab eo apprehendi nequeat. Vel, ſecundum D. Thomam cit. diſt. q. 2. a. 2. propter illius Cæli ſubtilitatem non eſt ibi lux ità aggregata, vt viſum noſtrum in pręſenti mouere poſſit; ſicut ignis in ſphera ſua non lucet ità, vt poſſit viſum noſtrum mouere. Sed cur Deum eſſe ratione naturali inueſtigari poteſt, & non cælum Empyreum, cùm tamen Cælum Empyreum, vt corporeum, minus ſi elõgatum à ſenſu, & phantaſia, quàm Deus penitus incorporeus? quoniam, effectus Deum oſtendentes non ſunt elongati à ſenſu, & à phantaſia, immo veritas iſtius propoſitionis, Deus eſt, ità ex effectibus, quos videmus in creaturis

manifeſta eſt, vt à ſapientibus, tanquam per ſe nota habeatur; propter quod Apoſt. loquens De cognitione gentilium, quam de Deo habuerunt. Inuiſibilia Dei per ea, inquit, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: Sempiterna quoq; virtus eius, & diuinitas. Ariſt. quoq; non ſolùm Deũ eſſe, verum etiam vnum Deum eſſe, quaſi neceſſaria ratione deducit 12. Meth. circa finem. Sed Cælum Empyreum eſſe, non apparet euidenter ex aliquo effectu nobis noto in Creaturis. Hæc Argent.

NOTABILIA.

1 CVM dicitur Deus eſt Creator, ſenſus eſt, Deus eſt Deus, à quo incipit creatura. Si dicas, ergo Vocabulum, Creator, ab Aeterno conuenit Deo. Non ſequitur; Nam Deſtruere facilius eſt, quàm conſtruere omnino: vt dicit Ariſt. Ad hoc, vt ſim homo albus, neceſſaria ſunt duo, ſcilicet, vt ſim homo, & ſim albus, ad hoc, vt non ſim homo albus, ſufficit, vt non ſim albus. Itá, vt Deus ſit Creator, duo ſunt neceſſaria, ſcilicet, vt ſit Deus, & vt ab ipſo incipiat eſſe creatura: Sed ad hoc, vt non ſit creator, ſufficit vt ab eo non ſit creatura. Alex. 1. p. q. 53. m. 1. Aliter reſponderi poteſt. Nullum coniunctum poteſt affirmari niſi pro vtraque parte: ſed negari poteſt pro altera tantùm: ſicut in veritate, & falſitate propoſitionis affirmatiuæ manifeſtum eſt. Et quoniam temporale includit in ſe quandam negationem cum affirmatione, ſcilicet aliquando eſſe, & aliquã do non fuiſſe. Aeternum autem tantùm importat affirmationem eſſendi, ideo coniunctum non poteſt dici æternum, niſi vtrunq; ſit æternum. Temporale autẽ dici poteſt, etiam ſi alterum tantùm ſit temporale. Sicut Creator importat diuinam operationem, & connotat effectum in Creatura actualiter, ratione cuius Deus non dicitur Creator ab ęterno, ſed ex tempore. D. Tho. 1. Sent. d. 14. q. 1. a. 1. ad. 5.

2 In eadem veritate aſſentiẽs aliquis alicui ſecundùm quod Catholico Doctori meretur, aſſentiens vt hæretico demeretur,

tur, aſſentiens vt philoſopho, nec meretur, nec demeretur. Vnde Eſtò, quòd ſicut Moyſes dixit. In principio creauit Deus Cælum, & terram. itá etiam diceret Ariſt. itá etiam Arrius: qui crederet, quòd Moyſes dicit, mereretur, quia crederet quòd Spiritu Sancto fuerit afflatus: & itá crederet primæ veritati. Qui crederet, quod Ariſt. dicit, nec mereretur, nec demereretur, quia adhæreret ſapientiæ mundanæ: qui crederet quod Arrius dicit, putans Arrium, qui fuit hæreticus, eſſe Doctorem verum, demereretur, quia aſſenſus eſt fundatus ſuper hæreſim. D. Bon. 4. ſent. d. 30. cir. lit. dub 2 Notent qui ægreferunt, Eccleſiam hæreticorum libros igni comburendos tradere, dicentes hanc poenam minimè infligendam eſſe, hac ratione, quòd illa punitio magis obeſt fidelibus, qui libris hæreticorum carent, inquibus, & ſi ſint aliqua errata, ſunt tamen alia multa egregiè dicta, quæ uix apud alios fideles reperiantur, quibus iniuſtum eſſet carere. At timendum eſt, ne amore eorum, quæ hæretici bene dicunt, allecti lectores, in ſubſcriptionem trahantur cæterorū peruersè dictorum, quapropter Eccleſia à Spiritu Sancto edocta, ſatius exiſtimat vtroq; carere, quàm vtrunq; glutere. Alf. de Caſtr. l. 1. aduer. Hęre. c. ij. Notent præcipuè religioſi, qui Ariſt. Platoniſùe libros diu, noctùque verſant, qui Auerroi, & Alexandro tantum temporis dant, quantum ſacris litteris ij, qui maximè ſacra Doctrina delectantur. Ab ſurdum quidem reputo, quod quidam dicunt, omnia eſſe Sacris litteris prodita, quæ ad rationem hominis inſtituendam videntur eſſe opportuna, & neceſſaria. Quid enim ſtultius eſſe poteſt, quàm aut in Scriptura Sacra liberales omnes diſciplinas traditas credere, aut huiuſmodi diſciplinis exiſtimare hominis rationem non bene, & vtiliter inſtitui? Melch. can. de loc. the. l. 10. cap. 3. Veruntamen modus omnibus in rebus, eſt optimus. Baſilius certè, ac Gregorius tredecim annis, vt litteris Sacris totos ſe dederent, Sapientiæ Secularis libris omnibus, Vale, dixerunt. Teſtatur etiam de ſe in Epiſt. ad Galat. Hieron. annis quindecim nullū Sapientium

Gen-

Gentilium librum ne in manibus quidem aſcendiſſe. Clemens porrò Alexandrinus, huiuſmodi Viris, qui in Eccleſia Doctores perfecti, & abſoluti eſſe debent, philoſophiæ ſtudia, cauſſa ſolùm relaxandi animi in otio permittit, & quoniam ancillas, vt vocaret ad arcem, ſapientia miſit, admonuere patres, diſciplinas, quas vocant liberales, Theologiæ ſubſeruire oportere, non dominari. Idem lib. 9. c. 9. Aliquando meditentur, qui crederet quod Moyſes dicit &c. vt ſuprà. Ità enim fiet, vt ſacrarum litterarum ſtudijs magis, philoſophiæ minus, operam nauent.

AD ARGVMENTA.

Ad 1 IVRE æſtimanda eſt creatio cæteris actionibus ad extra nobilior, neq; ex hoc, quod non habet in vtroq; ſuo termino Ens, ſiue bonum, propterea minus nobilior: immo eò nobilior, quo non quærit ſibi materiam ſubiectā: non enim ex parte ſui principij habet imperfectionem, ſed quia principium ex ſuper effluentia, alia producit de nihilo, habet perfectionem. cùm verò obijcitur actio dignior, cuius terminus dignior; & ita facere dignius, quàm creare: dicendū, licet creare reſpiciat materiam informem, nihilominus tamen & ea, quæ formata ſunt, & formæ eorum, creatæ ſunt. Vnde Auguſtinus in lib. de ſymb. Rectiſsimè creditur, Deū omnia de nihilo feciſſe: vt ordinatiſſimo Dei munere, primò capacitas formarum fieret, ac deinde omnia, quæ formantur. Et ſuper Gen. ad lit. Non temporali, ſed cauſali ordine, prius facta eſt informis, formabilis què materies, & ſpiritualis, & corporalis: nec inſtituta eſt niſi ab illo ſummo Deo, ex quo ſunt omnia, ſecundùm illud Eccl. 18. Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul. Hæc Alex. Relege decimam Concluſionem.

Ad 2 Vtentibus ſenſu, oportet intelligibilia per ſenſibilia declarare: & ſpirituales ſubſtantię, licet ſeparatæ ſint per eſſentiam à Corporalibus, nihilominus ab ipſis continentur: vnde Angeli ſecundum ſuam primam creationem collocati

ſunt

ſunt in Cęlo, animæ vero in corporibus terrenis, hoc eſt, in quibus plus abundat ſecundùm grauitatem terra, Rectè ergo per Cęlum, & terram apud vtentes ſenſu interiori, & exteriori, non ſolùm declarantur corporales creaturę, ſed etiã ſpirituales, quæ ab ijs continentur. Alex.

ad 3 Eſt cælum quod videtur, eſt quoque cęlum, quod non videtur, ſicut probatur ex authoritate pſalmi. Cælum Cęli Domino. Nihil eſſet dictu, Cęlum Cæli, niſi eſſent ad minus duo Cęli. Vtrunque ergo creauit Deus, cum vtrunq; Cælum ſit, ſicut dicit ſcriptura. In principio creauit, &c. ſimiliter, & contenta in eis. Cælum inuiſibile continet res inuiſibiles, ſcilicet Angelicas virtutes, Cęlum viſibile res viſibiles corporales. Conuenienter ergo per Cælum intelliguntur inuiſibilia omnia, quę nobis reuelantur, per terram omnia viſibilia, vnde ſequitur in pſalmo. Terram autem dedit filijs hominũ; & fides Catholica in Symbolo maiori exponens illum articulum; Creatorem cæli, & terræ, dicit, Viſibilium omnium, & inuiſibilium. Alex.

ad 4 Diuerſæ linguæ habent diuerſum modum loquendi. Vnde, ſicut propter pluralitatem Suppoſitorum Græci dicunt tres hypoſtaſes, ità, & in Hebræo dicitur pluraliter, Elohim; nos autem non dicimus pluraliter, Neq; Deos, neq; ſubſtantias, ne pluralitas ad ſubſtantiam referatur. D. Tho. Clarius Alex. 1. p. q. 50. m. 2. Sicut in Græco alia proprietas ſermonis eſt, quàm in latino, ſimiliter in Hebræo. Vnde Græcis dicentibus tres hypoſtaſes ſecundùm proprietatem ſui idiomatis, non tamen nos dicimus tres ſubſtantias: cum tamen hypoſtaſis idem ſit quòd ſubſtantia. Ex hac ratione, quia hoc nomen, ſubſtantia, in latina lingua indifferenter ſe habet ad deſignationem eſſentiæ, & ſuppoſitorũ eſſentię: in Gręco verò, hypoſtaſis eſt nomen Suppoſiti eſſentię: ideo quod in Græco ſine ambiguitate dicitur tres hypoſtaſes, pro tribus ſuppoſitis perſonis, ambigue diceretur latina lingua, tres ſubſtantiæ. Sermo autem Catholicus debet eſſe certus, non ambiguus. Simili modo iuxtà proprie-

ratem hebraici Sermonis conueniēter dicitur heloim;appropriatum enim eſt ſuppoſitis eſſentiæ: & ideo conuenienter pluraliter ponitur, ratione ſuppoſitarum perſonarum: apud latinos verò, hoc nomen Deus, pluraliter deſignaret, non ſolum pluralitatem in ſuppoſitis, imò pluralitatem eſſentię in ſuppoſitis. Hæc ille. Eſt igitur Deus pater, Filius, & Spiritus ſanctus Elohim, hoc eſt, Iudices, adiectiuè, videlicet, vti loquitur D. Tho. vbi ſuprà. Nec Sanctus Athanaſius in ſymbolo nobis vetuit, Diuinas perſonas, vel Iudices, vel Deos, vel Dominos appellare, ſed tres Deos, tres Dominos dici catholice poſſe, negauit, ac proinde, nec tres Iudices: Etenim Deus, Dominus, & Iudex, & id genus nomina, cùm alicui numero adiunguntur, ſermonem ſubſtantię inducere ſolent, quę cum vna ipſiſſimaq; in omnibus Dei perſonis ſit, rectè dictum videtur, tres minimè eſſe Deos, nec tres Dominos, aut tres iudices. Quanquam non me etiam pręterit, tres Deos, & tres Dominos, ac id genus alias formulas ab Aliacenſi, 1.d.1. & à ſcholaſticis quibuſdam ad ſanū ſenſum redigi: quippe qui aiunt, eos eſſe tres perſonaliter, non verò ſubſtantialiter. Animaduertebat enim poſſe quenquam hunc in modum argumentari, Si Iudices, & Dij, & Domini, & tres, ergo tres Iudices, tres Dij, & tres Domini. Sed nō ſemper quę ſeorſum, ac ſigillatim verè dicuntur, coniunctim quoq; verè affirmantur, vel Ariſt. in Periher. teſte. quocirca Doctrina Aliacenſis parum tuta eſſe videtur. Viel. lect.3. Sortem, Platonem, & Ciceronem dicimus tres homines: patrem autē, & filium, & S. S. non dicimus tres Deos, ſed vnum Deum: quia in tribus ſuppoſitis humanæ naturę ſunt tres humanitates, in tribus autem perſonis eſt vna diuina eſſentia. Dicamus ergo ſecuriùs tres perſonę ſunt vnus Deus, & tres habentes Deitatem. D. Tho. vbi ſuprà.

Ad 5 Primò dici poteſt, non eſſe aliud Cælum, illud de quo dicitur, In principio &c. ab illo de quo dicitur, Vocauit Deus firmamentum Cęlum. Moyſes enim ſecundùm Chryſoſtomum ſummariè dixit quid Deus fecit, præmittens.

In

In principio &c. poſtea per partes explicauit, ſicut ſi quis dicat, hic artifex fecit domum iſtam,& poſtea ſubdat, prius fecit fundamenta, deinde erexit parietes, & tandem ſuper poſuit tectum. Secūdo, per Cælum in principio creatum, ſecundùm Auguſt. poteſt intelligi natura Angelica informis, per Cælum ſecunda Die factum, Cęlum Corporeum. Tertiò, ſecūdùm Bedam, & Strabum, per Cælū factum in principio, poteſt intelligi Empyreum, per Cælum factū ſecunda die ſidereū. Quartò, ſecundùm Damaſcenum, Cęlum factum in principio eſt primum mobile, factū ſecunda die eſt ſidereū. Quintò, ſecundùm aliam expoſitionem, quam tangit Auguſt. Cælum prima Die factum eſt etiam ipſum cęlum ſidereum, per firmamentum verò ſecunda die factum intelligitur ſpatium aeris, in quo nubes condenſantur. D.
ad Tho. De hoc inferiùs.

6 Terra ſe habet ad Cęlum, vt centrum ad circunferentiā; circà vnum autem centrum poſſunt multæ eſſe circunferentiæ, Vnde vna terra exiſtente, multi Cæli ponuntur, primū eſt totaliter lucidum, Empyreumq; vocatur. Secundùm totaliter diaphanum, vocaturq; aqueum, ſeu Cryſtallinum. Tertium partim diaphanum, & partim lucidum actu, & vocatur ſidereum: atq; diuiditur in octo ſphæras: ſcilicet in ſpheram ſtellarum fixarum, & ſeptem ſphęras Planetarū,
ad quę poſſunt dici ſeptem cæli, vel ſeptem ſphęræ. D. Tho.

7 Formatio totius creaturæ eſt per uerbum Dei, quemadmodum formatio artificiatorum eſt per formam artis, quæ eſt in mente artificis, & poteſt vocari intelligibile verbum ipſius: idcirco in opere diſtinctionis, & ornatus fit mentio de Verbo, in creatione autem commemoratur filius, vt principium, non vt verbum, cùm dicitur, In principio &c. Quoniam per creationem intelligitur producta informis materia ſecundùm Auguſtinum. Vel, vt inquit Baſilius; per hoc quod dicitur, Dixit Deus, importatur diuinum imperium, prius ergo oportuit produci creaturam, quæ obediret, quàm fieri mentionē de diuino imperio, & hoc etiam

procedit ſecundùm ponentes elementa primo creata ſub proprijs formis. D. Tho.

ad 8 Tria opera tribus perſonis appropriantur, creatio, quæ ſi prima, patri, qui eſt principium non de principio, glorificatio, quæ eſt vltimus finis, Spiritui ſancto, ratione bonitatis, recreatio, quæ media eſt, filio, qui eſt media in Trinitate perſona. Inueniuntur quoque quatuor filio appropriata, ſcilicet, Sapientia, & virtus 1.Cho.1. Prędicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei Sapientiam. Aequalitas ab Auguſtino, pulchritudo, ſeu ſpecies ab Hilario. In quantum ſapientia congruit reſtaurationi, vt quæ per ſapientiam facta ſunt, per ſapientiam reſtaurentur, & quoniam homo per ſeductionem corruit in ſeruitutem, decuit eum per ſapientiam à ſeruitute illa ſaluari. Rurſus homo, qui per ſcientiæ appetitum peccauit, rectè per ſapientiam liberatur. Iterum, in quantum eſt virtus, & brachium patris, congruit ad triumphum cum hoſte ſumendum, iuxtà illud. Fecit potentiam in brachio ſuo. In quantum æqualitas, congruit morbo ſanando, quia tam homo, quàm Diabolus peccauerunt appetendo quandam Dei æqualitatem: homo ſcientiæ, Diabolus potentiæ. In quantum ſpecies, & pulchritudo congruit reparationi, quatenus deturpatio imaginis per peccatum inducta, remouetur per ipſum. D. Tho. in ſcripto, Et 3.p.q.3.a.8. inquit; Prima rerum creatio facta eſt à potentia Dei patris per Verbum, Vnde & recreatio per verbum fieri debuit à potentia Dei patris, vt recreatio creationi reſponderet: ſecundùm illud 2.Co.5. Deus erat Chriſto mundum reconcilians ſibi. Et in corpore art. Conuenientiſſimum fuit perſonam filij incarnari, ex parte quidem vnionis, quoniam conuenienter ea, quæ ſunt ſimilia vniuntur, perſona autem filij, & humana natura, ſecundùm cõmunem rationem creaturæ, ſunt ſimiles: Etenim ſicut Verbum artificis, id eſt, conceptus eius, eſt ſimilitudo exemplaris eorũ, quæ ab artifice fiunt, ità verbum Dei, quod eſt æternus conceptus eius, eſt ſimilitudo exemplaris totius creaturę. Et

ideò ſicut per participationem huius ſimilitudinis, creaturæ ſunt in proprijs ſpeciebus inſtitutę, ſed mobiliter, ità per vnionem verbi ad creaturam, non participatam, ſed perſonalem, conueniens fuit reparari creaturā in ordine ad ęternam, & immobilem perfectionem. Nam & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipſum, ſi collapſum fuerit, reſtaurat, D. Tho. Addi poteſt & ratio ex Ric. 3. d. 1. a. 2. q. 3. Sicut in creatione per quandam appropriationem relucet Dei potentia, & in retributione, Dei miſericordia, & iuſtitia, ità in humani generis reſtauratione, maximè relucet Dei Sapientia, in hoc, quod ſicut Diabolus per mulierem, virum, & lignum, genus humanum in ſeruitutem deiecerat: ità Deus per mulierem, ſcilicet per Mariā Virginem, & virum, ſcilicet Chriſtum, & Crucis lignum, reduxit ad libertatem. Ità non ſolùm ſolutum argumentum, verùm in aduerſarium retortum. Nihilominus notandum, quod in Opere creationis nihil reperitur proprium perſonæ patris, creatio nanq; eſt communis operatio trium perſonarum, quare & Moyſes eam expreſſit nomine Elohim in plurali. Sicut enim potentia generandi, & ſpirandi eſt ipſa Eſſentia abſoluta, quamuis non progrediatur in actum, niſi vt ſtat ſub reſpectu paternitatis, quo ad generationem, & ſpirationis, quoad Spiritus Sancti productionem; ità quamuis eſſentia diuina ſit principium creandi, attamen non progreditur in actum creationis niſi vt eſt in tribus perſonis. Argent. 3. d. ij. q. 1. a. 1. Attamen ſicut natura diuina, licet ſit communis tribus perſonis, ordine tamen quodam eis conuenit, in quantum filius accipit naturam diuinam à patre, & Spiritus Sanctus ab vtroq;, ità etiam virtus creandi, licet ſit communis tribus perſonis, ordine tamen quodam eis conuenit; Nam filius habet eam à patre, & Spiritus Sanctus ab vtroq;, propter quod in ſymbolo; Creatorem, attribuitur patri, vt ei, qui non habet virtutem creandi ab alio. De filio autem dicitur, Per quem omnia facta ſunt, in quantum habet eandem virtutem, ſed ab alio. Nam hęc præpo-

ſitio. Per, ſolet denotare cauſſam mediam, ſiue principiũ de principio. Sed Spiritui Sancto, qui habet eandem virtu tem ab vtroq;, attribuitur quòd dominando gubernet, & viuificet quæ ſunt creata à patre per fil.ũ.D.Tho.1.p. q. 45. a. 6. ad 2. Cęterum in recreationis myſterio aliquid reperitur proprium ipſius filij. Corpus Chriſti eſt formatum à to ta Trinitate: indiuiſa enim ſunt opera Trinitatis ad extra, licet appropriatè dicatur formatum à Sancto Spiritu, cui appropriatur bonitas, & amor, ſed corpus Chriſti ità eſt aſſumptũ à filio, quòd nec à patre, nec à Spiritu Sancto aſſum ptum eſt: verbum ità eſt incarnatum, quòd nec pater, nec S. S. incarnati ſunt. Quoniam et ſi tota Trinitas, & appropriatè Spiritus Sanctus operatus ſit ſuper benedictam incar nationem, naturam humanam formando: ad ſolam tamen perſonam filij huiuſmodi incarnatio eſt terminata. adducitur exemplum. Sint tres tangentes vnam vęſtem, corpus vnius illorũ trium huiuſmodi veſte poterit veſtiri, ità quòd actiuè tres ſunt veſtientes: terminatiuè tamen vnus ſolus ve ſtietur: ſic pater, & filius, & S. S. illam mundiſſimam tunicam humanæ naturæ, in vtero Virginis formauerunt, qua ipſum filium veſtierunt, propter quod terminus veſtitionis
ad illius extitit ſolus filius. Argent. 3. d. 1. q. 1. a. 2. & q. 2. a. 2.
9 Propoſitio illa, cuius principium eſt determinatum, & ſci tum, finis quoq; determinatè ſciri poteſt, vera eſt, ſi eius menſura ſit nobis cognita, fallit, ſi occulta. Etenim ſi ſcirem quantum alicui Deus dederit vitæ, cognito die natiuitatis, cognoſcerem quando futurus eſſet ei dies mortis, at ſi ignorarem quantũ ei vitę Deus dederit, cognito Die natiuitatis, non propter hoc cognoſcerem diem mortis. Hinc fit, quòd cognito principio alicuius rei, cuius duratio menſuratur motu cæli, poſſumus cognoſcere eius finẽ, eò quòd motus cæli eſt nobis notus, ſed menſura motus cæli eſt ſola diuina diſpoſitio, quę eſt nobis occulta, iccirco quantumcunq; ſciamus principium motus Cæli, finem ſcire non poſſumus. D. Tho.

Deci-

ad 10 Decimi ſolutio ſumenda ex dilucidatione nonæ Concluſionis.

ad 11 Reuelatio principij mundi vtilis erat admanifeſtandum Deum eſſe omnium cauſſam, ſed ſcire tẽpus determinatum finis mundi ad nihil eſſet vtile, ſed magis nociuũ, ideo principium mundi eſt nobis in ſcriptura reuelatum, non finis. Ponit D.Tho. tres rationes, propter quas non eſt congruum vt reueletur. Prima, finis mundi non erit niſi completo numero electorum, cuius completio eſt quaſi quædam executio totius diuinæ prædeſtinationis, vnde non competit reuelationem fieri de fine mundi, niſi ei, cui ſit reuelatio de tota predeſtinatione diuina, ſcilicet homini Chriſto, per quem tota diuina prædeſtinatio humani generis quodammodo adimpletur. Vnde dicitur, Ioan. 5. Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit. Secunda, per hoc quod ignoratur quandiu iſte ſtatus mundi durare debeat, vtrùm, ad modicum, vel ad magnum tempus, habẽtur res huius mundi quaſi ſtatim tranſituræ. 1. Co. 7. Qui vtuntur hoc mũdo, ſint tanquã non vtentes. prętereit enim figura huius mundi. Tertia, vt homines ſemper ſint parati ad Dei iudicium expectandum, dum omnino determinatum tẽpus neſcitur. Matth. 24. Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et ideo, vt dicit Auguſtinus in Epiſtola ad Eſichium. Ille, qui dicit ſe ignorare, quando Dominus ſit venturus, vtrùm ad breue tempus, vel ad magnũ, Euangelicæ Sententiæ concordat. Inter duos autem, qui ſcire dicunt, periculoſiùs errat, qui dicit in proximo Chriſtum venturum, vel finem mundi inſtare, quia hæc poteſt eſſe occaſio, vt omnino deſperetur eſſe futurum, ſi tunc non erit, quando futurum eſſe prædicitur.

ad 12 Theologia dupliciter tradi poteſt, per modum credulitatis, & per modum ſapientiæ, & ſcientiæ. Per modum credulitatis, vt proponuntur populo rudi ſimpliciter credẽda; quilibet poteſt eſſe auditor eius; ità loquitur Auguſtinus. Sacra Scriptura paruulis congruens, nullius generis rerum ver

ba vitauit. Verum, vt proponitur per modum ſcientiæ, & ſapientiæ, vt modo nobis poſſibili valeamus intelligere, & per ratioñe capere, quæ ibi traduntur, ſic ſolùm perfecti debent eſſe auditores eius, vnde loquitur Apoſtolus. 1.Co. 2. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui de ſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiã in myſterio, quæ abſcondita eſt. Etenim ſapientia Dei, quę eſt theologia, ſic eſt abſcondita, & tantæ ſubtilitatis, & profunditatis, quòd debent eſſe multùm perfecti in alijs ſcientijs, volentes eam ad diſcere, vt eſt ſcientia, & ſapientia: loquendo etiam eo modo, quo poteſt haberi ab homine in hac vita. Vnde, & illi ſancti Doctores, qui profundius locuti ſunt in theologia, prius inſtructi, & perfecti in alijs ſcientijs fuerunt: Sed ſecundùm Doctrinam traditam in Meth.l.1.c.2. licet ex admi rari philoſophi inceperunt philoſophari, & licet per effectus deueniamus in cauſſæ cognitionem, nobis tamen perfectis oportet, quòd ſit ordo cõtrarius ei, qui eſt à principio quęſtionum. imperfecti ergo ex effectu procedunt in cauſſam: perfecti verò è conuerſo ex cauſſa in effectum. Et quoniam perfectis theologia per modum ſcientiæ, & ſapientiæ proponi debet, ideò magiſter in ſuis ſententijs ſub quodã compendio theologiam tradere volens, primò tractauit de Deo, poſteà de Creaturis; Moyſes autem, quia loquebatur populo rudi, à quibuſdam ſenſibilibus incepit, & à creatione Cæli, & terrę, vt per illa ſenſibilia manuduceret ipſum ad credendum, quòd non erant veri Dij idola, quę colebantur, ſed erat vnus verus Deus, & omnipotens &c. Tres quoq; rationes adhuc aſſignari poſſunt, quare theologiæ, & philoſophiæ ſit diuerſus modus procedendi: apud philoſophos, prima eſt conſideratio de creaturis, vltima de Deo, apud theologos, prima conſideratio eſt de Deo. Etenim philoſophia principaliùs innititur rationi, ex conſequenti auctoritati, vnde conſueuimus dicere, quod locus ab auctoritate eſt valde debilis, & infirmus, & Alex. in ſuis Comentarijs, de Ariſt. dicit,

dicit, Non credimus huic homini magis, quàm alijs, niſi quia rationabilius loquutus eſt. At in theologia è conuerſò eſt, auctoritas enim Scripturę ſacræ valentior eſt, quàm ſit quæcunq; ratio, vel quæcunq; ingenij humani perſpicacitas, quia ergo rationes noſtræ à ſenſibilibus oriuntur; ſcientia, quæ principalius innititur rationi, à ſenſibilibus incipere debet, quæ autem principaliter innititur auctoritati diuinæ, debet prius de ipſo Deo tractare, & poſtea de alijs, vt adminiculantur veritati, quàm intendit cognoſcere. Niſi enim ſciremus, qualis eſt ille, cuius auctoritati debemus inniti: quòd habet intellectum infallibilem, & eſt gignens ex ſe uerum Verbum, qui eſt verus Deus, & ſpirans Spiritũ Sanctum, qui eſt diuinus amor, in quo omnia dona diuina liberaliter, & ſine fallacia nobis communicantur, neſciremus cui deberemus credere, & fortè crederemus poſſe per ipſum decipi. Altera ratio eſt, philoſophia eſt humana, & acquiſita ſcientia, ideo ex imperfectioribus, & ſenſibilibus ad perfectiora, & intellectualia tendit; at theologia per reuelationem accepta eſt, propterea à ſuperioribus ad inferiora deſcendit. Aegid. Poſtremò, aliter conſiderat de creaturis philoſophus, & aliter theologus, philoſophia humana eas conſiderat ſecundùm quòd huiuſmodi ſunt. Vnde, & ſecundùm diuerſa rerum genera diuerſæ partes philoſophiæ inueniuntur. Fides autẽ Chriſtiana eas conſiderat non in quantum huiuſmodi, vt potè ignem, in quantum ignis eſt, ſed in quantum diuinam altitudinẽ repræſentat, & in ipſum Deũ quoquomodo ordinatur. vt enim Eccl. 42. dicitur. Gloria domini plenum eſt opus eius. nonne Dominus fecit enarrare ſanctos omnia mirabilia ſua? Et propter hoc etiam alia circa Creaturas, & philoſophus, & fidelis conſiderant. Philoſophus nanque conſiderat illa, quæ eis ſecundùm naturam propriam conueniunt, ſicut ignis ferri ſurſum: fidelis ea ſolùm, quæ eis conueniunt, ſecundùm quòd ſunt ad Deum relata: vt potè quòd ſunt à Deo creata, quòd ſunt Deo ſubiecta, & huiuſmodi. Vnde non eſt imperfectioni

doctrinę

doctrinæ fidei imputandum, ſi multas rerũ proprietates prætermittat, vt Cęli figuram, motus qualitatem, &c. Sic enim nec naturalis circà lineam eas paſſiones cõſiderat, quas Geometra, ſed ſolùm ea, quæ accidunt ſibi, in quantum eſt terminus corporis naturalis. Si quæ verò circà creaturas cõmunitera philoſopho, & fideli cõſiderãtur, per alia & alia principia traduntur. Philoſophus argumentum aſſumit ex proprijs rerum cauſſis: Fidelis ex cauſſa prima, vt puta, quia ſic diuinitus eſt traditum, vel quia hoc in gloriam Dei cedit, vel quia Dei poteſtas eſt infinita. Vnde, & ipſa maxima ſapientia dici debet, vt potè ſemper altiſſimam cauſſam conſiderans. Secundùm illud Deut. 4. Hęc eſt ſapientia veſtra & intellectus coram populis. Et propter hoc ſibi qnaſi principali philoſophia humana deſeruit, & ideo interdum ex principijs philoſophiæ humanæ ſapientia diuina procedit. Nam, & apud philoſophos prima philoſophia vtitur omnium ſcientiarum documentis ad ſuum propoſitum oſtendendum. Exinde etiam eſt, quòd non eodem ordine vtraque doctrina procedit, Nam in Doctrina philoſophiæ, quæ creaturas ſecundùm ſe conſiderat, & ex eis in Dei cognitionem perducit; prima eſt conſideratio de creaturis, & vltima de Deo. In Doctrina verò fidei, quæ creaturas non niſi in ordine ad Deum conſiderat, primò eſt conſideratio Dei, & poſt modum creaturarum. Et ſic eſt perfectior, vt potè Dei cognitioni ſimilior, qui ſe ipſum cognoſcens, alia

Ad intuetur. D. Tho. 2. contrà Gent. c. 4.

13 Cùm dicitur, In principio Creauit Deus Cęlum, & ter-

& ram, & poſtea ſubditur. Dixit Deus &c. Secundùm opi-

14 nionem Auguſt. tenentis, omnia creata ſimul, non oſtenditur ex hoc aliud, & aliud factum; ſed per primum dictum oſtenditur quòd factnm eſt, per alia dicta declaratur modus fiendi. Eſt enim ſenſus. In principio creauit Deus Cælum, & terram, vt ſuprà expoſitum eſt, Et creauit hoc modo, quia creauit dicendo, & verbum gignendo, quod Verbum dicendo, & gignendo, fecit lucem, & firmamentum,

&

& omnia alia, quæ explitantur per opera ſex dierum. Fuit ſimul & factio rerum, & modus fiendi, ſed non potuit totum ſimul dici, ſed priùs narratur factio, & creatio rerum, cùm dicitur: In principio &c. poſtea per partes explicatur modus fiendi, quia ſimul cum cælo, & terra, dicendo, & Verbum gigendo, fecit lucem, & firmamentum, & alia. Aliter operatur Deus, aliter Angelus, aliter homo. Nam homo operatur motibus corporeis, quia mouendo manus, vel pedes, vel alia organa corporis, operatur: etiam intelligendo, & volendo non poteſt operari niſi motu corporis, quoniam non poteſt intelligere, niſi facta aliqua motione in Organo phantaſtico, quod eſt organum corporale: Et ſi non poteſt intelligere ſine tali motu, non poteſt etiã velle, quia voluntas non poteſt eſſe in actu, niſi intellectus, vel virtus apprehenſiua ſit in actu, bonum enim apprehenſum eſt motiuum voluntatis, Angelus verò operatur motibus temporis, quoniam operatur per ſucceſſionem affectionum, vt ſi modò operatur vnum, poſt modum operatur aliud, oportet quòd modò velit vnum, modò velit aliud, quod ſine ſucceſſione, & ſine motu temporis eſſe non poteſt. Vtrùm autem tempus illud dicatur æquiuocè cum tẽpore noſtro, non eſt præſentis ſpeculationis. Sed Deus operatur rationibus incommutabilibus, & æternis, quæ ſunt in verbo ſibi coæterno. Ergo cùm dicitur, In principio creauit &c. narrantur res factę à Deo: cum poſteà ſequitur, Dixit Deus, fiat lux &c. id eſt, Verbum genuit: per quod facta eſt lux, Traditur modus fiendi, quia hoc modo operatur Deus, per rationes incommutabiles, quæ ſunt in Verbo ſibi coæterno. Aegid. Alię rationes petendæ ex ſolutione ſeptimi argumenti.

Ter-

Terra autem erat inanis, & vacua.

ARGVMENTA.

1 De Terra dicitur, quod erat inanis, & vacua, in quo notatur informitas eius. De cælo autem non dicitur, ergo cælum in ſui creatione iam formam habuit, nam ſi non habuiſſet, in ſuo genere diceretur vacuum, quemadmodũ Terra in ſuo genere dicitur vacua. Alex. 2. p. q. 44. m. 2. quæſt. incid.

2 Nonne terra, id eſt, materia formas habuit? Et ita non vacua fuit. item, Inane dicitur quod eſt ſine ſoliditate, Nonne terra tunc habuit ſoliditatem corporalem? Item, viſibilis erat, cum eſſet corpus; compoſitionẽ habebat, cum non eſſet ſimplex, vt Deus, ſed creatura, quare ergo dicitur incompoſita? Alex. cit. p. q. 45. m. 3.

3 Ariſtoteles reprehendit Heſiodum, eò quòd dixit eandẽ eſſe receptibilitatem loci, & materiæ, ergo ſcriptura non debuit dicere quòd terra id eſt, materia ſit inanis, & vacua, quæ ſunt paſſiones loci, Alb. 2. Sent. d. 12. a. 2.

4 Nihil inane, & vacuum replet locum, ſed materia illa erat inanis, & vacua, vt dicitur Gen. 1. ergo non replebat locum. Bon. 2. Sent. d. 12. a. 2. q. 3.

5 Cùm noſtra tranſlatio habeat quòd terra erat inanis, & vacua, & alia habeat quòd erat inuiſibilis; & incompoſita, quomodo ſaluabitur vtraq; tranſlatio? Aegid. cit. diſt. cir. lit. dub. 3.

CONCLVSIONES.

1 Materia *non fuit creata ſub formarum diuerſitate.*] Si in materia fuiſſet formarum diuerſitas, non diceretur inanis, & vacua. Item alia tranſlatio habet; Terra erat inuiſibilis, & incõpoſita. ſed ſi fuiſſet ibi forma Cæleſtis, & elementaris. eſſet

iam ibi materia aliquomodo viſibilis, & compoſita. Bon. 2. d. 12. q. 3. Adeò quòd ſecundùm ipſum, materia in ſua creatione, imperfecta quadam forma fuit formata, quæ, nõ omne deſiderium ipſius ad formam, expleret, ſed eſſet diſpoſitio quædam ad vlteriores recipiendas formas. De hoc ſuprà dictum eſt.

EXPOSITIO.

TERRA aliter accipitur in loco iſto ab Auguſtino, & alijs ſanctis, Auguſtinus vult quòd nomine terrę, & aquæ ſignificetur ipſa materia. Non enim poterat Moyſes rudi populo primam materiam exprimere, niſi ſub ſimilitudine rerum eis notarum. Vnde & ſub multiplici ſimilitudine eam exprimit, non vocans eam tantùm aquam, vel terram, ne videatur ſecundùm rei veritatem materia prima eſſe terra, vel aqua: habet tamen ſimilitudinem cum terra, in quantum ſubſidet formis: & cum aqua, in quantum eſt apta formari diuerſis formis. Secundùm hoc ergo dicitur terra inanis, & vacua, vel inuiſibilis, & incompoſita: quia materia per formam cognoſcitur, & eius potentia per formam repletur. Vnde in ſe conſiderata dicitur inuiſibilis, vel inanis. Alij verò ſancti per terram intelligunt ipſum elementum terræ, quæ ſecundum eos dicebatur informis, nõ ſecundùm quod informitas excludit omnem formam, ſed ſecundùm quòd excludit iſtam formoſitatem, vel decorem, quę nunc apparet in corporea creatura. Tunc deerat terræ duplex pulchritudo, vna, quam habet ex hoc, quòd eſt aquis diſcooperta, & quantum ad hoc dicitur, quòd terra erat inanis, ſiue inuiſibilis, quia corporali aſpectui patere non poterat propter aquas vndiq; eam cooperientes. Alia verò, quam habet ex hoc, quòd eſt ornata herbis, & plantis, & ideo dicitur, quòd erat vacua, & incompoſita, id eſt, non ornata. D. Tho. 1. p. q. 66. a. 1. Aegid. cir. d. 12. cir. lit. dub. 4. dicit, quòd materia triplici de cauſſa vocatur terra. Etenim tripliciter conſiderari poteſt, vt infima, vt informis, vt

ad Materia,quedam habet, in quibus conuenit cum loco,
3 Nam aduentus formę,eſt in ipſam ante exiſtentem,& receſſus, ab ipſa manente vna, & eadem numero, ſicut ad locum mouetur res, & recedit ab ipſo immoto manente, & quoad hoc ei attribuuntur paſſiones loci in comparatione ad formam. Alb.

ad Sicut locus dupliciter dicitur vacuus, aut propriè, aut per
4 priuationem corporis ſolidi, & ſenſibilis, ceu arca dicitur vacua propter abſentiam panis, & dolium vacuum propter abſentiam vini; ità materia poteſt dici dupliciter vacua, aut quia non habet aliquam formam, & ſic nunquam fuit vacua, aut quia non habuit formam omnimode perfectiuam, & ſic quamuis eſſet vacua, tamen locũ poterat replere, quia erat extenſa, & corporea. Bon.

ad Et ſi ex dictis poſſit haberi ſolutio, dicitur nihilominus,
5 quòd duplex eſt forma, ſubſtantialis, & accidentalis, rurſum, forma dupliciter comparatur ad materiam, nempè vt finis, & vt recipitur in ipſa materia. Verba alterius tranſlationis poſſunt referri ad materiam prout comparatur ad aliam; & aliam formam, vt dicatur materia informis terra inuiſibilis, prout comparatur ad formam accidentalem, per quam videtur, & ſentitur. Dicatur verò incompoſità, prout comparatur ad formam ſubſtantialem, cum qua facit compoſitionem primam. Verba verò noſtræ tranſlationis re ferri poſſunt ad materiam, prout comparatur aliter, & ali ter ad formam, quia inane, & fruſtra, & vanum, dicitur ali quid, vt caret fine, materia dicetur terra inanis, prout caret forma, in quantum forma eſt finis eius: dicetur autem terra vacua, prout eſt receptaculum for mæ, & caret forma, quia tunc dicitur receptaculum vacuum, quando caret ſuo receptibili: ſicut locus dicitur vacuus, quando caret ſuo locato. Aegid.

Et Tenebræ erant ſuper faciem Abiſſi.

ARGVMENTA.

1 GEN. 1. dicitur, Tenebrę erant ſuper faciẽ Abyſſi. Et poſt ſequitur, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, ſiue, incubabat, ſecundùm aliam litteram. Ergo tenebræ, licet ſint priuationes, non ſemper ortum habent à luce, ſequitur enim, Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux. Alia ergo eſt cauſſa illarum tenebrarũ, & illius lucis, ſed hæc eſt prima lux creata, & illæ ſunt primæ tenebræ: Ergo tenebrarum, & lucis diuerſa ſunt principia. Alex. 2. p. q. 1. m. 2. a. 1.

2 Si enim Abyſſus idem eſt, quod terra: ſicut dicit Auguſtinus, quare potius dicitur, quòd tenebræ erant ſuper faciẽ abiſſi, quàm ſuper faciem terræ? ſi idem eſt terra, abyſſus, & aqua, cur diuerſis nominibus nominantur? Alex. cit. p. q. 45. m. 3.

3 Tenebra dicitur priuatio lucis, priuatio antem ſequitur babitum, lumen autem non prçceſſerat, ergo non erant tenebrę. Idem cit. quęſt. m. 4.

4 Gen. 1. dicitur, quòd in principio creationis rerum tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, ſed à bono quod habet naturam lucis, non poteſt eſſe creatio tenebrarum, ergo creatio, quæ ibi deſcribitur non eſt à bono principio, ſed à malo, vt volebat Manichæus. D. Tho. de pot. q. 3. a. 6. arg. 16.

CONCLVSIONES.

1 L*VX primo die à Deo creata corporalis erat.*] Ante formationem lucis præmittitur, quòd tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: ergo ſi per abyſſum intelligitur materia corporalis, lux, quę facta eſt ad expulſionem illarum tenebrarum, erat corpora-

poralis, Poteſt tamen non indoctè intelligi formatio lucis ſpiritualis, ſcilicet naturæ Angelicæ, ſed principaliùs inſinuatur formatio corporalis. Bon.2.d.13. q. 1.

EXPOSITIO.

REFERT D.Tho.2.d. 14.a.2. ad 2. Rabbi Moyſen dixiſſe, per tenebras, quæ in principio creationis commemorantur, ignem intelligi, vt ſic numerus, & ordo elementorum deſignetur, dum ſuper terram aqua, ſuper aquam ſpiritus, id eſt aer, ſuper ſpiritum, qui eſt facies abyſſi, tenebræ deſcribuntur, eò quòd ignis in ſua ſphæra non lucet: vt a philoſophis probatum eſt. Hanc expoſitionem D. Tho.extraneam vocat, ſubditq́; , quòd in principio creationis non tanguntur niſi creaturæ, quæ manifeſtam apparentiam habent, & vtilitatem apud nos omnes, & propter hoc, etiam de aere non fit mentio, quia aer eſſe corpus à vulgo non percipitur, vnde quidam vacuum plenum aere dixerunt. Simililer & ignis elementum, ſecundùm quòd in ſphæra ſua eſt, non ſenſu, ſed ratione deprehenditur; & ideo horum creatio rudi populo explicitè non proponitur, ſed per aquam, omnia tria intelliguntur, quaſi medium corpus inter Cælum, & terram. Et ità ſoluitur argumentum. Ignis eſt nobiliſſimum corporum inter elementa, ſed non eſt probabile, nobiliſſimum corpus in operibus creationis prætermiſſum: cum ergo Scriptura ſpecialem mentionem de igne non faciat, videtur quòd nomine firmamenti intelligatur. D. Tho. ibi. Tenebrę, in prædictis verbis, ſecundùm Alex.cit. locis, nihil aliud dicunt; niſi negationem eius, quod nondum factum, fiendum tamen erat, ità quòd, dantur tenebrę præcedentes lucem, & conſequentes. Priores, non ſunt in genere priuationis, ſicut nec carentia viſus in catulo ante nonum diem eſt cęcitas, aut priuatio: poſteriores ſunt in genere priuationis. Et 3.p.q.69 m.5.a.1. Tenebra accipitur dupliciter: vno modo, pro obſcuritate, quæ eſt priuatio luminis ex obiecto corporis vmbroſi, & in iſto

ſenſu non intelligitur. Tenebræ erant; &c. Alio modo, pro carentia luminis, & tunc idem eſt Tenebra, quod lucis abſentia; & ità accipitur, Tenebræ erant, &c. id eſt, lux non erat adhuc. D. Tho. de pot. loc. cit. Tenebræ, inquit, de quibus in principio creationis dicitur, non fuerunt aliqua creatura, ſed ſola carentia lucis in aere: Non tamen malū, quia illa ſola carentia boni rationem mali induit, quæ eſt eius, quod poteſt, & debet in eſſe. Non enim eſt malum in lapide, non habere ſenſum, vel in puero ſtatim nato, non ambulare. Nec tamen ex imperfectione agentis prouenit, quòd aerem ſine luce creauit, ſed ab eius ſapientia, cuius ordo requirit, quod aliquid ex imperfecto ad perfectum ducatur. Nomine Abyſſi eadem materia informis intelligitur, Abyſſus nanque; duplicē Ethymologiam habet. Vno modo, dicitur ab a, quod eſt ſine, & byſſus, byſſi, quod eſt genus quoddam panni multùm candidi. Vt ſit abyſſus, quaſi ſine byſſo, id eſt ſine candore, & ſine claritate, & ſignatur materia informis, quę non ſit clara, & lucida, & non ſit cognoſcibilis, & viſibilis, niſi per formam: de ſe ergo eſt abyſſus; id eſt ſine byſſo, & claritate. Altero modo, dicitur abyſſus, ab a, quod eſt ſine, & baſis, quod eſt fundamentū, ſiue fundus; ergo abyſſus, id eſt, ſine baſi, & ſine fundo; Nā & homines per abyſſum intelligunt aliquid valdè profundum, & quaſi ſine fundo, & quia omnia alia fundantur in materia, ipſa autem non fundatur in alio, ſed eſt fundamentum omnium aliorum, ideo vocata abyſſus. Omnia enim alia facta ſunt ex ipſa, ipſa verò ex nihilo producta. Aegid, 2.d.12.dub.5.lit. Rurſum, materia informis ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam informitatem; primò eſt terra, ſecundò inuiſibilis, tertiò incompoſita, quartò tenebroſa, quintò abyſſus. Terra, quia infima, & propè nihil, inuiſibilis, per carentiam formæ accidentalis, incompoſita, per carentiam formæ ſubſtantialis, tenebroſa, per priuationem, abyſſus, per aptitudinem ad recipiendum omnem formam: Aegid. cit. diſt. q.3.a.1. Ex quibus ſolutiones argumento-

rum habentur. Rationabiliter dictum eſt, quòd tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & non ſuper faciem terræ, quia materia ſecundùm ſe prius intelligitur abyſſus, id eſt, quædam res apta ad recipiendum formas, poſtea intelligitur tenebroſa, quia intelligitur carere his formis, quas eſt apta nata recipere. Vide inferius ſuper illud, Fiat firmamentum &c. conc.4.& ſuper illud, Congregentur aquæ, &c. in Expoſitione.

Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

ARGVMENTA.

1 SPIRITVS Dei, eſt Deus, Deo autem non competit ferri, nec ſitum habere. Inconuenienter ergo dicitur, quòd Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Tho. 1.p.q.74.a.3.

2 Omne, quod mouetur creatum eſt, at Spiritui Sancto Scriptura diuina motum attribuit. Gen. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: videtur igitur Spiritus Sanctus creatura eſſe. D. Tho. 4. contra Gent. c. 16.

CONCLVSIONES.

1 BAPTISMVS *conuenienter fit in aqua.*] Reparatio debet creationi reſpondere, ſed in creatione mundi Spiritus Domini commemoratur primò ſuper aquas ferri, & ex aquis primò animam viuentem produxiſſe: ergo Spiritus Sanctus in opere reparationis primò dari debet in aqua; & ſpiritualis vita, & ità in aqua fieri debet baptiſma; quod eſt principium alterius vitę, & per quod primitias ſpiritus accepimus. D. Tho 4.Sent.d.3.a.3.

EXPOSITIO.

NOMEN ſpiritus à reſpiratione animalium ſumptũ vi-
detur, in qua aer cum quodam motu infertur, &
emittitur; Vnde nomen Spiritus ad omnem impulſum, &
motum, vel cuiuſcunq; aerei corporis trahitur, & ſic ventus
dicitur Spiritus, ſecundùm illud Pſal. Ignis, grando, nix,
glacies, Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.
Sic etiam Vapor tenuis, diffuſus per membra ad eorum mo
tus, ſpiritus vocatur. Rurſus, quia aer inuiſibilis eſt, tran
ſlatum eſt vlterius Spiritus nomen ad omnes virtutes, & ſub
ſtantias, & inuiſibiles, & motiuas, propter hoc, & anima
ſenſibilis, & anima rationalis, & Angeli, & Deus, Spiritus
dicuntur: & propriè Deus per modum amoris procedens, 1
nempè Spiritus Sanctus, quia amor virtutem quandam mo
tiuam inſinuat. D. Tho. 4. contrà Gent. c. 23. Poteſt igi-
tur primò exponi de Spiritu Sancto, cui ex hoc, quòd per
modum amoris procedit, & amor vim quandam impulſi-
uam, & motiuam habet, motus, qui eſt à Deo in rebus, pro 2
priè attribui videtur. Prima autem mutatio, in rebus à Deo
exiſtens, intelligitur, ſecũdùm quod ex materia creata infor
mi, ſpecies diuerſas produxit, Vnde hoc opus Spiritui San-
cto ſacra Scriptura attribuit. Dicitur enim. Gen. 1. Spiri-
tus Domini ferebatur ſuper aquas. Vult enim Auguſtinus,
per aquas intelligi materiam primam, ſuper quam Spiritus
Domini ferri dicitur: non quaſi ipſe moueatur, ſed quia eſt 1
motionis principium. D. Tho. cit. lib. c. 20. Affectio enim vo-
luntatis diuinæ erat ad formandum diuerſas ſpecies ex ma-
teria creata. Aduertendum, quòd prima rerum productio
non dicitur mutatio, ſed creatio: quia non fuerunt res pro-
ductæ ſecundum ſuam materiam ex aliquo ſubiecto, ſed be-
ne formatio, & diſtinctio ſpecierum dicitur mutatio: quia
ex materia prius creata diuerſę ſpecies ſunt conſtitutæ. Et
hod ſecundùm Auguſtini expoſitionem. Dicitur autẽ hęc
prima mutatio, quia nulla ipſam præceſſit; priùs enim intel

ligitur

ligitur creati informis materia, deinde ſtatim per diuerſas formas actuari. Franciſc. Ferra.loc.cit. Rurſus D.Tho.lib. cit.c.23. dicit,ea, quæ de Spiritu Sancto in Scriptura ſacra, pertinentia ad motum dicta inueniuntur, accipienda ſunt methaphoricè, ſicut & Deo aliquando Scriptura Sacra motum attribuit, vt eſt illud Gen. 3. Cùm audiſſent vocē Domini deambulantis in paradiſo, & 18. Deſcendam, & videbo vtrum clamorem opere compleuerint. Intelligitur enim cùm dicitur, Spiritus Sanctus ferri ſuper aquas, ſicut dicitur, quòd voluntas fertur in volitum, & amor in amatum.

Secūdo Exponi poteſt de aere,qui habet naturalem locū ſuper aquam: Vnde ad eius multimodas tranſmutationes ſignificandas, dictum eſt, quòd ferebatur ſuper aquas. D. Tho. ibi.

Tertio Exponi pōt de motu: Etenim motus primi mobilis,& tempus ſimul inceperunt cū mundo,Ità quòd,in illo inſtanti, in quo factus fuit mundus, incepit primus motus, & tempus, & certum eſt, quòd ille motus non fuit factus per Angelos, nec per motores appropriatos, ſed per ſpiritum Domini, qui ferebatur ſuper aquas. Sanè quemadmodum in generatione animalium, quę naſcuntur per propagationem, ſiue per generationem, prima animalia fuerunt immediatè producta à Deo, primus Equus, & prima Equa, nō niſi à Deo, fieri potuerunt: Vnde talia fuerunt à Deo inchoata, poſtea per ſecunda agentia continuata, ſic motus, qui incepit cum mundo, fuit à Deo inchoatus, ſed poſteà per ſecunda agentia, id eſt, per Angelos, ſiue per motores appropriatos, continuatus, Si enim, antequam peccaſſent Angeli, fuiſſent aliqui deputati ad mouendum orbes, & ad regendum vniuerſum, illi fuiſſent certi de ſua beatitudinè, & alij ſine culpa fuiſſent dubij, quod fuiſſet inconueniens. Primò ergo fuit diuiſa lux à tenebris, & fuerunt aliqui angeli auerſi, & facti tenebræ: & aliqui alij conuerſi, & facti lux, & poſtea de illis, qui erant facti lux, fuerunt aliqui deputati ad regimen vniuerſi, & ad mouendū Cælos, ſicut diui

næ placuit voluntati, & quando placuit. Ferebatur ergo Spiritus Domini, non in ſe, cùm ſit Deus, apud quem non eſt tranſmutatio, ſed in ſuo effectu, quia ipſæ aquę, quę erãt ibi, ferebantur, & mouebantur, & circulariter rotabantur, ſicut modò primum mobile mouetur, & ſecum circumuoluit omnes ſphæras cæleſtes, & ſphæram ignis, & ſphæram aeris, excepto aere, qui clauditur inter montes terræ, qui propter dictos montes impeditur, vt non circum voluatur, & rotetur, ità tunc ſtatim mundo facto, tota huiuſmodi materia cępit volui, & rotari: & tota vocata eſt aqua, quia ſicut aquæ ſunt labiles, ità tota illa materia erat mobilis, & labilis, & ſuper huiuſmodi aquas ferebatur ſpiritus Domini, quia illas faciebat ferri, & moueri. Aegid. 2.d.12.q.2.a. 3. Vel, materia illa dicta eſt aqua, quoniam aqua malè terminabilis eſt termino proprio, bene alieno: ità materia bene terminabilis eſt per formam, & debitã diſpoſitionem. Ex defectu ergo terminationis dicta eſt aqua, quia de facili ductilis, & flexibilis, ſubiacebat operanti, vt de ea omnia formarentur. Alex. 2.p.q.45. m. 3. Vel, ſecundùm Baſilium, S.S. ſuper ferebatur elemento aquę, id eſt, fouebat, & viuificabat naturam aquæ, ad ſimilitudinem gallinæ cubantis, vt talẽ virtutem ijs, quæ fouentur, inijciens; habet enim aqua præcipuè vitalem virtutem, quia plurima animalia generantur in aqua, & omnium animalium ſemina ſunt humida. Tho. 1. p. loc. cit. Vide inferiùs ſuper illud, Congregentur aquæ, &c. in ſolut. duodecimi.

NOTABILIA.

1 POTIVS verò dicitur Super aquas ferri, quàm in aquis eſſe, licet ſpiritus Dei ſit vbique. primò, quia Scriptura loquitur de Spiritu domini, qui ſuperior eſt natura in ratione agentis, ſic enim hic agitur de illo. Alex. loc. cit. m. 5. Deus, ſicut auctor naturæ, ità excedit naturam, immo, miraculorum vnum alio maius eſſe contingit, non ſecundùm comparationem ad diuinam potenciam, ſed ad facultatem

naturę,

naturę, quàm ſecundùm quoſdam gradus excedit in operando virtus diuina. D.Tho. 1.p.q.105. a.8. Secundò, dicitur Spiritus Domini ſuper ferri, ne faciendo opera ſua, putaretur Deus amare per indigentiæ neceſſitatem potiùs, quàm per abundantiam beneficientiæ. Quare ſoluitur illud argumentum. Agens propter finem, ſtatim agit niſi impediatur, ſi ergo Deus ageret propter finem, ſtatim egiſſet, feciſſetq́; mundum quàm citius potuiſſet, quod patet eſſe falſum. Reſpondetur enim, argumentum procedere de agentibus acquirentibus bonitatem ex operibus, Deus autem produxit creaturas, non vt inde bonum reciperet, ſed vt eis bonitatem, quam habebat, influeret, idcirco dicitur, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, non in aquis. Abundantia enim beneficientiæ, qua vult Deus benefacere ſuis creaturis, non neceſſitas indigentię, fecit Deum producere creaturas: propter quod ſolus ipſe eſt verè liberalis: quia agit, & producit creaturas ſuas, non vt inde bonũ recipiat, ſed vt eis bonitatem, quam habet, influat. Aegid. 2. d. 1. part.2.q. 1.a.2. in calce. Vide infrà ſuper illud. Et vidit lucem, quòd eſſet bona. In princ. Et ſuper illud, Producant aquæ &c. in ſolut. tertij.

2 Non approbat Scriptura Sacra confuſionem corporalis creaturę, quàm antiqui vocauerunt Chaos, nam ipſi poſuerunt confuſionem excludentem omnem diſtinctionem, prę ter hoc, quòd Anaxagoras poſuit intellectum diſtinctum, & immixtum. Sed antè opus diſtinctionis, Scriptura Sacra ponit multiplicem diſtinctionem, primò quidẽ, Cæli, & terrę, in quo, vt placet D.Tho. oſtenditur etiam diſtinctio ſecundùm materiam, & hoc cùm dicit. In principio creauit Deus Celum, & terram. Secundò, elementorum, quantum ad formas ſuas: per hoc; quod nominat terram, & aquam, aerem autem, & ignem non nominat; quia non eſt itá manifeſtum rudibus, quibus Moyſes loquebatur, huiuſmodi eſſe corpora, ſicut manifeſtum eſt de terra, & aqua: quamuis Plato aerem intellexerit ſignificari per hoc, quod dici-

tur, Spiritus Domini, quia etiam aer Spiritus dicitur: ignẽ verò intellexit ſignificari per Cælum, quod igneæ naturæ eſſe dixit, vt Auguſtinus refert 13.de Ciuit. Dei c. 16. Sed Rabbi Moyſes, in alijs cum Platone concordans, dicit ignẽ ſignificari per Tenebras: quia vt dicit, ignis in propria Sphæra non lucet: Sed magis videtur eſſe conueniens, quod prius dictum eſt: quod Spritus Domini in Scriptura, non niſi pro Spiritu Sancto, conſueuit poni, qui aquis ſuperferri dicitur, non corporaliter, ſed ſicut voluntas artificis ſuperfertur materię, quam vult formare. Tertia diſtinctio ſignificatur ſecundùm ſitum: quia terra erat ſub aquis, quibus inuiſibilis reddebatur: Aer verò, qui eſt ſubiectum tenebrarum, ſignificatur fuiſſe ſuper aquas: per hoc quod dicitur. Tenebrę erant ſuper faciem abyſſi. D.Tho.1.p.q.66.a.1.in calce; At ſecundùm Aegidium 2.d.13.q.1.a.1.Diſtinctio aeris, & terræ notatur, cùm dicitur. Terra erat inuiſibilis, hoc enim erat, quia cooperta aquis; per aquas autem oportet intelligamus aerem nebuloſum, & admixtum vaporibus aqueis: talis enim aqua cooperiebat tunc terram, quia aer ſic admixtus, & ſic nebuloſus velabat, & faciebat eam inuiſibilem, idcirco cùm dicitur, terra erat inuiſibilis, datur intelligi diſtinctio terræ ab aere, ſicut diſtinguitur quid quaſi coopertum à cooperiente, & velatum à velante. Diſtinctio terrę ab aqua notatur, cùm dicitur, Terra erat incompoſita. Quando tertia die dictũ fuit. Congregentur aquę &c. tunc aquę quandam ponderoſitatem acceperunt, vt nõ poſſent ſtare in aere, ſed conſtringerent ſe ſimul, ſuoq; põdere tenderent ad locum inferiorem, videlicet, ad concauitatem terræ, vbi nunc eſt mare, & quia aquæ, ſic factæ ponderoſæ, adhęſerunt terræ, fecerunt quandam compoſitionem cum terra. Diſtinctio ignis ab aere, & aqua inſinuatur, cùm dicitur, Tenebræ, per quas intelligi poteſt ignis, erant ſuper faciem abyſſi, id eſt, erant in ſuperficie abyſſi. hoc eſt, aeris admixti aquæ, qui tunc poterat vocari abyſſus propter aquam, quam habebat admixtam. Diſtingue-

guebatur ergo, ſicut quod eſt in ſuperficie, ab ipſa ſuperficie diſtinguitur.

Dixitq́ Deus, fiat lūx, & facta eſt lux.

ARGVMENTA.

1 CReatio eſt exitus de non eſſe in eſſe, cui immediatus eſt exitus de potentia materiali in actum: hoc autem eſt facere; ſed in operibus ſex dierum eſt factio; ſiue cōditio. Dicitur enim, Fiat lux, & facta eſt lux, & ità de alijs, ergo antè non fuit niſi creatio, prius ergo creabatur de non eſſe in eſſe aliquo modo materia, vt ſit ordo de non eſſe omnino, in poſſe eſſe, & deinde de poſſe eſſe, in eſſe actu: quod eſt eſſe per formam determinatam. Alex. 2.p.q. 44. m. 1.

2 Factis reſpondent verba. Sed diuerſa fuerũt facta; Quotiens dicit homo, totiens multiplicantur verba. Ergo à ſimili, quot vicibus in productione rerum dictum eſt, Dixit Deus, totidem alia, & alia verba dixiſſe Deum, cenſendum eſt. Alex. cit. p. q. 50. m. 6. a. 1.

3 Solo Verbo voluit Deus creare omnia. Gen. 1. Dixit, & facta ſunt: Ergo ſolo Verbo, non vnito alij, debuit reparare. Non ergo ſequitur, quòd Verbum caro factum ſit, vt homo reparetur. Alex. 3. p.q. 1. m. 7.

4 Ea, quæ dicuntur in Geneſi, ſecundùm Baſilium in Hexam. litteraliter accipienda ſunt, & non per allegoriam ad alium ſenſum trahenda. Cùm autem dicitur, Dixit Deus. littera non videtur ſonare aliud, niſi quod temporaliter ſonuerit: Ergo videtur, quòd de temporali Verbo, & ſono vocis prolato, accipiendum ſit. Quod ſi verum eſt; tot verba tunc dixit, quotiens dixit. Et cùm Verbum Dei, ſicut dicitur, Ioan. 1. ſit, per quod omnia facta ſunt, & hoc ſit Filius Dei, dicente Auguſtino 4. de Trin. eò Verbum eſt, quo

filius; ſequitur, quòd plures filij ſint in diuinis, quod hęreticum eſt. Alb. 2. p. q. 51. a. vlt.

5 Dicta eſt lux. lux autem per eſſentiam eſt perfectior in illuminando, quam luminoſum, quod participat lucem, cùm ergo ſol luminoſum ſit, lucem participans, videtur, quòd lux perfectior fuerit in illuminando, quam ſol. Alb. cit. q. 51. m. 2.

6 Gen. 1. dicitur, Dixit Deus fiat lux; & in pſal. Ipſe dixit & facta ſunt. hoc autem dicere eſt creare: cùm ergo omnibus diuinis perſonis ęqualiter conueniat hoc dicere, omnibus conueniet Verbum producere. Alb. 1. d. 10. a. 3.

7 Lux qualitas quædam eſt, qualitas autem, cùm ſit accidens, non habet rationem primi, ſed magis rationem poſtremi, non ergo prima die debet poni productio lucis. D. Tho. 1. p. q. 67. a. 4. arg. 1.

8 Dicere Dei eſt cauſſa creaturæ fiendę, quod non videtur poſſe intelligi de æterna Verbi genitura, quia illa ab æterno fuit, nec per vices temporum repetitur, cùm tamen in ſingulis diebus ſcriptura repetat, Deum aliquid dixiſſe. Nec etiam poteſt intelligi de locutione corporali; tum quia; nondum erat homo, qui vocem Dei loquentis audiret, tum etiam, quia oportuiſſet antè lucis formationē aliquod aliud corporeum formatum fuiſſe, cùm vox corporalis non fiat niſi per alicuius corporis formationem: ergo videtur, quòd intelligatur de ſpirituali locutione, qua Deus ad Angelos loquitur. Et ſic videtur, quod Angelorum cognitio præſupponatur vt cauſſa ad creaturarum viſibilium productionem. D. Tho. de pot. Dei q. 3. a. 18. ad 13.

9 Secundùm Auguſtinum, patrem generare filium eſt, patrem dicere ſe ſuo verbo. Sed Anſel. dicit, quòd eodem verbo pater dicit ſe, & creaturam. Cùm ergo generatio filij à patre ſit naturaliter, & non per imperium voluntatis, videtur quòd etiam creaturarum productio. Nam apud Deum non differt dicere & facere, cùm ſcriptum ſit. Dixit, & facta ſunt. D. Tho. de pot. q. 3. a. 15. arg. 13.

Pro-

10 Proceſſio ęterna diuinę perſonę eſt ratio, & cauſſa temporalis proceſſionis creaturæ, & eius, quòd in creatura eſt. Vnde Auguſt. ſuper Gen. ad litteram ſic exponit, quod dicitur Gen. 1. Dixit, & factum eſt, id eſt, Verbum genuit, in quo erat vt fieret: filius autem eſt perfectè ratio, & cauſſa productionis creaturę. Non ergo oportet eſſe aliam proceſſionem diuinæ perſonæ, pręter proceſſionem filij. D. Tho. de pot. q. 10. a. 2. arg. 19.

11 Lux corporalis eſt ad decorem, & complementum Cæli ſiderei, ſiue firmamenti: ſi ergo quod ornat, & decorat aliquod corpus, non poteſt, nec debet ante ipſum fieri, cum productio firmamenti ſpectet ad opus ſecundæ diei, videtur, quòd primo die lux corporalis nec potuit, nec debuit fieri. D. Bon. 2. d. 13. q. 1.

12 Lux corporalis eſt ad fomentum plantarũ, & animaliũ, & etiam ad ſolatium hominum, ſi ergo primo, & ſecundo die non erant plantæ, quę fouerentur, nec animalia, nec homines, quibus illa lux aliquod ferret obſequiũ, videtur quòd Deus fruſtra feciſſet eam in primo dierum, quod ſi Deus nihil fruſtra facit, reſtat, quòd per illam lucem non intelligitur lux corporalis, ſed ſpiritualis, ſcilicet, creatura Angelica. D. Bon. ibi.

13 Inter corporalia, quod propriè dicitur fieri, corpus eſt, at de luce ſcriptũ eſt: Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux. ergo corpus eſt. Doct. ſub. 2. d. 13. in ſolut. argumentorum.

CONCLVSIONES.

1 IDem eſt Verbum, quo Deus dicit ſe ipſum, & creaturas.] Vt placet Auguſtino 2. ſuper Gen. ad litt. Dixit, & facta ſunt, ità exponitur, id eſt, Verbum genuit, in quo erat, vt fieret creatura. Sed Deus pater Verbum genuit dicens ſe ipſum; ergo idem eſt Verbum, quo dicit ſe ipſum, & dicit creaturam. D. Tho. quol. 4. a. 6. Verbum Dei (vt idem. D. Tho. ſubdit) repræſentatur aliqualiter per verbum

bum noſtri intellectus, quod nihil aliud eſt, quàm quædam conceptio actualis noſtræ notitię, cum enim id, quod ſcimus, actu conſiderando, concipimus, hoc, Verbum noſtri intellectus eſt. Et hoc eſt, quod Verbo exteriori ſignificamus; ſed quia nos non totum id, quod habitu ſcimus, actu mente concipimus, ſed de vno intelligibili mouemur ad aliud, inde eſt, quod in nobis non eſt vnum ſolum verbum mentale, ſed multa, quorum nullum adæquat noſtrā ſcientiam. Sed Deus quicquid ſcit, actu intelligit, & ideo in mente eius non ſuccedit Verbum Verbo: & ſicut eadē ſcientia ſcit ſe, & omnia alia, ità etiam eodem Verbo exprimit ſeipſum, & omnia alia: nec eſſet eius verbum perfectum: vt Aug. 15. de Trin. inquit, ſi aliquid minus eſſet in eius Verbo, quàm in eius ſcientia, vnde quicquid pater ſcit, totum vnico ſuo verbo dicit: & ſic neceſſe eſt, quòd idē Verbum ſit, quo dicit ſe ipſum, & quo dicit creaturam. Hæc ille. Dicet aliquis, ergo Verbum diuinum procedit ex omnibus, quæ ſunt in ſcientia patris, D. Tho. 1. p. q. 34. a. 1. ad 3. cenſet Verbum Dei natum eſſe ex omnibus, quæ ſunt in ſcientia patris, ſcilicet eſſentia, perſonis, & omni alio intelligibili ſimplici, quod dico propter ſcita à Deo ſcientia viſionis: ità quòd pater intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnem creaturam, concipit Verbum. Procedit enim Verbum, non ex qualicunque cognitione eſſentiæ diuinæ, ſed ex comprehenſione eiuſdē; ideo oportet, vt procedat ex notitia omnium, quæ ſciuntur, cō prehendendo diuinā eſſentiā. Attamen non ambigitur, quin principaliter exprimat eſſentiam; ſecundariò verò creaturas, quemadmodum, & Deus pater principaliter intelligit eſſentiam, & ſecundariò creaturas. Creatura enim in eſſentia diuina, ipſa autem eſſentia in ſe intelligitur, & exprimitur. Quo fit (ni fallor) Doctorem ſubtilem 2. d. 1. q. 1. a. 2. quo ad hoc, parum, aut nihil diſcordare ab Angelico. Habet enim, Verbū Dei ex vi productionis ſuæ, non procedere ex ſcientia creaturarum, ſed diuinæ eſſentiæ. Etenim

idem

idem D. Tho. de verit.q.4.a.5.quærens,num Verbum relationem ad creaturam importet; reſpondet, quia pater principaliter dicit ſe, generando Verbum ſuum, & ex conſequenti dicit creaturas, ideo principaliter, & quaſi per ſe, Verbum refertur ad patrem, ſed ex conſequenti, & quaſi per accidens, refertur ad creaturam, accidit enim Verbo, vt per ipſum creatura dicatur. A pari dicere poſſumus, accidit Verbo, quod ex ſcientia creaturarum procedat.

2 ¶ *Formæ corporales in prima rerum conditione fuerunt immediatè à Deo*.] Ad hoc ſignificandũ Moyſes ſingulis operibus præmittit: Dixit Deus fiat hoc, vel, illud, in quo ſignificatur formatio rerum per Verbum Dei facta, à quo ſecundùm Auguſtinum eſt omnis forma, & cõpago, & concordia partium. D. Tho. 1.p.q.65. a. 4. Dixi in prima conditione, quoniam, poſt primam productionem, formæ ſenſibiles, & corporales ſunt à Deo, vt à prima cauſſa, à ſubſtantijs ſpiritualibus, vt mouentibus ad formas; (Cęlũ enim mouetur à ſubſtantia ſpirituali) à compoſitis agentibus corporalibus, vt propinquis agentibus educentibus illas ex materiæ potentia. D. Tho. ibi. Notandum, cum hoc, quod res immediatè a Deo productæ ſunt, ſtat, quòd ſint productæ à ſe ipſis. Etenim ſimilitudo creaturæ eſt quodam modo ipſa creatura, per illum modum, quo dicitur, anima eſt quodam modo omnia. Vnde ex hoc, quòd ſimilitudo creaturæ in verbo eſt productiua, & motiua creaturæ in propria natura exiſtentis, quodam modo contingit, vt creatura ſe ipſam moueat, & ad eſſe producat, in quantum ſcilicet producitur in eſſe à ſua ſimilitudine in verbo exiſtente: & ità ſimilitudo creaturæ in verbo eſt quodam modo creaturæ vita. D. Tho. de verit.q.4.a.8.et 1. Sent.d.36.q.1.a.3.ad 3. Similitudo inquit, quæ eſt in Deo, non eſt vita, vel lux, ſecundùm hoc, quod eſt ſimilitudo rei: ſed ſecundùm hoc, quod eſt in Deo: Et dicitur vita in quantum (nota) eſt principium operationis ad eſſe rerum: ſicut dicit philoſophus 8. phyſ. quòd motus cæli eſt, vt vita quædam natura exiſtentibus,

tibus.Sed inquantum eſt principium cognitionis rerum, dicitur lux.

3 ¶ *Maius eſt iuſtificare impium, quàm creare Cælum & terram.*] Creando Cælum, & terram,non niſi dixit, & facta ſunt, In iuſtificatione verò fecit multa, dixit infinita, pertulit plurima, ſecundum quid ergo oſtendit maiorem potentiam, ſimpliciter autem oſtendit maiorem bonitatem. Alb.2.d.18.a.4. Concordat D. Tho. 12.q.113.a.9. Opus aliquod poteſt dici magnum dupliciter.Primo,ex parte modi agendi, & ſic maximum opus eſt creationis, in quo ex nihilo fit aliquid. Secundò,poteſt dici opus magnum propter magnitudinem eius, quod fit, & ſecundùm hoc,maius opus eſt iuſtificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum diuinę participationis, quàm creatio Cęli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis: Et ideo Auguſtinus exponens illud Ioan. 14. Maiora horum faciet, cùm dixiſſet,quod maius eſt quod ex impio fiat iuſtus,quàm creare Cælum, & terram; ſubiungit: Cælum enim & terra tranſibit, prædeſtinatorum autem ſalus, & iuſtificatio permanebit. Sed ſciendum,quòd aliquid magnum dicitur dupliciter. Vno modo, ſecundum quantitatem abſolutã, & hoc modo donum gloriæ eſt maius, quàm donum gratiæ iuſtificantis impium: & ſecundum hoc,glorificatio iuſtorum eſt maius opus, quã iuſtificatio impij. Alio modo, dicitur aliquid magnum quantitate proportionis: Sicut dicitur mons paruus, & millium magnum. Et hoc modo, donum gratiæ impium iuſtificantis eſt maius, quàm donum gloriæ beatificantis iuſtum; quia plus excedit donum gratiæ dignitatem impij, qui erat dignus poena, quàm donum gloriæ dignitatem iuſti, qui ex hoc ipſo, quod iuſtificatus, eſt dignus gloria. Et ideo Auguſtinus dicit ibidem. Iudicet, qui poteſt, vtrùm maius ſit iuſtos angelos creare, quàm impios iuſtificare. Certè ſi æqualis eſt vtrumq; potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ. Hęc ille. Obſeruat què in ſolutione ſecundi, quod bonum gratiæ vnius maius eſt, quàm

bonum naturæ totius vniuerſi. Quod vtinam ſemper die, noctuq; ante oculos haberemus. Ità enim continuè vide remus damnationem imminentem non exiſtimanti tantum bonum oblatum.

4 ¶ *Deus eſt agens per intellectum.*] Etenim ſuum dicere eſt ſuum facere; Dixit enim Deus fiat, & factum eſt, neq; ſecundùm Auguſtinum Deus dixit corporaliter, ſed intellectualiter, quia Verbum genuit, in quo erat, vt fieret. Ae gid 2 d.1.part.2.q.1.a.2. Collige quòd in mente Dei ſunt ideę omnium. Etenim in omnibus, quæ non à caſu generantur, neceſſe eſt formam eſſe finem generationis cuiuſcun q;. Agens autem non ageret propter formã, niſi in quantum ſimilitudo formę eſt in ipſo. Quod quidem contingit dupliciter. In quibuſdam agentibus pręexiſtit forma rei fiendæ ſecundùm eſſe naturale, ſicut in ijs, quæ agunt per naturam. Sicut homo generat hominem, & ignis ignem. In quibuſdã ſecundùm eſſe intelligibile, vt in ijs, quę agunt per intellectum: Sicut ſimilitudo domus pręexiſtit in mente ædificatoris: & hęc poteſt dici Idea, id eſt forma domus, quia artifex intendit domum aſſimilare formæ, quàm in mente concepit. Quia igitur mundus non eſt caſu factus, ſed eſt factus à Deo per intellectum agẽte, neceſſe eſt quòd in mente diuina ſit forma, ad ſimilitudinem cuius mundus eſt factus. D.Tho.1.p.q.15.a.1. Eadem ratione neceſſe eſt quòd in mente diuina ſit Idea cuiuſcunque rei. Vnde dicit Auguſtinus lib. 83. quęſt. Singula proprijs rationibus à Deo creata ſunt. Materia prima, ſi nequit ſine forma creari, habet quidem ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compoſiti: quoniam ſecundùm ſe neq; eſſe habet, neq; cognoſcibilis eſt. Si poteſt abſq; forma creari, habet in Deo imperfectam rationem ideæ, hoc eſt dictu, quòd eſſentia diuina eſt imitabilis à materia prima, ſecundum eſſe imperfectum, nempè ſecundùm vltimum gradum eſſendi (ipſa enim eſſentia diuina eſt omnium Idea, quatenus intelligitur vt imitabilis ab hac, vel ab illa re). Accidentia habent

bent ideam in Deo. Quæ inſeparabiliter concomitantur ſubiectum, non quidem aliam, ab idea ſubiecti, quia ſimul fiunt cum ſubiecto. Quæ ſuperueniunt ſubiecto, ſpecialem ideam habent. Artifex per formam domus facit omnia accidentia, quæ à principio concomitantur domum; ſed ea, quæ ſuperueniunt domui iam factę, vt picturæ, vel aliquid aliud, facit per aliquam aliam formam. Genera habent ideam, ſed non aliam ab idea ſpeciei, quia nunquam genus fit niſi in aliqua ſpecie; Indiuidua ideam habent, Etenim diuina prouidentia ad ſingularia extenditur, & quoſdam ex hominibus reprobat, & quoſdam prædeſtinat; ideo particularia habent proprias ideas in Deo: Vnde alia eſt idea Petri, & Ioannis in Deo. Malum non habet ideam in Deo, neque ſecundùm quod Idea eſt exemplar, neque ſecundùm quod eſt ratio. Ità dico, quia Idea, ſecundùm quod eſt principium factionis rerum, exemplar dici poteſt; ſecundùm verò quod eſt principium cognoſcitiuum, propriè dicitur ratio: ergo cùm malum nihil ſit, & à Deo cognoſcatur non per propriam rationem, ſed per rationem boni, ideo dixi, malũ nón habet in Deo Ideã, &c. Ex D. Tho. 1. p. q. cit. a. 3. & 1. Sent. d. 36. a. vlt. Et quemadmodũ Ideæ in Deo non ſunt magnæ, aut paruæ, albæ, aut coloratę, quamuis per eas cognoſcantur res magnæ, & coloratæ: Ità non ſunt inter ſe ordinatę, quãuis Deus per eas cognoſcat, & faciat omnia ordinata, neque vna eſt nobilior altera, licet Deus faciat vnam rem altera nobiliorem. D. Bon. 1. Sent. d. 35. q. vlt.

5 ¶ *In Deo non eſt actio tranſiens, ſed immanens tantùm, habens efficaciam tranſeuntium.*] Breuis probatio, Dixit, & factum eſt. Caiet. 1. p. q. 25. a. 1. Explicatur. Actio exterior non eſt niſi ad ſupplementum imperfectionis actus interioris, quę imperfectio procul eſt à diuino Velle. Si velle noſtrum eſſet ſecundùm ſe rerũ productiuum, ita quod ipſum Velle eſſet ipſum producere, producere res eſſet ſecundùm rei veritatem actio immanens, quia eſſet idẽ omnino quod

Velle,

velle, tamen ſignificaretur per modum in alterum tranſeuntis. Actio ergo diuina, qua res in eſſe producuntur, cùm non ſit aliud, quàm ipſum Velle diuinum, & ipſa Dei ſubſtantia, non eſt actio tranſiens ſecundùm rei veritatem, ſed actio immanens, quæ eſt Velle, & intelligere: Secundùm enim quòd Deus intelligit, & vult, ità res in eſſe procedunt abſq; alia media actione, & motu. Sed verum eſt, quòd habet aliquam ſimilitudinem cum actione tranſeunte, inquantum per ipſam aliquis effectus in creaturis relinquitur: & ideo à nobis ſignificatur per modum actionis tranſeuntis in aliud, cùm dicimus. Deus producit, aut creat res. Vnde poteſt dici actio tranſiens productiuè, quia habet terminum extrinſecum productum, nō autem ſubiectiuè, quod eſt propriè eſſe actionem tranſeuntem, quia non recipitur in aliquo extrinſeco ſubiecto, ſed remanet in agente. Franc. Ferra. l. 2. contrà Gent: c. 16. & eod. lib. c. 1. in calce. Actio Dei eſt quidem realiter immanens, ſed ſecundum quod refertur ad intellectum, & voluntatem, vt videlicet dicitur Velle, & Intelligere, non ſolùm ſecundùm rem eſt immanens, ſed etiam ſecundùm, modum concipiendi: ſecundùm autē quod ad potentiam refertur, vt videlicet dicitur, producere, aut creare, licet ſit ſecundùm rem immanens: ſecūdùm tamen modum concipiendi eſt tranſiens: concipitur enim vt alterius factio, quæ eſt ratio actioni tranſeunti conueniens: hoc autem eſt ex imperfectione Intellectus noſtri non valentis diuinam actionem ſecundùm quòd in ſe eſt, apprehendere, ſed diſtinctè concipientis ipſam, vt habet perfectionem operationis immanentis, & vt habet perfectionem operationis tranſeuntis, licet in ſe ipſa has perfectiones indiſtinctè contineat. hæc ille.

EXPOSITIO.

DIXIT; Idem eſt Deo dicere, quòd in Verbo æterno diſponere, & determinare, vnde ſentiendū eſt, quòd temporaliter ſono vocis non dixit, ſed æternaliter Verbū

genuit, in quo erat vt fieret ſicut in arte, & ſapientia artificis. Alb. 2. p. q. 51. a. vlt. Sed obijcit Bon. 2. d. 13. cir. litt. dub. 3. Statim vt Dixit Deus &c. res factæ ſunt, ſicut dicitur, in pſal. Dixit, & facta ſunt, ergo cùm productio rerũ ſit temporalis, dictio non fuit æterna. itẽ, in dictione æterna non dicit Deus niſi ſemel, ſicut dicitur in pſal. Semel locutus eſt Deus; ſed cum produxit opera ſex dierum, in productione cuiuſlibet operis, dixit: ergo, illud Dicere non eſt æternum, ſiue generare filium. Item quæſtio eſt, vtrùm accipiatur notionaliter, vel eſſentialiter, ſi accipiatur notionaliter, quomodo effectus creationis, quem Deus dicendo produxit, competit toti Trinitati? Si verò eſſentialiter, quomodo poterit referri ad naturã Verbi, per quod facta ſunt omnia, cum Verbum dicatur perſonaliter? Reſpondet. Dicere vno modo connotat effectum in actu, altero, effectum in habitu, non in actu. Primo modo, Dicere idem eſt quod producere, nec eſt ibi nugatio cùm dicitur, Dixit Deus, fiat. quia non tantùm importat ipſam actionem in ſe, ſed etiam prout eſt ad ipſius manifeſtationem: & præmittit Scriptura Verbum dicendi Verbo faciendi, vt in hoc oſtendat, quòd Deus maxima facilitate produxit ſingula, non quia aliqua vox creata rerum productionem antecedat. Et ſic dicere, in diuerſis diebus poteſt plurificari, non ratione principalis ſignificati, ſed connotati, ſicut patet, quia plurium productorum plures ſunt productiones paſſiuę, & ratione connotati, actiua poteſt dici plurificari. Si ſecundo modo dicere accipiatur, ſenſus eſt. Dixit, id eſt, Verbum genuit, in quo omnia diſpoſuit, & per quem omnia produxit, & ad illud Dicere, ſequitur creaturam fieri, ſicut ad diſpoſitionẽ, ſequitur opus, non immediatè, vt tunc ſit, quando quis primò diſpoſuit, ſed pro loco, & tempore, ſicut dicentis diſpoſitio ordinauit: & ſic eſt in propoſito: nã Deus produxit non tunc, cùm filium genuit in quo diſpoſuit: ſed ſicut generando filium ab ęterno diſpoſuit ſe producturum in tempore, ſic produxit in tẽpore. In ipſa enim diſpoſitione

ne Dei æterna, nonſolùm erat vt res producerentur, ſed etiam quando producerentur: & hoc modo dicere in diuerſis diebus dictum, eandem importat diſpoſitionem æternam, in qua ſimul diſponuntur æternaliter, quæ ſucceſſiuè producuntur ex tempore. Per hoc patent quę obiecta ſunt. Hæc ille. Vel dixit, id eſt, iuſſit, vel imperauit. Quando Deus mundum condidit, iuſſus, ſiuè imperium factum eſt ſine externo ſonitu, in finali reſurrectione ſonora voce fiet. Quando enim Deus mundum creauit, neque ipſe Deus ſenſibilis erat homo, neque erant tunc mortales, qui eſſent eius voces audituri. Chriſtus autem Deus, & homo, qui proprio ore fidem nos docuit ſuam, & legē nobis poſuit, credendus eſt ſenſibili voce, terribile illud Conciliū initurū ire. Vnde Pau. 1. Thes. 5. tria ſubinde connectit dicens. Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de coelo. quaſi iuſſus voce ſit explicandus, & tuba promulgandus. Dominic. Sot. 4. ſent. d. 43. q. 1. a. 4. (Lux) Secūdùm Auguſtinum intelligitur formatio lucis ſpiritualis, id eſt naturæ Angelicę. Secundùm alios, intelligitur productio corporalis, quæ, vt quibuſdam placet, fuit nubes quædam lucida, de qua ità loquitur Alb. 2. d. 13. a. 2. in calce. Sancti lucē illam, nubeculam vocant, ſecundum ſimilitudinem, quia nubes tenuis eleuata in ſublime, tacta luce Solis, recipit candorem: ità lux illa primò creata, non erat adeò magnum habens fulgorem, ſicut Sol: idcirco nubi lucidæ aſſimilatur, & per hanc ſimilitudinem nubecula dicitur: de qua tres ſunt opiniones. Vna, quòd ceſſit in Solem, & hoc verum eſt pro maxima parte. Alia, quòd eſt circa Solem; & hęc non eſt probabilis: quia cùm Sol non hęreat eiſdem partibus circuli. quando Sol, diſtantiam haberet vltrà triginta gradus, poſſet videri in ortu, & occaſu. Tertia opinio eſt, & hanc puto eſſe veriſſimam. Supponendo, quòd non omnia ſimul creata ſunt, quòd illa nubecula non fuit vna, ſed potius multę: quia lumen, quod congregatum eſt in omnibus ſtellis, tunc in diuerſis partibus mari-

riȩ cȩli fuit diſperſum, ſicut videmus in galaxia, & poſtea conglobatum eſt in ſtellis. Hȩc Alb. Secundùm verò Dio. 4. cap. de di. no. Illa lux fuit lux ſolis, ſed adhuc informis quantùm ad hoc, quod iam erat ſubſtantia Solis, & habebat virtutem illuminatiuam in communi, ſed poſtmodum data eſt ei ſpecialis, & determinata virtus ad particulares effectus. Huic adhæret D. Tho. 1. p. q. 67. a. 4. ad 2. ſi ponatur corpus Solis non eſſe de natura quatuor elementorum, ſed eſt incorruptibile per naturam: quia ſecundùm hoc, materia eius non poteſt eſſe ſub alia forma, De quo inferius.

NOTABILIA.

1 LVx ponitur primò creata ob quatuor rationes. Prima, lux eſt qualitas primi corporis, vnde ſecundùm eam prius fuit mundus formandus. Secunda, lux eſt communis ſuperioribus, & inferioribus corporibus, ſicut autem in cognitione proceditur à communioribus, ità etiā in operatione, nam prius generatur viuum, quàm animal. Tertia, per lucem omnia alia manifeſtantur. Quarta, dies non poteſt eſſe ſine luce, vnde oportuit prima die fieri lucem. D. Tho. 1. p. q. & art. citatis.

2 Cognitio diuinarum perſonarum fuit neceſſaria nobis dupliciter. Vno modo, ad rectè ſentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quòd dicimus Deum omnia feciſſe Verbo ſuo, excluditur error ponentium Deum produxiſſe res ex neceſſitate naturȩ. Per hoc autem quod ponimus in eo proceſſionem amoris, oſtenditur, quòd Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neq; propter aliam cauſſam extrinſecam, ſed propter amorem ſuæ bonitatis. Vnde & Moyſes poſtquam dixerat. In principio creauit Deus cælum, & terram, ſubdit, Dixit Deus, fiat lux: ad manifeſtationem diuini Verbi. Et poſteà dixit, Vidit Deus lucem quòd eſſet bona: ad oſtendendum probationem diuini amoris. & ſimiliter in alijs operibus. Alio modo, & principaliùs, ad rectè ſentiendum de ſalute generis

humani, quę perficitur per filium incarnatum, & per donum Spiritus Sancti. D. Tho. 1. p. q. 32. a. 1. ad. 3.

3 Tria quędam, maximè ſcienda de creatura, nobis oportuit intimari: Quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. Ob hoc (inquit) Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux. & vidit Deus lucem quia bona eſt. Si quærimus quis fecerit: Deus eſt, ſi per quid fecerit: Dixit Deus fiat, & facta eſt: Si quare fecerit: quia bona eſt: Nec auctor eſt excellĕtior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec cauſſa melior, quàm vt bonum crearetur a bono. Opus creationis eſt commune trium perſonarum, attamen per diſtinctionem appropriatur. Alex. 3. p. q. 8. m. 3. a. 3.

4 Res creata habet triplex eſſe, ſcilicet in Verbo, in mente angeli, & in propria natura. Quod ſignificatur, ſecundùm Auguſtinum primo ſuper Gen. per hoc quod dixit, fiat, quantùm ad eſſe rei in Verbo, factum eſt, quantùm ad eſſe rei in mente Angeli, prout angeli acceperunt cognitionem rei fiendæ, fecit, quantùm ad eſſe rei in propria natura. Sed inferes, ergo Angelus triplicem de rebus cognitionem habet, nempè prout in Verbo, in mente eius, & in propria natura ſunt; & ſubinde, non ſolummodo debet aſſignari cognitio Veſpertina, & matutina. Conceditur, Angelum de rebus triplicem cognitionem habere. Quamuis autem nunquam cognoſcat res in propria natura, niſi per ſpecies, quas habet apud ſe, tamen differt cognitio, qua cognoſcit, prout ſunt in ſe ipſo, & prout ſunt in propria natura. Poteſt enim intellectus conuerti ad ſpeciem, quam apud ſe habet dupliciter. Aut, conſiderando ipſam ſecundùm quod eſt ens quoddam in intellectu: Et ſic cognoſcit de ea, quod eſt intelligibile, vel vniuerſale, vel aliquid huiuſmodi. Aut, ſecundùm quod eſt ſimilitudo rei: & ſic intellectus conſideratio non ſiſtit in ſpecie, ſed per ſpeciē tranſit in rem, cuius ſimilitudo eſt, ſicut oculus per ſpeciē, quæ eſt in pupilla, videt lapidem. Et eſt ſimile de imagine lapidea, quæ poteſt conſiderari ſecundùm quod eſt res quę-

dam, vel ſimilitudo rei. Et ita patet, quòd duæ cognitiones dictæ differunt, ſed vtraq; eſt veſpertina, quia etiã eſſe ipſius intellectus angeli creatura eſt, & in tenebras defectus tendens quantum in ſe eſt. D. Tho. 2. d. 12. a. 3. ad 5. Rurſum colliges, Angelos ante viſibilem mundũ creatos fuiſſe. Certè quando creatura viſibilis erat fienda, nondum erat: ergo angeli fuerunt, & habuerunt cognitionem creaturæ viſibilis, antequam eſſet. Deinde, eſſe rerum in Verbo præcedit eſſe earum in cognitione Angelica duratione, & cauſſa; ergo ſimiliter eſſe rerũ in cognitione angelica præcedit eſſe earum in propria natura duratione, & cauſſa. At non ſequitur, Quoniam ſuſtinendo opinionem Auguſtini de momentanea rerũ productione, creatura ſpiritualis dicitur habuiſſe cognitionem creaturę corporalis fiendæ, non quia eius formatio eſſet tempore futura, ſed quia cognoſcebatur, vt futura, prout conſiderabatur in ſua cauſſa, in qua erat, vt ex ea poſſet procedere, ſicut qui cognoſcit arcam in principijs, ex quibus fit, poteſt dici eam cognoſcere vt fiendam. Præterea, eſſe rerum in Verbo eſt cauſſa eſſe rerum in propria natura: Sed eſſe rerum in cognitione Angelica non eſt cauſſa eſſe rerum in propria natura. ideo non ſequitur, eſſe rerum in Verbo præcedit &c. D. Tho. de potent. Dei, q. 3. a. 18. ad. ij. 12. & 14. Tertiò deduces. Dæmones, per formas rerum, quas Deus produxit in intelligentia Angelica, quando ipſas res in ſe ipſis produxit, poſſe futura cognoſcere. Formæ enim rerũ in materia corporali eodem modo ſe habent reſpectu præſentis, præteriti, & futuri. Ergo & pari ratione, formæ rerum, quæ ſunt in mente Angelica. Non ſequitur, quoniam formæ, quæ ſunt in rebus à diuina mente procedentes, habent quidem ſe ſemper eodem modo, quantùm ad rationem ſpeciei, non autẽ quantùm ad participationem indiuiduorum: quia quandoque forma ſpeciei participatur à quibuſdã indiuiduis: quandoq; verò ab alijs: ſic etiã ſpecies intellectus angelici ſecundùm ſe ipſas ſemper eodem modo ſe habent: ſed ex tranſmutatione

tione indiuiduorum naturalium prouenit, quòd quandoq; aſſimilantur ſpeciebus exiſtentibus in intellectu angeli, quãdoque autem non aſſimilãtur. D. Tho. de Mal.q.16.a.7.ad 9. Quartò concludes, mediantibus Angelis res creari; Nam, modus, quo res dicuntur in angelica intelligentia fieri, medius eſt inter alios duos modos; videtur ergo, quòd res creatę procedant, vt ſint in propria natura, a Verbo creatoris, cognitione Angelica mediante. Sed non ſequitur, quoniam res in intelligentia Angelica dicuntur fieri ſecundùm cognitionem tantùm, non ſecundùm rationem operatiuæ virtutis, vnde res non producuntur à Deo mediãtibus angelis operantibus, ſed ſolùm Angelis cognoſcentibus. D. Tho. de potent. Dei.q.3.a.4.ad.4.

5 Nec vacat myſterio, quòd in omnium rerũ corporalium productione dicitur, fiat, fecit, & factum eſt. In productione verò lucis non dicitur, niſi fiat, & factum eſt, Et huius ratio eſt, quia omnes alię res, à creatura ſpirituali, habẽt triplicem modum eſſendi, vt dictũ eſt, ſcilicet in ſua cauſsã producente, & in mente rationali, & in corporali materia ſubſiſtente. Creatura autem rationalis non habet niſi duplicem eſſendi modum, videlicet in Verbo, & in ſe, & quia ſecundùm Auguſtinum per lucem intelligitur natura Angelica, idcirco duntaxat dictum eſt, fiat, & factum eſt. Bon.2. d.13.q.1.in corp. Vel, non eſt dictum fiat, fecit, & factum eſt, quoniam Angelus non potuit habere cognitionem de ſe faciendo, ſed ſolùm de ſe facto, & per factionem lucis intelligitur factio Angeli, at bene habuit cognitionem, non ſolum de rebus factis, ſed etiam faciendis, ad minus quantum ad ordinem naturæ, & ſi non in quantum ad ordinem temporis; ſed non de ſe faciendo, nec quantum ad hunc ordinem, nec quantum ad illum; huiuſmodi autem cognitio, quam ſic habet Angelus, notatur, per hoc, quòd dicitur, fecit, vnde non excluditur, quin vnus Angelus cognoſcat aliũ tripliciter, ſcilicet in Verbo, & in ſe ipſo, & in proprio genere, ſicut tripliciter cæteras creaturas cognoſcit. Alex.2.

p.q.24.m.2. Vide inferius ſuper illud. Fiat Firmamentum. In ſolut. noni.

AD ARGVMENTA.

ad 1 POTEST intelligi exitus, de non eſſe omnino, in poſſe: & poſt de poſſe, in eſſe actu per formam, tamen vtrunq; ſimul factũ eſt, vel perfectè, ſecundùm Auguſtinum de momentanea rerum productione, vel imperfectè, ſecundùm alios Doctores, de quo ſupra dictum eſt, & inferiùs redibit ſermo.

ad 2 Vnum eſt Verbum Dei, quo dicuntur omnia, & illud non multiplicatur, licet multiplicentur facta per ipſum. Dicere aliquando ſumitur pro generare: & ſic eſt vnum dicere, ſicut vnum Verbum. Quandoque pro creare, & ſic, ſi ſucceſſiuè creata ſunt, & facta, diuerſis factis, reſpondent diuerſæ dictiones, ex parte eorum, quæ dicuntur: Verbum tamen quod dicit, id eſt, creat, non multiplicatur, non enim ex parte dicentis eſt illa multiplicatio. Nec ſimile eſt de Deo, & homine in dicendo: Verbum enim hominis eſt extrinſecùm à ſubſtantia hominis, vnde ex alia parte recipit multiplicationem: Verbum autem Dei eſt conſubſtantiale, vnde non multiplicatur ſecundùm ſubſtantiam. Alex.

ad 3 Non eſt omnino ſimile de actu creationis, & recreationis: nam actus creationis eſt ſolùm per rationem potentiæ, & cùm illa potentia ſit infinita, & cauſſa ſui operis, non exigit aliquam creaturam mediam in creando: immo hoc repugnaret ſummę potentiæ, quod operaretur per medium aliquod, quantùm eſt de ratione potentiæ, quia ſi exigeretur creatura media, iam non eſſet tota cauſſa ſuæ operationis: & propter hoc in creatione rerum non operatus eſt Deus per creaturam humanam mediam. At recreatio non ſolùm eſt per rationem potentiæ, ſed etiam per rationem iuſtitiæ; quia in recreatione agitur de dimiſſione peccati, ad quam, de iuſtitia, ſequitur ſatisfactio, & quoniam hanc ſatisfactionem poteſt facere Deus, ſed non debet de ſe, eam debet homo,

mo, ſed non poteſt: propter hoc in recreatione oportuit, quòd vniretur Deus humanæ naturę. Alex.

Ad 4 Quarti ſolutio habetur, tum ex dictis in ſolutione ſecundi, tum ex annotatis in expoſitione.

Ad 5 Sol abſq; dubio multò perfectior fuit in illuminando, neque nubecula illa fuit per eſſentiã lux; ſed lux, quam dixit Deus fieri, fuit forma eius, ſicut lux etiam eſt forma Solis. Alb.

Ad 6 De Verbo, vtrum perſonale nomen ſolum ſit, vel quandoq; etiam eſſentiale, diuerſi diuerſa ſenſere; amplector ego opinionem D. Tho. 1. p. q. 34. a. 1. videlicet, Verbum, ſecundùm, quod propriè in diuinis accipitur, perſonaliter tantùm ſumitur. Dixi propriè; quia ſi figuratiuè accipiatur, nempè pro eo, quod Verbo ſignificatur, vel efficitur, ſicut conſueuimus dicere, hoc eſt Verbum, quod dixi tibi, vel quod mandauit rex, demonſtrato aliquo facto, quod Verbo ſignificatum eſt, vel ſimpliciter enuntiantis, vel etiam imperãtis, nihil impedit eſſentialiter ſumi; In hoc ſenſu, creaturæ dicuntur facere Verbum Dei. In pſal. Ignis, grando, &c. quæ faciunt verbum eius; exequuntur enim effectum aliquem, ad quem ordinantur ex Verbo concepto diuinæ ſapientiæ; ſicut aliquis dicitur facere verbum Regis, dum facit opus, ad quod ex verbo Regis inſtigatur. In eodem ſenſu, filius dicitur habere Verbum. Heb. 1. portans omnia verbo virtutis ſuæ; ibi, Verbum, pro effectu verbi, nempè pro imperio, ſumitur; quatenus ex effectu virtutis verbi eſt, quòd res conſeruentur in eſſe, ſicut ex effectu virtutis verbi eſt, quòd res producantur in eſſe. Dixit, & factum eſt, id eſt, imperauit, Vel produxit, vt in expoſitione dictũ eſt. Similiter, dum Baſilius Verbum, interpretatur pro Spiritu Sancto, impropriè, & figuratè locutus eſt, prout Verbum alicuius dici poteſt omne illud, quod eſt manifeſtatiuum eius, vt ſic ea ratione dicatur Spiritus Sanctus Verbum filij, quia manifeſtat filium. Propriè verò duntaxat eſt nomen perſonale, vt probabo Ioan. 1. Super illud. Verbum caro factum

eſt.

eſt. Nunc ſatis eſt proponere ſub compendio tres propoſitiones. Prima. Quælibet diuinarum perſonarum eſt intelligens, pater enim intelligit, filius intelligit; Spiritus Sanctus intelligit. Secunda, Quælibet diuinarum perſonarum eſt Verbo dicta, Sanè, dicitur non ſolum Verbum, ſed res, quæ Verbo intelligitur, vel ſignificatur, ſic ergo vni ſoli perſonę in diuinis conuenit dici, eo modo, quo dicitur Verbum, eo verò modo, quo dicitur res in Verbo intellecta, cuilibet perſonę conuenit dici: pater enim intelligendo ſe, & Filium & Spiritum Sanctum; & omnia alia, quæ eius ſcientia continẽtur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura. Sicut intellectus hominis Verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicit. Tertia. In diuinis, ſolus pater eſt Dicens. Diſcriminantur intelligere, & Dicere. Importat intelligere ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur; ſed Dicere importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum: nihil enim aliud eſt Dicere, quàm proferre Verbum, & mediante Verbo, importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifeſtatur intelligenti: & ſic ſola perſona, quę profert verbum, eſt Dicens in Diuinis: hęc autem eſt perſona patris, ergo nõ omne intelligere in Deo propriè eſt Dicere: Sed Dicere includit intelligere, & cum hoc, relationem originis. Pater intelligit, vt Dicens, & producens Verbum, filius intelligit, vt verbum procedens; Spiritus Sanctus intelligit, vt à Verbo procedens: Sicut pater, & filius diligunt, vt ſpirantes amorem, Spiritus Sanctus diligit, vt amor procedens. Hæc ex. D. Tho. loco cit.

ad 7 Secundùm opinionem, quæ ponit informitatem materiæ duratione præcedere formationẽ, oportet dicere, quòd materia à principio fuerit creata ſub formis ſubſtantialibus, poſtmodum verò fuerit formata, ſecundum aliquas conditiones accidentales, inter quas, primum locum obtinet lux. D. Tho. vtere etiam ſolutione quinti.

Dicere

ad 8 Dicere Dei intelligitur de ęterna Verbi Dei generatione, in quo ab æterno fuit ratio omnium creaturarum condendarum. Nec tamen ideo frequenter repetitur in ſingulis operibus, Dixit Deus, quaſi temporaliter, ſed quia licet Verbum in ſe ſit vnum, tamen in eo eſt propria ratio ſingularum creaturarum. Sic ergo ſingulis operibus præmittitur Dei Verbum, ſicut propria ratio operis fiendi, ne facto opere, neceſſe ſit quærere, quare tale opus ſit factum, cùm antè operis conditionem ſit dictum. Dixit Deus. Sicut cùm aliquis volens aſſignare alicuius rei cauſſam, incipit à cauſſæ cognitione. D. Tho.

ad 9 Cuncta à Deo proceſſiſſe, non naturæ neceſſitate, ſed intellectus, & arbitrij voluntate, compertum eſt. Licet enim ipſum Verbum Dei naturaliter à patre oriatur, non tamen oportet, quòd creaturæ naturaliter procedant à Deo. Hoc autem modo pater Verbo ſuo creaturas dicit, ſicut in ipſo patre ſunt. In quo quidem ſunt, non vt per neceſsitatem producendæ, ſed per voluntatem. D. Tho.

ad 10 Filius eſt ſufficiens ratio proceſſionis temporalis creaturę, vt Verbum, & exemplar, ſed oportet, quòd Spiritus Sanctus ſit ratio proceſſionis creaturę, vt amor. Sicut etiam dicitur, Sap. 9. quòd Deus facit omnia ſuo verbo, ità dicitur, Sap. ij. quòd Diligit omnia, quę ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit. Et Dion. 4. cap. de di. nom. quòd diuinus amor non permiſit ipſum ſine germine eſſe. D. Tho. Nota, licet creare non ſit proprium alicui perſonæ, ſed commune toti Trinitati, attamen diuinæ perſonę, ſecundùm rationē ſuæ proceſſionis, habent cauſſalitatem reſpectu creationis rerum: Deus nanq; eſt cauſſa rerum per ſuum intellectum, & voluntatem, ſicut artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per Verbum in intellectu conceptum, & per amorem ſuę voluntatis ad aliquid relatum operatur. Vnde & Deus pater operatus eſt creaturam per ſuum Verbum, quod eſt filius, & per ſuum amorem, qui eſt Spiritus Sanctus. Et ſecundùm hoc, proceſſiones perſonarum ſunt rationes productionis

ctionis creaturarum, inquantum includunt eſſentialia attributa, quæ ſunt ſcientia, & voluntas. D. Tho. 1.p.q.45.a. 6. in corp. Obſerua illa verba, inquantum includunt, &c. ità enim ſubterfugies argumenta Doct. Subt. 2. Sent. d. 1. Procedunt enim contrà Henricum, ponentem, quòd perſonæ diuinæ, ratione propriorum, habent cauſſalitatem: non autem contrà. D.Tho. dicentem, quòd ratione appropriatorum. Caiet ibi. Abundantius autem probabo, emanationem perſonarũ de neceſſitate præcedere productionem creaturarum, prioritate ordinis, & cauſſalitatis, Super illud, Sap.7.omnium artifex, & ſuper illud Ioan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt.

ad 11 Propoſitio illa, lux eſt ad decorem, & ornamentum Cæli, veritatem habet, prout eſt in diſtinctione cõpleta ſecundùm numerum, & proprietatem corporum cæleſtium, ſtellarum ſcilicet, & planetarum; quod non fuit antè diem quartum. D. Bon. Lux corporalis, non ſolummodo habet iſtam vtilitatem, immo etiam alias multas, quę fortaſſe nos latent, quarum etiam vſum potuit tunc habere: Sicut multæ creaturę habent virtutes, & vtilitates, quas nos ignoramus, & tamen eas habere non dubitamus. Poſſet tamen dici, quòd vſus eius fuit, diem, & noctem facere; non ad animalium illuſtrationem, ſed ad diuinorum operum diſtinctionem: Vnde & ſi tunc non faceret ad illuſtrationem humani ſenſus, facit tamen nunc, ex ipſa diſtinctione, ad illuſtrationem intellectus; dum ex illa intellectus capit diſtinctionem diuinorum operum. D. Bon.

ad 12 Scriptura dicit, lucem factam fuiſſe prima die, non quòd tunc fieret accidens ſine ſubiecto, ſed tunc fiebat corpus luminoſum, cuius forma notior erat lux, & ideo deſcribitur ſubiectum ignotum, per terminum notiorem. Doct. Subt. Ità intelligitur dictum Auguſtini lib.de lib. arb. lux in corporibus primum tenet locum: accipit enim lucem, pro corpore lucido in actu, ſcilicet pro igne, quod inter quatuor elementa nobiliſſimum eſt. Similiter quando Ariſt. dicit,

quòd

quòd lumen eſt ſpecies ignis, lumen nominat ignem in propria materia, ſicut ignis in materia aerea, dicitur flamma, & in materia terrea, dicitur carbo. D. Tho. 1. p.q.67.a.2. Notandum, quòd neque in ſolutione quinti, ex Alberto dictum eſt, lucem eſſe formam ſubſtantialem. Hoc enim falſum eſt, vt probat. D.Tho.loco proximè citato a.3.nulla.n. forma ſubſtantialis eſt per ſe ſenſibilis, quia quod quid eſt, eſt obiectum intellectus, vt dicitur 3.de Anima: lux autem eſt ſecundùm ſe viſibliis. Et quod nulla forma ſubſtantialis poſſit aliquo ſenſu noſtro apprehendi, niſi per accidens, inquantum ſenſus noſtri apprehendunt aliquarum ſubſtantiarum accidentia, confirmat Ric. cit.d.13.q.2.quia in ſacramento altaris non remanet ſubſtantia ipſius panis, Sed tranſubſtantiatur iu corpus Chriſti, & tamen ibi remanet, quicquid ſenſu per ſe erat apprehenſibile.

Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona.

QVESITA.

1 ALex. 2.p.q.49. quærit, cur in creatione Cæli, & terræ non eſt dictũ, Vidit Deus Cęlum, & terram, quòd eſſent bona; ſicut in formatione lucis dictum eſt, Vidit lucem, quòd eſſet bona? Reſpondet ex Auguſtino lib. ſuper Gen. ad litt. Duo ſunt, propter quæ amat Deus creaturam ſuam, ſcilicet, vt ſit, & vt maneat: vt ergo eſſet, Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquam; vt autem maneret, Vidit Deus, quòd bona eſt. Et quod de luce dictum eſt, hoc de omnibus. Altera ratio addi poteſt. Bonum diuiditur in honeſtum, vtile, delectabile. D. Tho.1.p.q.5.a.6. Nullam autem delectationem, aut vtilitatem videtur afferre Cælum, niſi motu, & lumine, & ideo à Moyſe deſcribitur motus, & lux: motus quidem prius, ſed acceſſoriè; Spiritus Domini ferebatur

tur ſuper aquas, vt ſupradictum eſt. lux poſteriùs quidem; ſed velut per ſe intenta, nam de luce dicitur. Dixit Deus, fiat lux, de motu autem nihil ſimile explicatur, Exprimitur verò prius motus, tum quia eſt diſpoſitio totius Cæli, lux verò partium; tum quia motus ad lucem ferendam ordinatur vt ad finem: Vtrùm autem potentius Cæli organum, in efficiendis rebus, ſit lux, vel motus; & vtrùm motus neceſſariò requiratur ad actionem Cæli, vel ad nouitatem actionis, diſcrepant Doctores. Sentiunt quidam, motum Cæli ità requiri ad actionem eius, quòd ſi non moueretur, nullo modo poſſet agere in hæc inferiora, quoniam ab agente non prouenit actio, niſi agens proportionetur paſſo, corpus autem vt agens, non proportionatur corpori patienti niſi per motum, quia corpus non eſt mouens niſi moueatur, & hæc eſt natura corporis actiui, & mouentis, Et ſi dixeris, Magnes trahit ferrum quieſcens, Reſpondent, ferrum verius trahi ad magnetem, quàm à magnete; Vnde ſecundum dictũ Comment. 7. Phyſ. com. 10. eſt attractio æquiuoce dicta, quoniam attractio, in quà attrahens eſt quieſcens, & atractum eſt motum, non eſt attractio rei in veritate, ex conſequenti eſt magis ad magnetem vt ad finem, ſicut lapis mouetur ad centrum, quàm effectiuè à magnete, ſicut nec lapis mouetur effectiuè à centro, Cęlum autem, motum agit in inferiora effectiuè, non vt finis; ità quòd licet lux ex natura ſua ſit actiua caloris; ſi tamen ei non adiungatur motus, nõ calefaciet, ſicut nec gladius, licet habeat in ſe virtutem inciſiuam, quia durus, & acutus, exit in actũ, niſi moueatur. Hanc opinionem ſuſtinet Ioan. Capre. 2. d. 14. q. Vnic. ex mente D. Tho. De qua redibit ſermo Ioſ. 10. ſuper illud. Stetit Sol, &c. Cæterùm Dur. 2. d. 15. q. 3. ſuſtinet, motum Cæli non requiri ad hoc, vt agat in hæc inferiora, ſed ſolùm ad nouitatem actionis, & alternationem generationis, & corruptionis, & cæterarum mutationum. Quod enim non eſt neceſſarium in corpore generabili, & corruptibili ad agendum, nec in Cælo: at motus localis

non

non eſt neceſſarius in prędictis; ignis, non motus localiter, calefacit, immo Cælum Empyreum agit in hæc inferiora, etiam ſecundùm. D. Tho. 1.p.q.66.a.3.ad 2. & tamen non mouetur localiter: motus igitur localis non eſt neceſſarius in Cælo ad agendum: ſed ad nouitatem actionis, & alternationem, Ad nouitatem quidem, quoniam ad actionem requiritur approximatio agentis & paſſi, qua poſita, remoto impediente, neceſſariò ſequitur actio in naturalibus; ſi igitur aliqua actio fit de nouo, oportet de nouo approximari actiuum paſſiuo; hæc autem approximatio fit per motum localem. Ad alternationem verò, quoniam idem manens idem eſt aptum ſemper facere idem; ideo ſi Cælum & aſtra non mouerentur, ſemper eodē modo ſe haberent ad determinatas partes terræ, & ſic ſemper facerent idem. Nec eſſet in eadem parte alternatio diei, ac noctis, caloris, ac frigoris, æſtatis, ac hyemis, ſed ſemper vnum ex ijs. Vt igitur ſit in eadem parte terræ horum alternatio, requiritur quòd Cælum, & aſtra per motū ſuum, ſint aliquando præſentia, aliquando abſentia, aliquando propinqua, aliquando remota reſpectu eiuſdem regionis, vt innuit Phil. 2. de gen. dicens, motus obliqui circuli eſt cauſſa alternationis, generationis, & corruptionis, quia adducit, & abducit generans. Hæc Dur. Hoc idem prius docuerat. Ric. 2.d. 2.q. vlt. vbi concedens Cælum Empyreum in hæc inferiora influere, dicit, quòd motus non fuit neceſſarius corporibus cęleſtibus propter influentiam, ſed propter influentiarum contemperantiam. Vnde ſi Sol ſtaret, lumen, & calorem influeret. Propterea de luce dictum eſt, vidit quòd eſſet bona, & non de Cælo. Quare autem in fine mundi, ceſſante cælorum motu, & eorum lumine aucto, nullam habituri ſint Cæli in hęc inferiora actionem, dicetur, Ioſue 10. ſuper illud. Stetit Sol, &c. Quòd ſi, in iuuandis mortalibus, inq; procreandis, & efficiendis rebus omnibus mixtis, motus luci longè pręſtet, vt Iulius Sirenius Vir Doctiſſimus, & magiſter meus admodū obſeruandus lib. 3. de fato c. 50.

exi-

exiſtimat; non tamen de motu dictum eſt, vidit quod eſſet bonum, quia de eo acceſſoriè agitur, & ſubobſcurè.

2 . Rurſum quærit de hoc, quod dicitur (Vidit, Nunquid prius non viderat? Reſpondet ex Auguſtino in lib. contrà Manich. Nunquid quia placet ei, ideo non nouerat bonū? Prorſus nouerat intus in animo, vbi ars ipſa pulchrior eſt, quàm illa, quæ arte fabricantur: ſed quòd videt Artifex intus in arte, hoc probat foris in opere, & hoc eſt perfectum, quod Artifici ſuo placet. Vidit ergo Deus lucem, quia bona eſt: quibus verbis non oſtenditur, nō eluxiſſe Deo, quod bonum eſt, ſed placuiſſe perfectum. Quid ſi dictum eſſet, miratus eſt Deus lucem quia bona eſt? quantum clamarēt, quantùm litigarent. Admiratio enim re vera de rebus inſperatis naſci ſolet, & tamen legunt iſti, & laudant in Euangelio, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum admiratum eſſe fidem credentium. Quis autem illis fecerat ipſam fidem? niſi ille, qui eam mirabatur. Alex.

3 Magiſter 2. diſt. 13. quęrit, quid de illa luce factum ſit, cùm modò non appareat. Reſpondet, quòd de ea corpus ſolis formatum fuit. Obijcit D. Bon. eò loci cir. litt. dub. 2. Quia vidit Deus quòd eſſet bona: & Auguſt. explanat, Vidit, id eſt, placuit voluntati Dei, vt pro modo ſui generis maneret, quod placuit, vt fieret; ergo adhuc manet lux illa in ſe ipſa. Et quæſt. 1. arguit, ſi lux illa fuit corporalis, cùm eſſet bona, debuit à bonitate diuina conſeruari, quod tamen minimè factum eſt, ergo non fuit corporalis, ſed ſpiritualis, nempè natura Angelica. Reſpondet, quoniam Scriptura non videtur exprimere, quòd Deus poſt primum diem produxerit nouam lucem, ſed ſolum modo luminaria diſtinxit, ideo eſt quarta opinio (recenſuerat enim tres inanes opiniones) quòd ex illa luce facta ſunt corpora lumiňoſa; interquæ principatum tenet ſol, nec fuit ibi aliqua violentia, quia vna quęq; creatura eum locū accipiebat, quem ſibi Dominus per naturam deputabat, nec fuit illius lucis corruptio, ſed maior quædam, & perfectio, & diſtinctio,

vnde

vnde manet adhuc, at non ſecundùm illum ſtatum, ſecundùm quem primò formata erat, ſed manet in ſole, qui ex ipſa formatus eſt. Quod autem dicit Damaſce. Opus primæ diei fuiſſe perfectiſſimum, per comparationem ad alia corpora, quę à luce recipere habent influentiam, intelligendum eſt, non per comparationem ad luminaria, quę ex ipſa luce ſunt formata. Hæc ille. Et ſi prædicta opinio nunc videatur prorſus contemni, attamen, ni exilis meus fallitur intellectus, probabilis eſt, ne dicam probabilior. Nimirum, de hac re tres inueniuntur opiniones, ſicut & de ipſa mundi creatione. Auguſtinus opinatur omnia creata ſimul ſecundùm diſtinctas formas, & proprietates, de quo redibit ſermo ſuper illud. Factum eſt veſpere, & mane dies Sextus. ideo ſecundùm ipſum iſta eſt lux Angelica, vel lux Solis. Dionyſius Areop. quem ſequitur. D. Tho. 1. p. q. 67. a. 4. credit omnia corpora cæleſtia à principio creata in formis ſubſtantialibus diſtinctis, ſimiliter, & elementa. Dicuntur autem facta ſecunda, vel quarta die, quantum ad qualitates accidẽtales ſuperadditas; vnde cùm dicitur, fiat lux. id eſt, fiat Sol. qui tamen informis fuit, quantum ad aliqua, vſque ad quartum diem. Tunc enim accepit virtutem influendi, ad varios effectus, in iſta inferiora, ratione cuius virtutis dicitur factus quarta die. Similiter firmamentum, ſecundùm ſuam formam ſubſtantialem, fuit factùm in principio, ſed ſecunda die, quantum ad aliquam proprietatem ipſius firmamenti, quæ, vel eſt ſoliditas, vt placet Rabbi Samuel. Iob. 37. Tu forſitan cum eò fabricatus es Cęlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt, vel virtus quædam ad influendum ſuperelementa ad eorum conſeruationem, & gubernationem. 1. Metheo. oportet mundum hunc inferiorem continuum eſſe lationibus ſuperioribus, vt omnis virtus inde gubernetur. At Strabus, Beda, Hugo de Sacramentis lib. 1. c. 9. & plerique, non poſtremę claſſis, ſcholaſtici opinãtur, materiam omnium corporalium per opus creationis productam eſſe ſub vna forma cõmuni in genere ſubſtantiæ, ſci-

F licet,

licet, corporeitatis, vel ſub formis elementorum confuſis, & diebus ſequentibus diſtinctam, ſecundùm diuerſas ſui partes, per formas ſpecificas, tam cæleſtes, quàm elementares. Vnde cùm dictum eſt, fiat lux. facta eſt nubecula lucida, vt ſupra dictum eſt. Itaq; dico ego, vel adhærendum eſt plano litteræ ſenſui, vel recedendum, Da primum, prædicta opinio admodum probabilis eſt, Da ſecundum, tuendæ opinionis Auguſtini gratia, recedendum eſt. Quę attribuitur Areopagitę (vt videtur) nec litteræ adhęret, nec rationi. Nō quidē litteræ, nam vtitur verbo, fiat, æquiuocè. Et quomodo tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, ſi Sol factus eſt in principio? Si ob ruditatem populi, cui Moyſes loquebatur, Angelorum creationem vel ſiluit, vel ſuboſcure explicuit, qua ratione fieri potuit, vt diceret Solem, & ſtellas facta quarta die, ob hoc ſolùm, quòd proprietates quaſdam accidentales acceperūt: Non verò rationi, ſane ſi creata ſunt corpora cæleſtia in ſuis formis ſubſtantialibus diſtinctis à principio, quare proprietates accidentales non ſimul ſortita ſunt, cùm (iuxtà eorum placitum) ſint quintæ eſſentię? Scio reſponderi poſſe, ſed intellectus non quieſcit. Lege quęſitum ſequens. Et inferiùs ſuper illud. Fiant luminaria. in expoſit.

4 Quærit Mag. 2. d. 14. Quare in opere ſecundę diei, ſicut in aliorum dierum operibus, non eſt dictum, Vidit Deus, quòd eſſet bonum: Reſpóndet, quia binarius principium alteritatis èſt, & ſignum diuiſionis. Obijcit. D. Bon. eo loci cit. litt. dub. 3. Binarius plus accedit ad vnitatem, quàm aliquis alius numerus, ergo iſta ratio ità bene eſt ad oppoſitū, ſicut ad propoſitum. Reſpondet; ratio Mag. allegorica quidem, vera tamen eſt. Quamuis enim binarius, inter numeros, minus ab vnitate recedat, primò tamen habet rationem receſſus in ſe, & propter hoc, per ipſum intelligitur diuiſio magis, quàm per alios numeros, & receſſus ab vnitate virtutis, & perfectionis. Alia tamen ratio litteralis eſt, quam facit Magiſter in Hiſtorijs, quia ſecundo die notatur

facta

facta diſtinctio aquarum ab aquis, quę diſtinctio, & ſi inchoata fuerit ſecundo die, fuit tamen conſumata in tertio, cùm dicitur; Congregentur aquę &c. Et quia diuina viſio ſignat approbationem poſt perfectionem; hinc eſt, quòd ſcriptura tacuit ſecundo die verbum videndi. D. Bon. Quo fit, vt, ſi nomine lucis intelligatur Sol, neceſſe ſit etiam dicere, quòd prima die fuerit omnibus ſuis facultatibus prçditus, & abſolutus, aliàs non fuiſſet dictum, Vidit, quòd eſſet bonum, cuius oppoſitum auctores prærecitatæ opinionis docent.

CONCLVSIONES.

1 CREATVRA *corporalis eſt facta à Deo primaria intentione.*] Attribuitur Origeni, quòd poſuerit creaturam corporalem non eſſe factam ex prima Dei Intentione, ſed ad poenam creaturæ ſpiritualis peccantis. Poſuit enim, quòd Deus à principio creaturas ſpirituales ſolas fecit, & omnes æquales. Quarum, cùm eſſet liberi arbitrij, quædam conuerſæ ſunt in Deum, & ſecundùm quantitatē conuerſionis, ſortitæ ſunt maiorem, vel minorem gradum, in ſua ſimplicitate remanentes. Quędam verò, auerſæ à Deo, alligatæ ſunt corporibus diuerſis, ſecundùm modum auerſionis à Deo. Quæ quidem poſitio erronea eſt. Tum quia ſequeretur, quòd eſſent plures ſoles in mundo. Et idem eſſet de alijs, Tū etiam, & præcipuè quia contrariatur ſcripturæ, quæ, narrata productione cuiuſlibet ſpeciei creaturę corporalis, ſubiungit, Vidit Deus, quia hoc eſſet bonum, quaſi diceret, quòd vnū quodq; ideo factum eſt, quia bonum eſt ipſum eſſe: At ſecūdùm opinionem Origenis, creatura corporalis facta eſt, non quia bonum eſt eam eſſe, ſed vt malum alterius puniretur. D. Tho. 1. p. q. 65. a. 2. Dicendum ergo, quòd creatura corporalis facta eſt ex prima Dei intentione, qua, ad bonitatem ſuam communicandam, aſpicit. Licet dixerim ad bonitatem ſuam communicandam, non tamen communicatio bonita-

tis eſt vltimus finis productionis creaturarum: ſed ipſa diuina bonitas, ex cuius amore eſt, quod Deus eam communicare vult. Non enim agit propter ſuam bonitatem, quaſi appetens quod non habet, ſed quaſi volens communicare, quod habet, quia agit non ex appetitu finis, ſed ex amore finis. D.Tho. de pot.q.3.a.15.ad 14. Appetitus enim propriè eſt rei non habitæ: Deus autem totum ſuum bonum in ſe habet, vnde nec voluntas Dei, propter ſuam perfectionẽ, poteſt appetitus nominari, amor verò eſt rei etiam habitę. Hinc quoq; patet ſenſus illius dicti; Alia agentia agunt propter deſiderium boni, & propter deſiderium finis. Nam & deſiderium propriè eſt rei non habitæ, ſed Deus agit propter amorem finis, & propter amorem boni, quod habet, & vult alijs communicare. Ergo quia Deus, non ex appetitu finis, ſed ex eius amore, agit, diuina bonitas amata eſt ratio, & cauſſa finalis, propter quam vult creaturas producere, in quantum in ipſa creaturarum productione manifeſtatur diuina bonitas, quam ſummè amat, ità quòd non vellet ipſam creaturarum productionem, niſi diuinam bonitatem manifeſtarent. Sicut & infirmus non vult medicinam, niſi in quantum eſt cauſſatiua ſanitatis. In hoc ſenſu intelligendum dictum. D. Tho. 2.contra Gent. c 38. Finis Diuinæ voluntatis in rerum productione, eſt eius bonitas, in quantum per cauſata manifeſtatur. In qua manifeſtatione attenditur vtilitas creaturæ. Et ità apparet, quàm rationabiliter in cuiuſlibet rei productione dicatur, vidit, quòd eſſet bonum.

2 ¶ *Bonum creatum, & bonum diuinum ſunt aliquid melius, ſaltem extenſiuè, quam ſolum bonum diuinum.*] Res creata quoddam bonum eſt, alioquin Deus creando bonum, nihil boni feciſſet, nec Scriptura dixiſſet Gen.1. Vidit Deus, quòd eſſet bonum; nullus autem ſanę mentis poteſt concipere, quòd duo non ſint plura vno. Ergo bonum creatum additum bono diuino ſunt aliquid melius, ſaltem extenſiuè, altero ſolo. Dur. 1.d.44.q.3.nu.7. Hæc Concluſio, vt a communi præcellentium Doctorum Doctrina aliena, ità re

pro-

probatur à Carthu.cit.d.q.1. cum quicquid ſit bonitatis in creaturis, totum contineatur inſuperditiſſimo, & ſuper perfectiſſimo Deo, ſuper eſſentialiter, idealiter, cauſſaliter, atque per modum infinitè eminentiorem. Totumq; vniuerſum ſit vt punctum reſpectu illius, immo plus diſtet, & deficiat à Deo, quàm punctum à linea, cùm & punctus ſit reductiuè in genere quantitatis, Deus autem omne genus infinitè tranſcendit, rude videtur, quod ait, bonum creatũ increato bono coniunctum conſtituere maius bonum, quàm ſit ſolum increatum bonum. Hæc ille. confirmatur. Quærunt Doctores, an perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit melior, quàm antè, præſertim, cùm in ea poſt incarnationẽ, ſint plura bona, quàm ante, videlicet, aſſumpta natura cũ omni excellentia ſua; quę eſt toto melior vniuerſo. Reſpondent, præcipuè. D. Tho.3.d.6.q.2.a.3.ad 1. quòd nõ Quia bonum creatum ſe habet ad bonum increatũ ſicut punctus ad lineam, cùm nulla ſit proportio vnius ad alterum: Vnde ſicut lineæ additum punctum non facię maius, ità nec bonum creatum additum in perſona bono increato facit melius: vel etiam, quia tota ratio bonitatis omnium bonorum eſt in Deo. Quare dicitur omne bonum, & non poteſt ei fieri additio alicuius boni, quod in ipſo non ſit. Præterea, res habent verius eſſe in Deo, quam in ſe ipſis. De qua re, D. Tho. de verit.q.4.a.6. ità loquitur. Verius eſt aliquid vbi eſt per ſuam eſſentiam, quàm vbi eſt per ſuam ſimilitudinem: in ſe autem res ſunt per ſuam eſſentiam, ergo veriùs ſunt in ſe ipſis, quàm in Verbo, in quo ſunt per ſuam ſimilitudinem. Reſpondet; li. Verius, poteſt deſignare, vel veritatem rei, vel veritatem prędicationis; Si deſignet veritatem rei, ſic proculdubiò maior eſt veritas rerum in Verbo, quàm in ſeipſis; nam creatura in Creatore eſt Creatoris eſſentia, vt Anſel. dicit, ſed eſſe increatum eſt verius, quàm creatum: Si autem deſignetur veritas prædicationis, ſic eſt è conuersò. Veriùs enim predicatur homo de re, prout eſt in propria natura, quàm de ea, ſecundùm quod

eſt in Verbo, neque hoc eſt propter defectum Verbi, ſed propter ſupereminentiam ipſius. Nam propter diſtantiam cauſſae à cauſſato, aliquid verò praedicatur de cauſſato, quod non praedicatur de cauſſa. Delectationes non dicuntur delectari, quamuis ſint nobis cauſſę delectandi. Et hoc ideo, quia modus cauſſarum eſt ſublimior, quàm ea, quæ de effectibus prędicantur. Sol non poteſt dici calidus, quamuis ab eo alia calefiant, quod eſt propter ipſius ſolis eminentiam ad ea, quæ calida dicuntur. Cũ ergo dicitur, Verius eſt aliquid, vbi eſt per eſſentiam &c. Si intelligatur de veritate prædicationis, ſimpliciter verum eſt, ſed ſi intelligatur de veritate rei, tunc verius eſt, vbi eſt, per ſimilitudinẽ, quæ eſt cauſſa rei: minus autem verè, vbi eſt, per ſimilitudinem cauſſatam à re. Inſuper citatus. D. Tho. 1. Sent. d. 24. a. 1. in ſolut. 4. Deus (inquit) aliquo modo poteſt connumerari alijs rebus, vt dicatur, quòd Deus, & Angelus ſunt duæ res. ſed non ſequitur, quòd Deus, & Angelus ſint aliquid maius, quàm Deus, ſed quòd ſint plures res.

Et diuiſit lucem à Tenebris. Appellauitq́ lucem diem, & tenebras noctem.

ARGVMENTA.

1 CVm dicitur, Deus diuiſit lucem à tenebris, nomine lucis deſignãtur Angeli ſancti ſecundum Auguſtinum, nomine tenebrarum angeli, qui ceciderunt per peccatum, ergo Angeli de ſua natura indiffe tiam habent ad lucem, & tenebras, ergo non ſunt de ſua natura lumina. Quod tamen Areopag. tum in lib. de diu. nom. tum de Cæle. Hiera. docet. Alex. 2. p. q. 20. m. 2.

2 Vt habet Auguſt. contra Felicianum, vna lucis ſubſtan-

tia noctem, & diem facere videtur; ſed non eodem modô; diem enim facit, cùm venit, noctem verò, cùm recedit. Ergo ſimiliter vna lux ſpiritualis facit expoliationem gratuitorum; Sed Deus eſt lux ſpiritualis: ergo expoliatio illà eſt a Deo. Alex. cit. p. q. 95. m. 1.

3 Quæritur, quare non dixit, fiant tenebræ, ſicut dixit, fiat lux. Si enim dicitur, quòd tenebræ non ſint niſi luminis abſentia, & propter hoc non dixit, fiant tenebræ: tunc etiam non debuit dicere; appellauit tenebras noctem, quia cùm omne nomen imponatur à forma, quod formam propriam non habet, quà ab alijs diſtinguatur, nomen propriũ habere non poteſt: ergo etiã nomine proprio appellari non debuit à Deo; & ſic malè dicitur, appellauit tenebras noctem. Alb. 2. p. q. 51. m. 2.

4 Aut eſt diſtinctio ad formam, vel ad locum. Non ad formam, nempè attribuendo vtrumq; ſuæ formæ, alioquin opus diſtinctionis non eſſet ſeparatum ab opere creationis, & ornatus, quod eſt falſum. Nam in ómni opere ſex dierum tam creationis, quàm diſtinctionis, & ornatus, ſingulis diebus attribuitur aliquid ſuæ formæ. In creatione, cælũ fit cælũ; terra fit terra. In diſtinctione, lux fit lux, & nox fit nox, quę ſic non diſtinguntur, niſi per acceſſiones propriarum formarum. Similiter in opere ornatus, ſol fit ſol; & luna luna, per adeptionẽ propriarum formarum. Non ad locum; quoniam hoc eſſet, vel in cauſſa, vel in effectu, nõ in cauſſa diſtinxit lucem à tenebris, etenim cùm cauſſa lucis non poſſit eſſe niſi luminoſa natura Cæli in perſpicuo, ſiue aere: tunc primò debuit dixiſſe in opere creationis, quando dixit. In principio creauit Deus cælum, & terram: & vidit Deus quòd eſſet bonum: & diſtinxit cælũ à terra; & vocauit diem cælum, & terram propter opacitatem, quæ tenebras facit, vocauit noctem. Neq; in effectu diſtinxit, alioquin qualitas aeris, quę dicitur dies, præſentia ſcilicet luminis, diſtincta eſſet a tenebris noctis, quod eſſe non poteſt, cùm qualitas per ſe diſtinguibilis non ſit, cùm ſit accidens,

& non feratur de loco ad locum, niſi motu illuminantis, à cuius oppoſitione directa ſuper perſpicuum generatur lux. ergo nullo modo poteſt dici; Diuiſit lucem à tenebris, Alb. loc. cit.

5 Tempus diuiditur per diem, & noctem. Sed à principio nec nox, nec dies erat: ſed poſtmodũ cùm diuiſit Deus lucem à tenebris. ergo à principio non erat tempus. D. Tho. 1. p.q. 66.a.4.arg.2.

6 Dies ex pręſentia lucis cauſſatur, vnde dicitur Gen. 1. quòd Deus vocauit lucem, diem; Sed lux non propriè in ſpiritualibus, ſed ſolùm metaphoricè, dicitur, quoniam nullum per ſe ſenſibile poteſt in ſpiritualibus propriè accipi; Ea, quę ſenſibilibus, & ſpiritualibus ſunt communia, non ſunt ſenſibilia niſi per accidens, ſicuti ſubſtantia, potentia, virtus, & huiuſmodi. lux autem eſt per ſe ſenſibilis viſu. Non videtur ergo eſſe litteralis expoſitio, quòd per diem cognitio Angelorum intelligatur, vt dicantur ſex dies, ſecundùm cognitionem Angelicam ſexties rebus cognoſcendis præſentatam, ſecundùm rerũ ſex genera. D. Tho. de pot. dei.q.4.a.2.arg.3.

7 Informitas creaturæ conditę non præceſſit duratione, ſed ſolùm natura, vel origine formationem, quę deſcribitur per opera ſex dierum, vt placet Auguſtino, primo ſuper Gen. ad litt. Sed ſicut ipſe poſtmodum dicit, per diſtinctionem lucis à tenebris intelligitur diſtinctio bonorũ Angelorum à malis: ergo ſtatim in primo inſtanti creationis rerum fuerunt quidam Angeli boni, & quidã mali. Di. Tho. de Mal.q. 16. a. 4. ad 12. & 1.p.q.63.a.5.arg.2.

8 Statim diuiſa fuit lux à tenebris, in inſtanti ergo fuerunt iſti boni, & illi mali: non ergo peccatum Luciferi fuit alijs occaſio peccandi, vel exemplum, quia non pręceſſit eorum peccatum. Aegid.2.d.6.q.1.a.3.

9 Dies fuit facta cũ factione lucis, vt patet ex Gen. 1. quia Deus faciendo lucem diuiſit lucem à tenebris, & appellauit lucem diem, & tenebras noctem; cùm ergo fuerit factus

mun-

mundus antè lucem, mundus fuit factus antè omnẽ diem; ergo non eſt factus in die. Aegid. cit. lib. d. 12. q. 2. a. 5.

CONCLVSIONES.

1 DISTINCTIO, *& multitudo rerum eſt ex intentione primi agentis, quod eſt Deus*.] Producit enim Deus res in eſſe propter ſuam bonitatem communicandam creaturis, & per eas repræſentandam. Et quia per vnam creaturam ſufficienter repræſentari non poteſt, producit multas creaturas, & diuerſas, vt quod deeſt vni ad repræſentandam diuinam bonitatem, ſuppleatur ex alia. Nam bonitas, quæ in Deo eſt ſimpliciter, & vniformiter, in creaturis eſt multipliciter, & diuiſim. Vnde perfectiùs participat diuinam bonitatem, & repręſentat eam, totum vniuerſum, quàm alia quęcunque creatura. Et quia diuina ſapientia eſt cauſſa diſtinctionis rerum, ideo Moyſes dicit, res eſſe diſtinctas Verbo Dei, quod eſt conceptio Sapientiæ. Et hoc eſt, quod dicitur Gen. 1. Dixit Deus, Fiat lux, & diuiſit lucem à tenebris. D. Tho. 1. p. q. 47. a. 1. Aduerte quòd cùm dicitur, nominatur, aut quęritur ſufficiens repræſentatio bonitatis diuinę, non eſt ſermo de ſufficientia ſimpliciter; quoniam nec mille mundi ſufficerent ad id, ſed de ſufficientia conſona perfectioni vniuerſi. Huc enim tendit ratio, vt, huiuſmodi repręſentationem diuinæ bonitatis in rerum vniuerſitate, per ſe intentam à Deo, fateatur; quia vnica creatura ad huiuſmodi repræſentationem non ſufficeret. Caiet. eo loci. Credo etiam, quòd cùm dicit, perfectiùs participat diuinam bonitatem, & repræſentat eam, totũ vniuerſum, quàm alia quæcunq; creatura, excludat humanitatẽ Chriſti, cum omni excellentia ſua. Nam Doctores dicunt, quòd aſſumpta natura eſt toto melior vniuerſo, & ipſe D. Tho. cit. p. q. 20. a. 4. ad 1. ait, Quòd Deus Chriſtum diligit, non ſolùm pluſquam totum genus humanum, ſed etiam magis, quàm totam vniuerſitatem creaturarũ: quia ſcilicet ei maius

ius bonum voluit, quia dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt verus Deus eſſet. Nec eius excellentiæ deperijt ex hoc, quòd Deus dedit eum in mortem pro ſalute humani generis: quinimmo ex hoc factus eſt Victor glorioſus: factus eſt enim principatus ſuper humerum eius, vt dicitur Eſa. 9. Et 3. Sent.d.2.q.1.a.1.quæſt.3. inquit, quòd humana natura à filio Dei aſſumpta, totũ vniuerſum aſſumptum eſt: eſt enim homo totius vniuerſi epilogus.

2 ¶ *Diſtinctio rerum non eſt per aliquem Angelum inducentem in materia diuerſas formas.*] Falſa eſt opinio dicentiũ, Deum omnium Viſibilium creaſſe materiã, ſed per aliquem Angelum per diuerſas formas fuiſſe diſtinctam. Ad excludendum iſtũ errorem, Gen. 1. Moyſes, poſtquam dixerat Deum in principio Cælum, & terram creaſſe, ſubdit, quomodo omnia in proprias ſpecies formando diſtinxerit. D. Tho. 2. contra Gent. c.43.

EXPOSITIO.

IN productione lucis, diſtincta eſt lux à tenebris, quantum ad tria. Primò quidem, quantùm ad cauſſam: Secundùm quòd in ſubſtantia ſolis erat cauſſa luminis: in opacitate autem terræ cauſſa tenebrarum: Secundò, quantùm ad locum, quia in vno hemiſphærio erat lumen, in alio tenebræ. Tertiò, quantùm ad tempus: quia in eodem hemiſphærio, ſecundùm vnam partem temporis, erat lumen; & ſecundùm aliam tenebræ. Et hoc eſt, quod dicitur, lucem vocauit diem, & tenebras noctem. D. Tho. 1.p.q.67.a.4. ad 2. Quod procedit etiam, ſi ponatur, quòd lux primò creata fuerit quædam nubecula, vt dictum eſt ſecundùm opinionem Magiſtri. Quomodo autem lux illa faceret diem, ac noctem, idem D. Tho. tùm in loco citato, tum 2.d.13.a.4. ad 3. explicat. Damaſc. inquit, opinatus eſt, quòd lux illa faceret diem, ac noctem per contractionẽ luminis, & emiſſionem, ſicut etiam Sol ſuos radios retraxit in terra Aegypti, cùm alibi lux eſſet, vt dicitur Exod. 10. Et ſimiliter in

cui paſſione

paſſione Domini, quando tenebrę factæ ſunt ſuper terram, vt habetur Matth. 27. Sed hóc non poteſt eſſe, quia illuminare eſt actio à corpore lucente proueniens ſecundùm neceſſitatē naturæ, & ideo oportet, quòd ſemper illuminet corpora ſibi directè oppoſita; niſi fortè poneretur habere aliqua coopercula; ſicut ſunt palpebræ oculorum, quibus ſe tegeret: quod ridiculum eſt dicere. Aut niſi ponatur, hoc virtute diuina fieri, & quaſi miraculosè. Et hoc non conuenit ponere in prima inſtitutione naturæ; vt Auguſtinus dicit; Et præterea exemplum de paſſione Chriſti non eſt conueniens, quia obſcuritas illa non fuit facta per contractionem radiorum Solis; Sed per interpoſitionem corporis lunaris; Vt Dion. in Epiſt. ad Policarpum dicit: Sicut etiam fit in eclipſi Solis: quamuis tunc tempus non eſſet eclipſis; vnde miraculoſa fuit. Et ideo alij dicunt, quòd dies, & nox fiebant per motum circularem illius lucis, quo accedebat, & recedebat: nec eſt inconueniens, ſubſtantias Sphærarum, 2
quæ lucem reuoluerent, â principio creationis fuiſſe, quibus poſtmodùm aliquæ virtutes collatæ ſunt in operibus diſtinctionis, & ornatus. Aut, ſi ſubſtantiæ ſphęrarū non erant ſuis figuris determinatæ, ipſum corpus lucidum naturaliter, circulariter mouebatur: cū eſſet de natura quintæ eſſentiæ; & ità ſuo motu circulum deſcribebat, ſicut lapis ſuo motu lineam rectam facit, rectius etiam, quàm ars. Hæc ille. Concordat D. Bon. cit. d. q. 2. (Vocauit lucem diem) id eſt, dedit ei formam talem; vnde congruè ſic vocaretur: dedit autem determinationem Verbi ęterni, & ſapientiæ huic formæ, quando creaturas diſtinxit. Et per priuationem huius formę, opacum vocauit tenebras: tenebrę enim dicuntur à tenendo, quia tenent lucem, ne aliquid illuſtret, quod eſt per opacum, quando luci opponitur. Eaſdem vocauit noctem, ab hac eadem priuatione formę: Nox enim à nocendo dicitur: nocet enim impediendo lucem viuifici ſuperioris corporis, ne viuificet inferiora generabilia, & corruptibilia, & ne venuſtentur illuſtratione ſuperiorum

alio enim nomine, propter tale nocumentũ, vocari non poſſunt. Alb. 2. p. cit. q. 51. Et aduertendum, quòd vbicunque dicitur, vocauit, poteſt ſignificari æquiuocatio nominis, Vnde dictum eſt, Vocauit lucem diem, propter hoc, quòd etiam dies vocatur, ſpatium viginti quatuor horarum, iuxtà illud, Factum eſt veſpere, & mane dies vnus: ſicut etiã dicitur, Firmamentum, id eſt, aerem vocauit cælũ, quia etiam cęlum dicitur, quod eſt primò creatum. Et aridam, id eſt, illam partem, quæ eſt diſcooperta aquis, vocauit terram, prout diſtinguitur contrà mare: quia communi nomine terra vocatur: ſiue ſit aquis cooperta, ſiue diſcooperta. Intelligitur autem vbiq; per hoc quod dicitur, vocauit, ideſt, dedit naturam, vel proprietatem, vt poſſit ſic vocari. D. Tho. 1. p. q. 69. a. 1. ad 5.

QVESITA.

1 *CVR Scriptura in principio Geneſis non faciat mentionem de primo peccato dæmonis, ſicut de ſecundo, quo ſcilicet tentauit hominem.*] Angelicum peccatum ſilentio in Geneſi abſconditum eſt, & hominis patefactum; quia Angelicum vulnus Deus non prędeſtinauit curare: hominis verò vulnus, peccatum ſcilicet, ſanare prædeſtinauit. Præterea, per magnitudinem poenę voluit deterrere hominem: propter peccatum enim vnius punitum eſt totum genus humanum: propter peccatum verò primi Angeli ipſe ſolus punitus eſt à principio. Nihilominus tamen implicitè dictum eſt peccatum illius, cum dictum eſt, Diuiſit Deus lucem à tenebris. Illa enim diuiſio deſignat ipſam poenam, quæ immediatè ſecuta eſt ad culpam. Nec Scriptura facit mentionem de primo peccato Dæmonis, niſi ſub quibuſdam figuris, ſicut ſub figura Regis Babylonis. Iſa. 14. & ſub figura principis Tyri. Ezech. 28. ne propter ſui immanitatem homo acciperet exemplum deſperationis: attendens enim homo peccatũ Diaboli non remiſſum, nec remiſſibile, poſſet deſperare, idem credendo de ſuo. Alex. 2. p. q. 98. m. 8

Quo-

Quomodo autem accipienda ſit diſtinctio lucis, & tenebrarum, ſecundùm quòd, per tenebras peccata Dæmonum intelliguntur, declarat D. Tho. 1.p.q.63. a.3. in ſolutione ſecundi. Illa (inquit) diſtinctio lucis, & tenebrarum, ſecundum quòd per tenebras, peccata Dæmonum intelliguntur, accipienda eſt ſecundùm Dei præſcientiam. Vnde Auguſtinus dicit ij. de Ciuit. Dei, quòd ſolus lucem, ac tenebras diſcernere potuit, qui potuit etiam, prius quàm caderent, pręſcire caſuros. Hæc ille.

AD ARGVMENTA.

Ad 1 DATVR lumen naturę, & gratiæ. Angeli ſecundùm naturalia fuere lumina ſplendentia, indifferentes tamen ad lumen gratiæ, vel gloriæ, & ad tenebras peccati. Boni modò ſunt lumina ſplendidiſſima, mali naturalia habent integra. Verba Dio. 4. cap. de Diu. nom. ſunt (referente D. Tho. 1.p. q.64. a. 1.) data ſunt Dæmonibus aliqua dona, quæ nequaquam mutata eſſe dicimus, ſed ſunt integra, & ſplendidiſſima. Et hoc ideo, quia ſimplices ſunt, & propter ſimplicitatem ſuæ ſubſtantię, à natura eorum aliquid ſubtrahi non poteſt, vt ſic per ſubtractionem naturalium puniantur, ſicut homo punitur per ſubtractionem manus, aut pedis. Vnde naturalis cognitio in eis non eſt diminuta, poteſt tamen tenebroſa vocari, & nocturna, quatenus in Deum non refertur.

Ad 2 Concedendum, quòd lux Sapientiæ deſerit peccatorem, ſed non deſerit niſi prius deſeratur, Vnde Auguſt. in lib. de bono perſeu. Voluntate ſua quiſq; deſerit Deum, vt merito deſeratur à Deo, & 2. Paralip. 12. Vos reliquiſtis me, & ego reliqui uos in manu Seſach. & ad Heb. 12. Videte, ne quis deſit gratiæ Dei. Quaſi diceret. Videte, ſemper parata eſt gratia: Deus non deſerit, ne vos ergo deſeratis: & Anſel. Peccator non habet gratiam, non quia Deus non dat: ſed quia homo non accipit. Ipsè ergo peccator gratiam ſibi ſubtrahit: facit enim aliquid, quo amittit gratiam.

 Neq

Neq; ſimile eſt, de luce corporali, & ſpirituali: lux enim corporalis, per ſui præſentiam, & abſentiam, eſt cauſſa ap poſitiua luminis, ſcilicet, & tenebrarũ, & hoc, quia aliquan do abeſt, propterea quod de loco ad locum mouetur. At lux ſpiritualis vbiq; eſt, & ideo non eſt cauſſa tenebrarum ſpiritualium, ſed liberum arbitrium, in quo ponitur obex. ſicut enim corpus opacum interpoſitum eſt cauſſa tenebrę corporalis aliquando, ità liberum arbitrium, ratione peccati. Et ideo dicitur Iſa.59. iniquitates noſtræ diuiſerunt inter nos, & Deum. Ergo non Deus propriè eſt, qui gratuitis ſpoliat, ſed ipſi nos, iniquitate noſtra, ſpoliamus, Alex. De hoc, loco citato Iſa.59. redibit copioſior ſermo.

ad 3 Quemadmodum dixit, fiat lux. dicere poterat, ſeparetur, vel diſtinguatur lux à tenebris, vnum, enim fit per alterum, & ideo primò dixit, fiat, & poſtea, Diuiſit lucem à tenebris: dicendo, fiat, attribuit luci formam, dicendo, Diuiſit, attribuit ei motum, per quem ad diuerſa loca tenderet, in quibus ſaluaretur, & proprios actus ageret. Non potuit autem dicere, fiant tenebræ, quia non ſunt niſi priuatio, & defectus; vnde non fiunt per aliquod opus artificis, ſed ipſa carentia lucis tenebræ ſunt. Nomen verò accipiunt ab ipſa priuatione lucis: ſicut omnis priuatio ab habitu denominatur, & diffinitur. Alb. Addit Alex. 2.p.q.49. m.2. ex Auguſtino contra Manich. Non eſt dictũ, fecit Deus tenebras, quia tenebræ lucis abſentia eſt; diſtinctio tamen facta eſt inter lucem, & tenebras, quemadmodum nos clamando facimus vocem, ſilentium autem non ſonando facimus, quia ceſſatio vocis ſilentium eſt: diſtinguimus tamen ſenſu inter vocem, & ſilentium, & illud vocamus vocem, & illud ſilentium. Quemadmodum ergo rectè dicimur facere ſilentium, ſic rectè, multis diuinarum ſcripturarum locis, Deus dicitur facere tenebras, quia lucem, quibus vult temporibus, & locis vel non dat, vel detrahit.

ad 4 Fit diſtinctio ad vtrunq;, nempè ad formam, & ad locũ; Qui dat formam, dat omne quod conſequitur formam genera-

neraliter: & hęc ſunt motus, & locus. Vnde Creator, quando cæleſti naturę dedit formam luminoſi, & terreſtri formam opaci, diſtinguendo ea in diuerſas formas, eo ipſo, dedit eis motus ad diuerſa loca, in quibus ſaluarentur: locus enim eſt ſaluatiuus locati. Et per hoc diſtinxit, quoniã luminoſum in extremitate circunferentiæ machinæ mundialis circũ ire fecit, vt vndique lumen infunderet. Et quia non eſt relatio ad circunferentiam æqualis, niſi centri: per hoc, ipſum luminoſum ad locum ſupremum diſtinxit, & opacum, quod vndique mouetur à lumine, determinauit ad imum, hoc eſt, ad medium, vt, reflexione radiorum luminoſi, calor viuificus excitaretur, per quem, ex humido, & terreno elemento, formæ producerentur generabilium, & corruptibilium: & ſic diuiditur lux à tenebris, primò in cauſſa, conſequenter in effectu. Sed Cælũ ſecundùm ſubſtantiam non eſt cauſſa diei, ſed potius ſecundùm formam lucis, & ideo in creatione, cùm creatio ſit actus conditoris producentis ſubſtantias principiorum, nulla potuit importari diſtinctio, & propterea inconuenienter dixiſſet, Diuiſit Cælũ à terra: Et vocauit cęlum diem, & terram noctem. Sed oportuit, ante cælum veſtiri luce, & per oppoſitum, terram veſtiri opacitate, vt per has duas formas eſſent cauſſæ diei, & noctis, & ideo oportuit dicere in opere diſtinctionis, fiat lux, & diuiſit lucem à tenebris. Alb.

Ad 5 Sancti, ponentes informitatem materiæ duratione præceſſiſſe formationem, dicunt in prima mundi origine ipſi informi materię tempus fuiſſe concreatum; Neceſſe eſt enim, pro illa duratione, ponere tempus aliquod, aliter nanque menſura durationis accipi non poſſet; ſed ſicut materia ipſa erat quodam modo informis, & poſtea fuit formata, ità tẽpus quodãmodo fuit informe, & poſtmodum formatum, & diſtinctum per diem, & noctem. D. Tho. Et aduerte, quòd duplex eſt motus in cælo. Vnus communis toti Cęlo, qui facit diem, ac noctem: & iſte videtur inſtitutus primo die, alius eſt, qui diuerſificatur per diuerſa corpora, ſecundùm quos

quos motus ſit diuerſitas dierum ad inuicem, & menſium, & annorum. Et ideo in prima die ſit mentio de ſola diſtinctione noctis, & diei, quæ ſit per motum communem. In quarta autem die ſit mentio de diuerſitate dierum, & temporum, & annorum; cùm dicitur, vt ſint in tempora, & dies, & annos. quæ quidẽ diuerſitas ſit per motus proprios. D. Tho. 1. p. q. 67. a. 4. ad 3.

ad 6 Quoniam inferiùs, ſuper illud, Factũ eſt Veſpere &c. dies ſextus, declaranda eſt opinio Auguſtini, nunc ſatis erit docere, quòd lux propriè in ſpiritualibus eſt. Auguſt. 4. ſuper Gen. ad litt. dicit. In ſpiritualibus melior, & certior eſt lux, neq; Chriſtus ſic dicitur lux, quomodo lapis; ſed illud propriè, hoc autem figuratiuè. Nam omne, quod manifeſtatur, lumen eſt, vt dicitur Eph. 5. Sed manifeſtatio magis propriè eſt in ſpiritualibus, quàm in corporalibus. Vnde Dio. 4. cap. de diu. nom. ponit lumen inter intelligibilia nomina Dei. Nomina autem intelligibilia propriè dicuntur in ſpiritualibus. Cùm verò in argumento dicitur &c. Reſpond. quòd nomen lucis primò fuit impoſitum ad ſignificandum id, quod facit manifeſtationem in ſenſu viſus. & hoc modo lux eſt qualitas per ſe ſenſibilis, nec dicitur propriè in ſpiritualibus. Secundò, ex communi vſu extenſum eſt ad ſignificandum omne illud, quod facit manifeſtationem ſecundùm quamcunque cognitionem, & ſic eſt in communi vſu loquentium, & hoc modo lux magis propriè dicitur in ſpiritualibus. D. Tho.

ad 7 Manichæus credidit, Dæmones malos eſſe natura. Quidam ex Catholicis opinati ſunt, Dęmones in primo inſtanti creationis malos fuiſſe, non quidem per naturam, ſed per peccatum propriæ voluntatis: Cõmunis ſententia Theologorum eſt, Dęmones in primo inſtanti non peccaſſe, ſed vtrùm peccare potuerint. quidam, ex quibus eſt D. Tho. negatiuàm partem tuentur, alij, ex quibus eſt Doctor ſubtilis, affirmatiuam: quæ inferiùs dilucidabuntur, ſuper illud. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat? &c. Sufficit nunc ſcire pro

argu

argumenti ſolutione, quòd illa diſtinctio lucis, & tenebrarum, ſecundùm quòd per tenebras peccata Dęmonum intelliguntur: accipienda eſt ſecundùm Dei præſcientiam, vt in Quæſito dictum eſt.

ad 8 Licet ſimul Dęmones peccauerint, tamen peccatū vnius potuit eſſe alijs cauſſa peccandi. Angelus enim non indiget, ad eligendū, vel exhortandū, vel etiam conſentiendū temporis mora: ſicut homo, qui deliberatione indiget ad eligendū, & ad conſentiendum, & locutione vocali ad exhortandum: quorum vtrunq; tempore agitur. Manifeſtum eſt autem, quòd etiam homo, ſimul dum aliquid in corde concepit, in eodem inſtanti incipit loqui: & in vltimo inſtanti locutionis, in quo aliquis ſenſum loquentis capit, poteſt aſſentire ei, quod dicitur: vt patet maximè in primis conceptionibus, quas quiſque probat auditas. Sublato ergo tempore deliberationis, quod in nobis requiritur, in eodem inſtanti, in quo primus Angelus ſuam affectionem intelligibili locutione expreſſit, poſſibile fuit alijs in eam conſentire. D. Tho. 1. p.p. 63. a. 8. Modum autem, quo peccatum Luciferi potuit eſſe alijs occaſio peccandi, declarat Aegid. Dæmon, & alij apoſtatæ Angeli beatitudinem appetierunt. Sed quia beatitudo illa erat ſupernaturalis, non habebant plenā ſcientiam, qualiter deberent eam conſequi, & cum deberent in hoc expectare diuinam ordinationem, & committere ſe in hoc Deo, vt illo modo conſequerentur, quo Deus vellet, videntes quòd lucifer, in quo erat tanta plenitudo ſcientiæ, illum modum elegit, ęſtimauerunt ipſum de modo conſequendi beatitudinem certiorem cognitionem habere. Conſenſus ergo luciferi fecit in alijs apparentiam, quòd haberet quandam ſpeciem poſſibilitatis, beatitudinem conſequi per naturam: ex quo lucifer, ſic plenus ſcientia, illum modum elegerat: electio ergo luciferi, ratione ſapientiæ, quam videbant in ipſo, fuit eis magna occaſio peccandi, vt ipſi ſic beatitudinem appeterent per naturam conſequi, vt appetierat lucifer. Rurſus, fortaſſis potuit æſtimare, & ęſtimauit

lucifer, quòd, cùm non plenè ſciret modum conſequendi beatitudinem, debebat ſuper hoc expectare diuinam ordinationem, propter hoc præueniendo, & eligendo vt per ſuam naturam hoc conſequeretur, peccabat. Sed videns ſe ità pulchrum, & alijs excellentiorẽ, æſtimauit hoc ſibi Deum debere indulgere, & etiam ad conſequendum propoſitum adiuuare. Sicut filius aliquis carnalis, dilectus à patre, ſi in appetendo aliquid præueniret voluntatem patris, crederet in hoc indulgentiam obtinere, & cùm hoc ad obtinẽdum propoſitum à patre adiuuari: ſub hac confidentia conſenſerunt cæteri peccato luciferi, non credentes creaturam tam pulchram, Deum damnare debere. Hæc ille. Ideo dicitur Apoc. 12. quòd draco traxit cauda tertiam partem ſtellarum cæli: vbi fuſior ſermo de hac eadem re habebitur. Quis autem ſit optimus modus explicandi ſuperbiam Diaboli, dicetur infrà, ſuper illud. Factum eſt veſpere, &c. dies ſextus.

ad 9 Noni ſolutio inferiùs habebitur in explanatione illius dicti. Iſtæ ſunt generationes cæli. &c.

Et factum eſt veſpere, & mane dies vnus.

ARGVMENTA.

1 COGNITIO veſpertina non tollebatur, vel tollitur in Angelis adueniente matutina, ſicut dicitur in Gen. Factum eſt mane, & veſpere dies vnus. Sed cognitioni matutinæ reſpondet dilectio glorioſa, cognitioni veſpertinæ dilectio naturæ: aut rationis, ſeu liberi arbitrij. ergo habita dilectione glorioſa, non tollitur dilectio naturæ, vel rationis, ſeu liberi arbitrij. Alex. 2. p. q. 30. m. 2.

2 Prima die diuiſa eſt lux à tenebris, & dies à nocte, ergo ſicut dicit. Factum eſt veſpere & mane dies vnus: ità dicere

cere debuit, facta eſt nox vna. Alex. 2. p. q. 46. m. 5. a. 5.

3 Si in initio diei eſſet lux creata, tunc feciſſet mane, & veſperam. At dictum eſt: Factum eſt veſpere, & mane dies vnus. ergo veſpere præceſſit. ergo nō in initio diei facta eſt lux. Alex. cit. p. q. 48. m. 1.

4 Cognitio Angelorum in verbo, ſignificata per, mane, nobilior eſt cognitione in proprio genere, ſignificata per, veſpere, ergo mane debuit præordinari veſperi. Alex. eo loci. q. 49. m. 2.

5 Dicitur Gen. 1. Factū eſt veſpere, & mane dies vnus. Sed per diem intelligitur cognitio Angelica, vt Auguſtinus dicit. ergo vna, & eadem eſt cognitio in Angelis matutina, & veſpertina. D. Tho. 1. p. q. 58. a. 7.

6 Quæ leguntur facta in operibus ſex dierum, ſimul facta fuerunt, vt Auguſtino placet, & ità oportet, quòd ſtatim à principio creationis rerum fuerint omnes illi ſex dies: Sed in illis ſex diebus, ſecundùm eius expoſitionem, mane fuit cognitio Angelica, ſecundùm quā cognouerunt Verbum, & res in Verbo: ergo ſtatim à principio ſuæ creationis Angeli fuerunt beati. D. Tho. cit. p. q. 62. a. 1.

7 Cognitio rerum Angelis conueniens eſt duplex ſecundùm Aug. ſcilicet matutina, & veſpertina. Sed cognitiò matutina non competit Dæmonibus: quia nō vident res in Verbo. Nec cognitio Veſpertina, quia cognitio Veſpertina refert res cognitas ad laudem Creatoris. Vnde poſt Veſpere fit mane, vt dicitur. Gen. 1. Ergo Dęmones non poſſunt cognitionem de rebus habere. D. Tho. cit. p. q. 64. a. 1. arg. 3.

8 Veſpere, & mane non poſſunt eſſe ſimul, ſi ergo per mane, intelligitur cognitio matutina, & per Veſpere, Veſpertina; ſequitur quòd res non poſſint ſimul cognoſci matutina, & Veſpertina cognitione. D. Tho. Quol. 9. a. 7.

9 Auguſtinus ſecundo ſuper Gen. ad litt. dicit, quod per hoc, quod dicitur, Dixit Deus fiat, intelligitur, quòd res fiendæ prææxtiterunt in Verbo, per hoc, quod dicitur, &

factum eſt ità, intelligimus factã rei cognitionem in creatura intellectuali; per hoc, quod dicitur, fecit Deus, intelligitur in ſuo genere fieri creatura. Si ergo per diem cognitio Angeli intelligitur, poſtquam dixerat de aliquo opere, factum eſt ità in quo cognitio Angelica intelligitur, ſuperflue adderetur, factum eſt veſpere & mane dies vnus, vel dies ſecundus. D. Tho.de potent. Dei. q. 4. a. 2. arg. 8.

10 Inter Veſpere, & mane eſt nox, & inter mane, & Veſpere eſt meridies, ergo ſicut fecit Scriptura de Veſpere,& mane mentionem, ità debuit facere de meridie. D. Tho. ibi arg. 14.

11 Ea quę non ſunt vnius rationis, non poſſunt aliquod vnũ conſtituere, ſed cognitio rerum in Verbo, & in propria natura eſt alterius, & alterius rationis, cùm medium cognoſcendi ſit omnino diuerſum, ergo ex mane, & Veſpere, ſecundum Auguſtini expoſitionem, non poſſet vnus dies perfici. D. Tho.ibi arg. 19.

12 Secundùm Auguſtinum 4. ſuper Gen. ad litt.per Veſperum primæ diei intelligitur conuerſio Intellectus Angelici ad ſuam naturam, quæ quidẽ fuit in primo inſtanti ſuæ creationis; per mane autem ſequentis diei intelligitur conuerſio eius ad Verbum. Si ergo ſecundùm eius ſententiam omnia fuerunt ſimul facta, quæ referuntur in operibus ſex dierum, videtur quòd ſimul Angelus cùm ſe cognouit in primo inſtanti ſuæ creationis, fuerit conuerſus ad Deum, vel auerſus, peccando. D. Tho. de Mal.q.16.a. 4 arg.13.

13 Scriptura dicit, quòd lux illa faciendo diem, faciebat Veſpere & mane: ſed ſi ſola radiorum emiſſione fieret dies, & ſola contractione fieret nox, nunquam eſſet Veſpere, & mane, ſed ſemper, vel clara dies, vel obſcura nox: ergo ille modus dicendi non competit Sacræ Scripturæ. Diu. Bon. 2. d. 13. q. 2.

EXPOSITIO.

DIEI acceptio duplex, vna eſt, ſecundùm quòd dicimus diem naturalẽ, qui habet viginti quatuor horas: & ſic

& ſic ſumitur, quod habetur Gen. 1: Factum eſt veſpere, & mane dies vnus. Altera eſt, ſecundùm quòd dicitur, artificialis, ſcilicet tempus, quo Sol noſtrũ hemiſphærium illuminat, & hoc modo ſumitur, cùm dicitur, tenebras appellauit noctem, & lucem diem. D. Tho. 2. d. 13. in exp. litt. (Veſpere) per veſpere, & mane, ſecundùm Auguſtinum, intelligitur Veſpertina, & matutina cognitio in Angelis, de quibus paullò poſt; Vel, ſecundùm Baſilium totum tempus conſueuit denominari à principaliori parte, ſcilicet à die, ſecundùm quòd dixit Iacob, dies peregrinationis meę, nulla mentione facta de nocte. Veſpere autem, & mane ponuntur vt termini diei, cuius mane eſt principium, & Veſpere finis., Vel, quia per Veſpere, deſignatur principium noctis, per mane, principium diei. Congruum autem fuit, vt vbi commemoratur prima diſtinctio rerum, ſola principia temporum deſignarentur. Præmittitur autem Veſpere, quia cùm à luce dies inceperit, prius occurrit terminus lucis, quod eſt Veſpere, quàm terminus tenebrarum, & noctis, quod eſt mane. Vel, ſecundùm Chryſoſtomum, vt deſignetur, quòd dies naturalis non terminatur in Veſpere, ſed in mane. D. Tho. 1. p. q. 74. a. 3. ad 6. (Dies vnus) id eſt, primus: Attamen fuit dictum (vnus) in prima diei inſtitutione, ad deſignandum, quòd viginti quatuor horarum ſpatia pertinent ad vnum diem. Vnde per hoc, quòd dicitur, vnus, præfigitur menſura diei naturalis. Vel propter hoc, vt ſignificaret diem conſummari per reditum ſolis ad vnum, & idem punctum. Vel, quia cõpleto ſeptennio dierum reditur ad primum diem, qui eſt vnus cum octauo. Et has tres rationes Baſ. aſſignat. D. Tho. ibi ad 7.

NOTABILIA.

1 SECVNDVM Auguſtinum, vt tactum eſt, duplex eſt cognitio in Angelis, matutina, & Veſpertina, Nimirum, vt dicitur in expoſitione opinionis eius de momentanea rerum productione, ſex dies, in quibus Deus legitur feciſſe

cuncta, intelligi vult, non hos vſitatos dies, qui ſolis circui tu per aguntur: cùm ſol quarto die factus legatur, ſed vnum diem (ſcilicet) cognitionem angelicam, ſex rerum generibus præſentatam. Sicut autē in die conſueto mane eſt principium diei: Veſpere autem terminus: ità cognitio ipſius primordialis eſſe rerū dicitur cognitio matutina: & hæc eſt, ſecundùm quòd res ſunt in Verbo. Cognitio autem ipſius eſſe rei creatæ, ſecundùm quòd in propria natura conſiſtit, dicitur cognitio Veſpertina. Nam eſſe rerū fluit à Verbo, ſicut à quodam primordiali principio; & hic efluxus terminatur ad eſſe rerum, quod in propria natura habent. Nec dicas, Veſpere, & mane ad mixtionem tenebrarum habent; ſed in cognitione Angeli non eſt aliqua tenebroſitas: cùm non ſit ibi error, vel falſitas, ergo eius cognitio non debet dici matutina, vel veſpertina. Reſpondetur enim, Veſpere, & mane non accipi in cognitione Angelorum ſecundùm ſimilitudinem ad admixtionem tenebrarum, ſed ſecundùm ſimilitudinem principij, & termini. Vel, nihil prohibere (& eſt ſententia Auguſtini 4. Super Gen. ad litt.) aliquid, in cō parationе ad vnum, dici lux, & in comparatione ad aliud, dici tenebra: ſicut vita fidelium, & iuſtorum; in comparatione ad impios dicitur lux. Eph. 6. Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autē lux in Domino. Quæ tamen vita fidelium in comparatione ad vitā gloriæ tenebroſā dicitur 2. pet. 1: Habetis prophæticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Sic igitur cognitio angeli, qua cognoſcit res in propria natura, dies eſt per comparationem ad ignorantiam; vel errorem, ſed obſcura eſt, per comparationem ad viſionem Verbi. Similiter ſi diceres, inter Veſpere, & mane cadit nox, & inter mane, & Veſpere cadit meridies: Si igitur in Angelis cadit cognitio matutina, & veſpertina, pari ratione videtur, quòd in eis debeat eſſe meridiana; & nocturna cognitio. Reſponderetur enim, Matutinam, & Veſpertinam cognitionem ad diem pertinere, id eſt, ad Angelos illuminatos: qui ſunt diſtincti à tenebris

bris, ideſt, à malis angelis. Angeli autem boni cognoſcentes creaturam, non in ea figuntur, quod eſſet tenebreſcere; & noctem fieri; ſed hoc ipſum referunt ad laudem Dei: in quo, ſicut in principio omnia cognoſcunt. Et ideo poſt Veſperam non ponitur nox, ſed mane, ità quòd mane ſit finis pręcedentis diei, & principium ſequentis, in quantum angeli cognitionem præcedentis operis ad laudem Dei referunt. Meridies autem ſub nomine diei comprehenditur, quaſi medium inte duo extrema. Vel poteſt meridies referri ad cognitionem ipſius Dei, quæ non habet principium, nec finem. D. Tho. 1. p. q. 58. a. 6.

2 Duplicem modum computandi diem accipimus in Scriptura. Primus, in quo dies præcedens copulatur nocti ſequenti, & hoc quidem fuit in prima dierum enumeratione, hoc enim eſt computari dies à mane vſq; ad mane: in quo præfigurabatur lapſus futurus Adæ à luce gratiæ in tenebras culpæ. Alius modus eſt, in quo nox præcedens connumeratur diei ſequenti, & hoc eſt dies computari à veſpera in veſperam; & hic modus attenditur in ſolemnitatum obſeruatione, ad inſinuandum, quòd per Chriſtum à tenebris peccati homo ad lucem rediјt. Eph. 5. Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Si dicatur, ergo ad ieiunij obſeruationem oportet ieiunare diem præcedentem cum nocte ſequenti, cuius tamen oppoſitum fit. Reſpondetur, quòd tempus ieiunij competit tempori miſerię: & ideo computatio diei in obſeruatione ieiunij debet fieri ſecundùm conformitatem ad diſtinctionem temporis primi, in quo erat præfiguratio lapſus humani. Licet autem hæ duæ diſtinctiones in Scriptura maximè exprimantur, quatuor tamen modis, ſecundùm diuerſorum computationes, dies diſtingui conſueuerunt. Græci computant diem à mane in mane, quia tunc primò apparet Sol. Hebræi à veſpera in veſperam, quia tunc incipiunt ſolemnizare. Aſtronomi à meridie in meridiem: quia tunc eſt Sol in maiori virtute. Sancta Eccleſia à media nocte vſque ad mediam no-

ctem, quia tunc natus eſt Chriſtus. Bon.2.d.13.cir.litt.d. r. Vel, vt habet Aegid. cit. d. dub.1.litt. Computatio dierum poteſt eſſe tripliciter, vel ſecundùm quòd requirit ratio die rum in ſe; vel in tali materiâ, vel in aliquo myſterio. Primo modo, cõputandus videturdies à mane, quia mane eſt principium diei. Secundo modo, computandi ſunt dies ſecundùm illam materiam: vt medici, qui conſiderant de infirmi tate ægroti, computant dies, prout incepit infirmitas eius, vt à tertia in tertiam, vel à ſexta in ſextam, prout incepit infirmitas. Sic & Moyſes, volens computare diem ſicut fa cta fuit lux in illa diſtinctione, & enumeratione dierũ, quia illa lux primò facta non incepit in aurora, ità quòd dies ille primus non habuit mane, id eſt, auroram, & ex hoc non ha buit ſuum initium, nox autem habuit ſuum initium, quia ha buit veſpere, computauit diem à veſpere vſque ad mane, volens ſecundùm ſua initia computare dies. Tertio modo, nempe, ratione myſterij, poſſunt computari dies, vel à ve ſpera; ratione peccati, vel à media nocte, vt aliquam partẽ habeamus de tertia die, in qua ſurrexit Chriſtus. Hęc ille.

AD ARGVMENTA.

ad 1 ANGELVS bonus adhuc habet duplicẽ cognitionem, matutinam, & veſpertinam: quia eſt in duplici ſtatu: in quantum contemplatur Deum, & inquantum miniſtrat. Ratione primi, habet cognitionem matutinam, ratione ſecundi, neceſſaria eſt ei cognitio veſpertina. Cùm autẽ om nino contemplabitur, nec erit neceſſariũ miniſteriũ, tunc erit matutina cognitio, & non erit neceſſaria veſpertina. Similiter poteſt eſſe, vt dupliciter vtatur dilectione, illa, quæ eſt naturæ, ex vna parte; illa, quę eſt glorię, vel liberi arbitrij, ex altera parte; tunc autem totaliter perget dilectio in dilectum, ſcilicet Deum; & omnino diliget ſe propter Deum, & nullo modo ſe propter ſe. Alex. In hanc reſponſionem tria animaduertere poſſumus; Primum, cognitio Veſperti na non eſt neceſſaria Angelo propter miniſterium. Quidam

pro-

probant Angelos non retardari à beata Viſione propter mi niſterium ſimili ratione. Ea, quę ſic ſe habent, quòd vnum eſt ratio alterius, vnum non poteſt eſſe impedimentum alterius. Videns enim lucem, & colorem, non minus videt lucem propter viſionem coloris; nec minus videt colorem propter viſionem lucis, quia lux eſt ratio videndi colorem. Ità angeli in illa beata contemplatione vident ea, propter quæ mittuntur, & vident modum, per quem explere debent ſibi commiſſum miniſterium; ideo nõ minus contemplantur propter huiuſmodi miniſterium; immo, ſi fas eſſet dicere, attentiùs deberent contẽplari: Sicut ſcriptor, cùm voluerit ſcribere, ratione actus ſcribendi, non elongat oculum ſuum à luce; ſed magis approximat, eò quòd in luce videat, qualiter ſcribere debeat. Et pictor nõ remiſſius, ſed attentiùs reſpicit exemplar, cùm pingit. Argen. 2.d 10. a.1. Quæ ratio, ſi bona eſt, vt eſt optima, concludit Angelos ſine cognitione Veſpertina poſſe explere miniſterium ſibi commiſſum. Vtrùm autem ſemper Angelus adminiſtret iſta inferiora per ea, quæ videt in Verbo, vel quandoque per ea, quę videt in proprio genere, explicabitur Dan. 10. ſuper illud. Princeps regni Perſarum reſtitit mihi 21. diebùs. Secundùm. Cognitio veſpertina, etiam poſt diem iudicij, remanebit in Angelis. D. Tho. 1.p.q. 58.a. 7. ità arguit; Apoſtolus dicit. 1. Cho. 13. Cum venerit, quòd perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Sed ſi cognitio veſpertina ſit aliud à matutina, comparatur ad ipſam, ſicut imperfectum ad perfectum. Ergo non poterit ſimul veſpertina cognitio eſſe cum matutina. Reſpondet, veniente perfecto euacuatur imperfectum, ſcilicet, quòd ei opponitur. Sicut fides, quæ eſt eorum, quæ non videntur, euacuatur, viſione veniente. Sed imperfectio veſpertinæ cognitionis non opponitur perfectioni matutinę. Quod enim cognoſcatur aliquid in ſeipſo, non eſt oppoſitum ei, quod cognoſcatur in ſua cauſa. Nec iterùm, quòd aliquid cognoſcatur per duo media: quorum vnum eſt perfectius, & aliud imperfe-

ctius, aliquid repugnãs habet. Sicut ad eandem concluſionem habere poſſumus, & mediũm demonſtratiuum, & dialecticum. Et ſimiliter eadem res poteſt ſciri ab Angelo per Verbum increatum, & per ſpeciem innatam. Hęc ibi. Tertium. De illa quæſtione, verùm angelus naturali dilectione diligat Deùm, pluſquam ſe ipſum, duæ ſunt opiniones. Quidam dixerunt, quòd angelus naturali dilectione diligit Deum plus quam ſe, amore concupiſcentiæ, quia ſcilicet plus appetit ſibi bonum diuinum, quam bonum ſuum: quia hoc eſt ei delectabilius. Vnde totam hãc dilectionem in ſe ipſum retorquet, vel retorquebat. Et quodam modo amore amicitiæ, inquantum Deo vult naturaliter angelus maius bonum, quam ſibi. Vult enim naturaliter Deum eſſe Deum, ſe autem vult habere naturam propriam. Sed ſimplicer loquendo, naturali dilectione plus diligit ſe, quàm Deum, quia intenſius, & principaliùs naturaliter diligit ſe, quàm Deum. Ità tenuit Altiſiod. vt refert Dio. 2. d. 3. q. 7. & Alb. 2. p. q. 14. m. 4. a. 2. licet in ſcripto cit. d. 3. a. 18. videatur ſentire oppoſitum. Hanc opinionem amplexatus Alex. meritò intulit, quòd dilectio naturę, ſimul cum dilectione gloriæ in angelis non erit, Altera opinio eſt, quòd Angelus, & etiam homo naturali dilectione plus, & principaliùs diligit Deum, quàm ſe ipſum, alioquin, ſi naturaliter plus ſe ipſum diligeret, quàm Deum, ſequeretur, quòd naturalis dilectio eſſet peruerſa, & quòd non perficeretur per charitatẽ, ſed deſtrueretur. Hanc tuentur D. Tho. 1. p. q. 60. a. 5. & 2. Sent. d. 3. q. 3. a. 1. D. Bon. ead. a. 3. q. 1. Ric. ead. a. 7. q. 1. quibus ego conſentio, idcirco concedo totum argumentum.

Ad. 2. Ex dictis in expoſitione colligitur ſolutio; dies enim naturalis includit etiam noctem, & nox, in quantum huiuſmodi, dicit defectum, & prętere, ſi per mane, & veſpere intelligatur cognitio matutina, & Veſpertina, ſi præponerent angeli cognitioni, quę eſt in Verbo, illam, quæ eſt in proprio genere, tunc eſſet ibi nox ſcilicet peccati, ſed illa nox non eſſet à Deo, ſed ab Angelo. ideo non fit mentio de no-

ctis

ctis factura. Alex.

ad Hęc propoſitio, lux facta eſt in initio diei, duplicem diſ-
3 ficultatem continet, prima an facta ſit in Oriente, vel in me ridie. Quidam dicunt, quod lux illa facta eſt in meridie, & rationem huius aſſignãt duplicem. Vna eſt, quia lux illa primo faciebat Veſpere, & poſtea mane, ſicut dicit Scriptura: ergo videtur quod prius tenderet ad occaſum, quàm rediret ad ortum. Altera eſt, quia Dei perfecta ſunt opera; & ideo diem, & lucem fecit in ſua plenitudine, & ità in meridie. Et ſi tu obijcias, quòd à principio diei vſque ad mane non eſſent viginti quatuor horę. Reſpondetur, quòd ſex horæ huius diei prçceſſerunt, ſucceſſione temporis pertranſeunte, propter ipſius materiæ mutabilitatem, & poſtmodũ ſexta hora (quæ eſt in numero perfecta) facta eſt lux, quæ eſt corpus perfectum in ſui natura, in plena, & perfecta irradiatione, vt potè in meridie: & cum eſſet tunc tempus æquinoctiale, vſq; ad occaſum fuere ſex horæ, & poſtmodum vſque ad ortum ſequentis diei fuerũt duodecim, & ſex præceſſerunt ante formationem lucis poſt creationem cęli, & terræ, & ità factus eſt dies naturalis perfectus, & integer. Alia opinio eſt, quòd non fuerit mora temporis intericcta inter creationem, & diſtinctionis inchoationem, immo, ſtatim poſt creationem cæli, & terræ, produxit Dominus lucem, ità quòd poſterius natura, ſed ſimul duratione, & ità lux illa incepit in oriente, & ſua reuolutione perfecta, tendendo ab eodem puncto in idem, fecit diem naturalem; Et ſi tu obijcias, quòd deberet dicere, Factum eſt mane, & veſpere. Reſpondetur. Mane dicit finem præcedentis noctis, & ex hoc dicit quandam obſcuritatem, at in prima lucis formatione non præceſſerat nox, ſed ſtatim lux incepit ſecundùm ſuam totam poteſtatem illuminare: & ideo dicitur dies illa cœpiſſe à plena luce, adeò enim lucebat ibi, vbi cæpit, ſicut ſi eſſet in meridie; Ideò non dicitur feciſſe mane, quia non præceſſerat nox, ſed prius veſpere, quod eſt finis diei, & poſtmodum mane, quod eſt finis noctis,

quia

quia prius fecit diem, & poſtmodum noctem. D. Bon. 2. d. 13. q. 2. Et dicit vtrunq; modum eſſe probabilem, primum modum amplectitur Alex. ego magis adhæreo ſecundo. Diſplicet illud, productio lucis, creatione cęli, & terræ, natura, non duratione poſterior fuit. Aegid. 2. d. 12. q. 2. a. 5. inter creationem cæli, & terræ, & factionem lucis, concedit tantam morulam interceſſiſſe, quanta interceſſit inter creationem luciferi, & eius caſum, quæ valde modica fuit. De quo Ezech. 28. ſuper illud. In delicijs paradiſi fuiſti, ſermo erit. Secunda difficultas eſt, ſi in initio diei facta eſt, quid fecit Deus in reſiduo illius diei? ſed explicabitur inferiùs in dilucidatione opinionis Auguſtini.

Ad 4 Accipit Auguſtinus. Mane propriè, pro cognitione Angeli, quæ eſt de re facienda, in quãtum huiuſmodi: & quia non cognouit ſe faciendum, ideo propriè non habuit cognitionem matutinam de ſe, ſed de alijs. Veſpere autem intelligit Auguſt. pro cognitione de re facta in proprio genere: & hanc bene habuit Angelus de ſe: Quia ergo Angelus prius cognouit ſe factum, quàm cętera facienda (prius dico ſecundùm naturam) ideo veſpere præordinatur mane. Vnde duplex eſt modus ordinandi. Vnus, quoad cognita, & ſic ordinatur Veſpere ante mane, vt dictum eſt. Alius, quo ad modum cognoſcendi, & ſic deberet præordinari mane. Et hoc probat argumentum. Alex. Alteram rationem aſſignat Alb. 2. p. q. 51. m. 2. & accipitur ex verbis Dio lib. de diu. nom. cap. 4. vbi in idem determinat bonum, & lumen, dicens, quòd lumen illud, de quo dicitur in Gen. fiat lumen (ſic enim habet alia tranſlatio) idem eſt, quod bonum: bonum dicitur à boo, boas, hoc eſt, voco vocas, quia vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. Rom. 4. Vnde, quia tunc ex non eſſe, ſicut ex abyſſo tenebrarum, res creatas vocauit ad eſſe, ſicut ad lumen, proceſſit quaſi à veſpera, quæ cadit in tenebras, ad mane, hoc eſt, ad lumen creaturarum productarum in eſſe. Et, vt hunc ordinem deſignet, potius dicit, Factum eſt veſpere, & mane,

quàm,

ad quàm, factum eſt mane, & veſpere. Hæc Ille.
5 Cognitio veſpertina Angelorũ eſt cognitio creaturæ in propria natura. Huius propoſitionis triplex poteſt eſſe ſenſus, ſecundùm quòd Ly (in) triplicem habitudinem denotare poteſt. Si denotet habitudinem cauſſæ, vt ſenſus ſit, quòd ipſi Angeli ex propria rerum natura cognitionem accipiant, licet de hoc varię ſint opiniones, attamen ſecundùm D.Tho. falſiſſima eſt; non enim intelligunt Angeli per ſpecies à rebus acceptas. 1.p.q.55.a.2. Si denotet habitudinem medij, vt ſenſus ſit, quòd creatura ſit terminus cognitionis, & ſit etiam medium, ſeu ratio cognoſcendi, quia ſcilicet cognoſcitur per ſpeciem innatam in ipſo Angelo, vera eſt, & cognitio veſpertina differt eſſentialiter à matutina; quoniam matutina eſt per rationes rerum in verbo exiſtentes, veſpertina per ſpecies innatas. Si denotet habitudinem termini præciſè, vt ſenſus ſit, quòd creatura ſit terminus cognitionis, & non cauſſa, neque ratio, ſed medium cognoſcendi ſit ipſa diuina eſſentia, quatenus eſt ratio creaturæ, vera quidem eſt, ſed tunc cognitio veſpertina eſt eadem realiter cum matutina, differens ſolùm ſecundùm terminos, ſeu cognita. Eſt quidem eadem realiter, quoniam Angeli videndo Verbum, non cognoſcunt ſolùm illud eſſe rerum, quod habent in Verbo, ſed etiam illud, quod habent in propria natura: ſicut Deus per hoc, quod videt ſe, cognoſcit eſſe rerum, quod habent in propria natura. Differt verò ſecundùm cognita; vt dicatur matutina, quatenus eſt cognitio Verbi, veſpertina, quatenus eſt cognitio creaturæ. Auguſtinus, cùm veſpertinã imperfectam ponat reſpectu matutinæ, videtur loqui in ſecundo ſenſu; ideo dicendum ad argumentum, quòd ſicut numerus ſex dierum, ſecundùm Auguſtini intellectum, accipitur ſecundùm ſex genera rerũ, quæ cognoſcuntur ab Angelis: ità vnitas diei accipitur ſecundùm vnitatem rei cognitæ, quæ tamen diuerſis cognitionibus cognoſci poteſt. D. Tho. Non ſequitur, quòd vna & eadem ſit, ſed quod de vna, & eadem re ſit cogni-

tio

ad tio matutina, & veſpertina.

6 Angelus duplicem habet Verbi cognitionem. Vnam naturalem, & aliam gloriæ; Naturalem quidem, qua cognouit Verbum per eius ſimilitudinẽ in ſua natura relucentem; Cognitionem verò gloriæ, qua cognoſcit Verbum per ſuam eſſentiam. Et vtraque cognoſcit Angelus res in Verbo. Sed naturali quidem cognitione imperfectè, cognitione verò gloriæ perfectè. Prima ergo cognitio rerum in Verbo affuit angelo à principio ſuę creationis, ſecunda verò non, ſed quando facti ſunt beati per conuerſionem ad bonum. Et hæc propriè dicitur cognitio matutina. D. Tho.

ad Creatura tenebra eſt comparata excellentiæ diuini lu-
7 minis; & ideo cognitio creaturę in propria natura veſpertina dicitur. Veſpere enim eſt tenebris adiunctum, habet tamen aliquid de luce. Cùm autem totaliter deficit lux, eſt nox. Sic igitur & cognitio rerum in propria natura, quando refertur ad laudem Creatoris, vt in bonis Angelis, habet aliquid de luce diuina, & poteſt dici Veſpertina. Si autem non referatur in Deum, ſicut in Dęmonibus, non dicitur Veſpertina, ſed nocturna. Vnde & in Gen. legitur, quod tenebras, quas Deus à luce ſeparauit, vocauit noctem. D. Tho.

ad Quòd Angelus, vel anima ſimul poſſit videre res in Ver-
8 bo, & in propria natura concedendum eſt, & expreſsè poteſt haberi ab Auguſt. 4. Super Gen. ad litt. vbi vult, quòd dies illi, & veſpere, & mane in eis, non ſunt ordinati ſecundùm ſucceſſionem, ſed ſolùm ordine naturæ; vnde ſimul eſt primus dies cum ſecundo, & mane cum veſpere, & ità ſimul viſio rerum in Verbo, & in propria natura. Quod qualiter ſit poſſibile, videndum eſt. Operari ſi quidem non propriè attribuitur potentiæ, ſed rei ſubſiſtenti, quæ per potentiam operatur, vt ipſa potentia intellectus non ſit operans in intelligendo, ſed magis operationis principium. Sicut autem potentia intellectiua eſt principium intelligendi ipſi ſubſtantiæ: ita ſpecies intelligibilis eſt principium intel-

ligendi

ligendi ipſi potentię : vnde ſicut vna ſubſtantia poteſt ſimul diuerſos actus habere ſecundùm diuerſas potentias, vt anima ſimul vult, & intelligit : ita ex vna potentia intellectiua poſſunt ſimul prodire diuerſi actus, ſi ſimul diuerſis ſpeciebus intelligibilibus vniatur. Hanc enim cauſſam Algazel aſſignat, quare non eſt poſſibile ſimul multa intelligere, quia ſcilicet non eſt poſſibile, intellectum ſimul informari multis ſpeciebus in actu perfectè, ſicut nec idem corpus figurari, ſimul diuerſis figuris. Viſio autem, qua Angelus videt res in propria natura, fit per ſpeciem intelligibilem concreatam, vel infuſam inhęrentem, viſio autem rerum in Verbo fit per ipſam ſpeciem Verbi, ſiue eſſentiam, quæ non eſt inhærens, ſed ei intellectus vnitur ſicut intelligibili. Species autẽ concreata inhęrens non repugnat vnioni Intellectus angelici ad Verbum, cùm non ſit vnius rationis, & ipſa ſpecies, & quicquid eſt perfectionis in intellectu Angelico, ſit quaſi materialis diſpoſitio ad illam beatam viſionem : vnde ſimul ex intellectu angeli procedit operatio duplex; vna, ratione vnionis ad Verbum, qua ſcilicet videt res in Verbo, alia, ratione ſpeciei intelligibilis, qua informatur, qua videt res in propria natura : Nec etiam in vna harum operationũ debilitatur per attentionẽ ad alteram, ſed magis confortatur, cùm vna ſit ratio alterius: Sicut imago rei viſæ cõfortatur, dum videtur in actu oculo exteriori. Actio enim beatitudinis in beatis eſt ratio cuiuſlibet alterius actionis in eis inuentæ. D. Tho.

ad 9 Per ſex dies, in quibus legitur Deus cuncta feciſſe, intelligit Auguſtinus non hos vſitatos dies, qui Solis curſu peraguntur, cùm Sol quarto die factus eſſe legatur, ſed vnam diem, id eſt, cognitionem angelicam, ſex rerum generibus præſentatam, vnde ſicut præſentatio lucis corporalis ſuper hęc inferiora diem facit temporalem, ita præſentatio lucis ſpiritualis intellectus angelici ſuper res creatas diem facit ſpiritualem. Et ſecundùm hoc iſti ſex dies diſtinguuntur, ſecundum quòd lumen intellectuſ angelici ſex rerum generi-

bus cognoſcendis applicatur, vt prima dies ſit cognitio primi diuini operis, ſecunda dies cognitio ſecundi operis &c. & ſic diſtinguuntur non ſecundùm ordinem temporis, aut ſucceſſionis rerum, ſed ſecundùm ordinem naturalem rerum cognitarum, prout vnum opus cognitum eſt priùs altero ordine naturę, et ſicut in die naturali, & materiali mane eſt principium diei, & veſpere eſt finis, & terminus, ità cognitio vnius cuiuſcunq; operis, ſecundùm ſuum eſſe primordiale, prout videlicet habet eſſe in Verbo, dicitur matutina, cognitio autem eius, ſecundùm eſſe vltimum, prout ſubſiſtit in propria natura, dicitur veſpertina. Nam principium eſſe cuiuſlibet rei eſt in ſua cauſſa, à qua fluit, terminus autem ipſius eſt in ipſa re, in qua recipitur, & ad quam actio cauſſæ terminatur. Vnde primitiua alicuius cognitio eſt, ſecundùm quod res in ſua cauſſa, à qua fluit, conſideratur. Vltima autem rei cognitio eſt, ſecundùm quod in ſe ipſa conſideratur. Cũ ergo à verbo æterno fluat eſſe rerũ, ſicut à quodam primordiali principio, & hic effluxus terminetur ad eſſe rerum, quod habent in propria natura, ſequitur, quòd cognitio rerum in Verbo, quæ ad eſſe primitiuum, & primordiale eorum pertinet, dici debeat matutina, per ſimilitudinem ad mane, quod eſt principium diei: cognitio verò rei in propria natura, quę pertinet ad eſſe eius vltimum, & terminatum, dici debeat veſpertina, quia veſpere eſt terminus diei. Vnde ſicut ſex genera rerũ ad cognitionem angelicam relata diſtinguunt dies, ità vnitas rei cognitę, quę diuerſis cognitionibus cognoſci poteſt, vnitatem diei conſtituit, & diem per veſpere, & mane diſtinguit. D. Tho.

ad 18 Omnis cognitio intellectus angelici habet tenebras admixtas ex parte cognoſcentis. Vnde nulla cognitio alicuius intellectus angelici poteſt dici meridiana, ſed ſola cognitio, qua Deus omnia cognoſcit in ſe ipſo. Deus enim lux plena eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllę: at creatura ex eo, quod eſt ex nihilo, habet tenebras poſſibilitatis, & imperfectionis; ideo cognitio ipſius tenebris eſt admixta, quę ad

mixtio

mixtio ſignificatur per mane, & veſpere. D.Tho.
ad Sicut vna tota ſcientia cōprehendit ſub ſe diuerſas ſcien-
11 tias particulares, quibus concluſiones diuerſæ cognoſcun-
tur, ita etiam ipſa vna cognitio angeli, quæ eſt quaſi quod-
dam totum, comprehendit ſub ſe cognitionem matutinam
& veſpertinam, quaſi partes, ſicut mane, & veſpere ſunt
partes diei, licet ſint diuerſarum rationum. Nam illa, quæ
ſunt diuerſarum rationum, ſi ſint adinuicem ordinata, poſ-
ſunt aliquod vnum conſtituere, vnde materia, & forma,
quæ ſunt diuerſarum rationum, conſtituunt vnum compoſi
tum, & carnes, & oſſa, & nerui ſunt partes vnius compoſi
ti. Nam eſſentia diuina, per quam res cognoſcuntur in
Verbo cognitione matutina, eſt ratio omnium formarum
concreatarū in mente Angeli, cum ex ea, veluti exemplare,
deriuentur, per quas, res cognoſcuntur in propria natura co
gnitione veſpertina, & ideo quando Angelus videt Deum
per eſſentiam, & ſeipſum, & alia per ſpecies concreatas,
quodam modo intelligit vnum. Sicut, quia lumen eſt ratio
videndi colorem, propter hoc, quando oculus videt lumen,
& colorem, videt quodammodo vnum viſibile; Et quam-
uis illę operationes ſint realiter diſtinctę, cum operatio, qua
videt Deum ſemper maneat, & menſuretur æternitate par
ticipata, & operatio etiam, qua intelligit ſe, ſemper maneat,
& menſuretur æuo, operatio verò, qua intelligit alia per ſpe
cies innatas, non ſemper maneat, ſed alteri ſuccedat, ta-
men quia vna ordinatur ad aliam, & vna eſt quaſi ratio for-
malis alterius, ideo ſunt quodammodo vnum, quia vbi eſt
vnum propter aliud ibi eſt tantùm vnum, vt dicitur 2. top.
Et propter hoc, illæ operationes, quarum vna ordinatur
ad aliam, poſſunt eſſe ſimul, & vnum totum conſtituere.
D. Tho.
ad Auguſtinus 4. ſuper Gen. ad litt. ſub dubio derelinquit,
12 An ſimul angeli omnia illa cognoſcant, & ſic ſimul fuerit in
eis dies, & veſpera, & mane, vel non ſimul, ſed ſucceſſiuè.
Et qualitercunque ſit, ſufficit ad eius intentionem, quòd il

la diſtinctio dierum accipiatur ſecūdùm angelicam cognitio nem, non autem ſecundùm dies temporaliter currentes. D. Tho.

ad Poſſet argumentum concedi, Diximus enim (vt proba-
13 biliùs, quòd lux illa faciebat noctem, & diem ſuo motu. Attamen reſpondetur, quòd diuiſio illa lucis à tenebris nō intelligitur quantum ad ſitum localem, ſed quantùm ad diſtinctionem formalem, ſicut diſtinguitur habitus à ſua priuatione. Et quia ab hoc habitu in priuationem, & proceſſus erat, & regreſſus, quantùm ad regreſſum in habitum dicitur feciſſe mane, quod quidem fiebat radiorum emiſſione: quantùm verò ad progreſſum in priuationem, dicitur feciſſe veſperam, quod quidem fiebat radiorum contractione. D. Bon.

Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas, ab aquis. Et fecit Deus firmamentū, diuiſitq́ aquas quæ erant ſub firmamento, ab aquis, quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ità.

ARGVMENTA.

1 TEMPVS eſt numerus motus firmamenti, quod legitur factum ſecundo die. Ergo non à principio erat tempus. D. Tho. 1. p. q. 66. a. 4. arg. 3.

2 Opera ſex dierū ordinantur ſecundùm ordinem diuinæ ſapientiæ. Non conueniret autem diuinę ſapientiæ, vt poſterius faceret, quod eſt naturaliter prius. Firmamentum autem eſt naturaliter prius aqua, & terra, de quibus tamen fit mentio antè formationem lucis, quæ fit prima die. ergo non eſt factum ſecundo die.

Omne,

3 Omne, quod eſt factum per ſex dies, formatum eſt ex materia prius creata ante omnem diem. Sed firmamentum non potuit formari ex materia præexiſtente, quia ſic eſſet generabile, & corruptibile. ergo firmamentum non eſt factum ſecunda Die. D. Tho. cit. p. q. 68. a. 1. arg. 2. & 3.

4 Aqua eſt naturaliter grauis, locus autem proprius grauis non eſt eſſe ſurſum, ſed ſolùm deorſum. ergo aquæ nõ ſunt ſupra firmamentum.

5 Naturaliter aqua eſt fluida: ſed quod eſt fluidum non poteſt conſiſtere ſuper corpus rotundum, vt experimento patet: ergo cùm firmamentum ſit corpus rotundum, aqua nõ poteſt eſſe ſuprà firmamentum.

6 Aqua, cùm ſit elementum, ordinatur ad generationem corporis mixti, ſicut imperfectum ordinatur ad perfectum. ſed ſuprà firmamentum non eſt locus mixtionis, ſed ſuprà terram. Ergo fruſtrà aqua eſſet ſuprà firmamentum: nihil autem in operibus Dei eſt fruſtrà, ergo aquæ non ſunt ſuprà firmamentum. D. Tho. eo loci. a. 2.

7 Vnius corporis ſecundùm ſpeciem eſt vnus locus naturalis. ſed omnis aqua omni aquę eſt eadem ſpecie, vt dicit philoſophus: non ergo aquæ ab aquis ſunt diſtinguendę ſecundùm locum. Si dicatur, quòd aquæ illæ, quæ ſunt ſupra firmamentum, ſunt alterius ſpeciei ab aquis, quę ſunt ſub firmamento. Contrà, ea, quæ ſunt ſecundùm ſpeciem diuerſa, non indigent aliquo alio diſtinguente. Si ergo aquæ inferiores, & ſuperiores ſpecie differunt, firmamentum eas ab inuicem non diſtinguit.

8 Illud videtur aquas ab aquis diſtinguere, quod ex vtraque parte ab aquis contingitur: Sicut ſi aliquis paries fabricetur in medio fluminis. Manifeſtum eſt autẽ, quòd aquæ inferiores non pertingunt vſq; ad firmamentum. Ergo non diuidit firmamentum aquas ab aquis. D. Tho. eo loci a. 3.

9 Nullus facit quod iam factum eſt. Inconuenienter ergo poſtquam dictum eſt, Dixit Deus, fiat firmamentum, & factum eſt ità, ſubditur, & fecit Deus firmamentum, & ſimi-

liter in alijs operibus. D. Tho. cit. p. q. 74. a. 3. arg. 5.

10 Fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis, quę autem ſola diuiſione diſtinguuntur, ſunt eiuſdem naturę: ergo quæ ſunt ſuprà firmamentum, & quæ ſub firmamento, ſunt eiuſdem naturæ. Si dicas, firmamentum ibi vocatur non Cælum Sidereum, ſed aer, obuiat textus ſequens, vbi dicitur, quòd ſtellæ poſitę ſunt in firmamento. Obuiat etiam illud, quod ſcribitur Dan. 3. benedicite aquæ, quæ ſuper cælos ſunt Domino, & poſtea ſubditur, benedicite Sol, & luna Domino: ergo aquæ illæ ſunt ſuper ſolem, & lunam. Si dicas, aquas illas eſſe ſpirituales, obuiat illud, quod dicitur in pſal. Extendens cælum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius: ſed cælum extenſum eſt corporale: ergo aquæ, quæ tegunt, ſunt corporales. D. Bon. 2. d. 14. q. 1.

EXPOSITIO.

IN hac materia propter diuerſitatem poſitionum, & debilitatem rationum, vix poteſt aliquid certum dici, ſed ex quadam probabilitate, & coniectura ex diuerſis poſitionibus poteſt eligi vna quædam ſobria, quæ inter fidem, & rationem incedat, quaſi quadam via media. Hoc autem præcipuè attendendum eſt: ne in incerta materia aliquid certitudinaliter aſſeratur; melius eſt enim piè dubitare, quàm aliquid temerariè diffinire. D. Bon. diſt. & quęſt. proximè cit. Pręterea mihi videtur, quòd prędicti loci intellectus probabilis ex Alberto Mag. 2. p. q. 52. m. 1. colligi poſſit: Sancti (inquit) nihil certum concorditer tradunt de aquis, quæ ſunt ſuper firmamentum: niſi hoc ſolum, quod propter ſcripturæ auctoritatem certiſſimè ſupponendum ſit, quòd aquę ſint ibi. In qua autem qualitate, vel proprietate, vel natura nullus eorum certè tradit. Nobis autem probabilius videtur id, quod dicit Magiſt. ſupra diſt. 12. Cap. Nunc ſupereſt. Vbi dicit ſic: Tria elementa permixtione confuſa, circunquaque ſuſpenſa, eouſq; in altum porrigebantur, quouſque nunc ſummitas corporeæ naturę pertingit. Et, ſicut

qui-

quibuſdam videtur. vltra locum firmamenti extendebatur illa moles: quę in inferiori parte ſpiſſior, atque craſſior erat: in ſuperiori verò parte rarior, & leuior, atque ſubtilior exiſtebat. De qua rariori ſubſtantia putant quidā fuiſſe aquas, quæ ſuprà firmamentum eſſe dicuntur. Hanc opinionem nos ſequentes, aquas dicimus eſſe ſuprà firmamentum certiſſimè, propter Cælum cryſtallinum, ſiue aqueum, quòd ſancti ibi eſſe dicunt. Et dicimus, quòd materia ſubſtantialis huius cæli eſt rarior, & nobilior pars materię primæ: Diſpoſitio autem materialis ad formam, ratione cuius diſponitur eſſe ſuprà firmamentum tanquam ad locum proprium, eſt vniformis perſpicuitas per totum; ſicut aqua per totum perſpicua eſt, & ſicut cryſtallus. Forma autem, per quam ad locum ſuprà firmamentum determinatur à diſponente Deo, eſt vniformis luminoſitas, per hanc enim nobilius eſt firmamento: & ſecundùm ordinem naturę ſuper ipſum debet collocari. Hæc ille. Additquè in ſolutione octaui, quòd nomine firmamenti non poteſt intelligi aer, quia ſancti concorditer dicunt, quòd firmamentum eſt cælum ſtellatum. Propter hoc Moyſes Gen. 1. dicit, Deus fecit Solem, & lunam, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cęli. Sed reſpondet Dur. cit. d. 14. q. 1. nu. 14. quòd firmamentum ęquiuocè, vel analogicè ſumitur, cum dicitur Gen. 1. Diuiſit aquas, quę erant ſub firmamento, & cùm dicitur in opere quartæ diei, quòd poſuit in Firmamento cæli ſtellas, Quia firmamentum primo modo ſumptum eſt cælum ſolum nuncupatiuè, ad quod deſignandum dicitur ibidem, quòd, Vocauit Deus firmamentum cælum, ſed ſecundo modo ſumptū eſt cælum verè, & propriè, ad quod deſignandum dicitur ibi, quòd, poſuit ſtellas in firmamento cæli, id eſt, quod eſt cælum. Idem prius docuit. D. Tho. 1. p. q. 68. a. 1. in calce. Sed vtinam poſſemus euitare æquiuocationem; De hoc Aegid. 2. d. 14. q. 1. a. 1. dub. 2. later. ità loquitur. Auguſtinus 2. ſuper Gen. multùm videtur iſtam opinionem commendare, quod firmamentum accipiatur pro ipſo aere, vel

pro ipſo medio interſtitio aeris, quod diuidit inter aquas in nubibus exiſtentes, & aquas inferiùs permeantes. Nam ſecundum ipſum, non ſolùm communi ſermone aer vocatur cælum, ſed etiam ipſe Dominus ſuo ſermone vocauit aerem cælum, cùm dixit, Volucres cęli comederunt illud. Rurſus, vocauit (vt dicit Aug. aerem cælum) cùm loquens de nubibus dixit; Faciem cæli noſtis iudicare. Si ergo firmamentum illud vocatum eſt cælum, quod diuiſit aquas ab aquis, & aer poſſit vocari cælum, & diuidat aquas ab aquis, videtur quòd firmamentũ poſſit dici aer, vel interſtitium illud aeris, quod ſic diuidit inter aquas in nubibus, & aquas hinc inferiùs. Sciendum ergo, quòd Scriptura Sacra, licet poſſit adaptari multis expoſitionibus, ſemper tamen vna illarum eſt magis litteralis, vt illa, quę magis concordat cum omnibus verbis iſtius textus. Nam expoſitio non litteralis non oportet quòd concordet cum toto textu, ſed ſufficit aliqua eſſe in textu, quę poſſimus adaptare ad expoſitionem illam. Cùm ergo in littera habeatur, Fiant luminaria in firmamento cæli, & cùm ibi habeatur, Deus fecit ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli, oportet quòd firmamentum cęli diuidens aquas ab aquis ſit cælum, vbi ſunt ſtellę, quod vocamus cælum ſidereum. Si ergo alias adaptationes volumus facere, poſſumus. Sed iſta videtur magis litteralis. Superioribus concordat. D. Tho. Quol. 4. a. 3. Aliquales (inquit) aquas ſupra firmamentum, hoc eſt, cælũ ſidereum ponere poſſumus. Vno modo, vt per aquas intelligamus totam materiam corporalem, ſicut accipitur in principio Gen. ſecundum expoſitionem Auguſtini. Et ſecundùm hunc intellectum, non eſt aliud dicere aquas eſſe ſuper firmamentum, quàm aliquid de materia corporali ſuper hos cælos exiſtere; quod etiam à dictis philoſophorum modernorum non diſcordat: qui ponunt ſuprà octauam ſphæram, in qua ſunt ſtellę, aliam ſphęram, in qua nulla eſt ſtella; Et hanc expoſitionem ponit Auguſtinus. ſuper Gen. contra Manich. Alio modo poteſt dici, quòd ſicut Cęlum Empyreum dici-

dicitur igneum, non quia habeat ſpeciem ignis, ſed propter ſplendorem, ità etiam aquæ ſuper cælos dicuntur, non quia habeant ſpeciē aquæ, ſed quia habent diaphaneitatem ad modum aquæ. Vt ſic ſupremum cælum, quòd Empyreū dicitur, ſit totum ſplendidum. Secundùm, quod aqueum dicitur, ſit totum diaphanum. Tertium autem Cælum, quod dicitur ſidereum, ſit partim lucidum, partim diaphanum: Si verò obijciatur, Homo dicitur minor mundus propter ſimilitudinem, quam habet cum mundo maiori. Sed videmus, quod in corpore humano ſuperponitur cerebrum, quod habet naturam aquę, cordi, quod habet proprietatem ignis, in quantum eſt fons naturalis caloris; ergo etiam in mundo maiori aqua ſuperponitur alijs elementis, & ità ſuper cælos ſunt aquę verè elementares. Reſpondetur, quòd homo aſſimilatur maiori mundo quantùm ad aliquid, inquātum (ſcilicet) conſtat ex corporali, & ſpirituali natura, ſicut & totum vniuerſum: non tamen quantùm ad omnia aſſimilatur vniuerſo. Ordo enim partium in homine non eſt ſecundùm quòd exigit earum natura, ſed prout exigit ratio finis. Ponitur enim cor in medio, vt ex eo diffundantur operationes vitæ de facili per totum corpus. Cerebrum autem ponitur in ſupremo, vt operationes animales, quæ ibi quodammodo perficiuntur, non impediantur per diuerſas corporis tranſmutationes: ſicut etiam ordo cognitionis humanæ non eſt ſecundùm ordinē naturalem cognoſcibilium, ſed quoad nos. Hæc ille. Non diſcordat Aegidi cit. d. 14. q. 1. a. 2. in ſolut. primi. Firmamentum (inquit) dicitur eſſe factum ex aquis ratione illius informis materiæ, ex qua facta ſunt omnia, & hoc modo diuidit inter aquas, & aquas, quia diuidit inter cælum aqueum, quod eſt ſuprà ipſum, & iſtas aquas inferiores, quę ſunt ſub ipſo. Alias expoſitiones proſequuntur Sacri Theologi, ſed ego (fateor ignorantiā meā & exilitatem ingenij mei) non poſſum approbare niſi prædictam (vt ſcilicet nomine aquarum intelligatur materia informis) quæ V. g. triginta cubitis terram ſuperabat; Dixit-

que Deus fiat firmamentum in medio aquarum. Sicque ex ſuperiori parte, factum eſt primum mobile, de media, firmamentum, de inferiori, elementa. Nimirum ſi firmamentum diuidit aquas ab aquis, ergo aquæ, quę ſunt ſuper firmamentum erant continuæ cum inferioribus; ergo eiuſdem naturæ. Facto autem firmamento non videntur mutaſſe naturam. Rurſum, hæc non fuit diuiſio inter habitum, & priuationem, qualis fuit diuiſio lucis a tenebris; Sed vnius, & eiuſdem poſitiui, & conſiſtentis corporis, ità quòd fuit vera eius in partem geminā diuiſio. Etenim Sanctus Martyr Seuerinus Boetius lib. de Diuiſ. c. 1. Diuiſio (inquit) multis dicitur modis. Eſt enim diuiſio generis in ſpecies, & rurſus diuiſio, cum totum in proprias diuiditur partes, eſt alia cùm vox multa ſignificans in ſignificationes proprias recipit ſectionem. Præter has tres eſt alia diuiſio, quæ ſecundùm accidens fieri dicitur. Huius autem eſt triplex modus, vnus cum ſubiectum in accidentia ſeparamus, alius cùm accidens in ſubiecta diuidimus. tertius cùm accidens in accidentia ſecamus. Hæc ille. Cum igitur dicit Scriptura, Fiat Firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et Fecit Deus firmamentum, & diuiſit aquas &c. clarū eſt, quòd hęc diuiſio alia eſſe non potuit, niſi totius in partes, & ità quod dictum eſt, veritatem habet.

CONCLVSIONES.

1 FIRMAMENTVM *fuit factum ſecundo die.*] Dicitur enim Gen. 1. Dixit Deus, fiat firmamentū, & poſtea ſequitur, Et factū eſt veſpere, & mane dies ſecundus. D. Tho. 1. p. q. 68. a. 1. De Concluſione nullo pacto ambigere licet. Sunt enim ipſius Sacræ Scripturę verba. At de ſenſu grandis controuerſia eſt. Si per iſtos dies ſucceſſio tēporis deſignatur, & ſecundùm Ariſtot. cęlum non ponatur de natura quatuor elementorum, ſed eſſe quintū corpus præter quatuor elementa, inconuenienter admodum ponitur firmamen-

mentum factum, ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſecunda die. Quia cęlum cùm ſit ſecundùm ſuã naturã incorruptibile, habet materiã, quæ non poteſt ſubeſſe alteri formæ. Vnde impoſſibile eſt, quòd firmamẽtũ ſit factũ ex materia prius tempore prçexiſtente. Itaq; productio ſubſtantię firmamenti ad opus creationis pertinet, ſed aliqua formatio eius accidentalis pertinet ad opus ſecundę diei, ſicut, & ſuprà dictum eſt, quod lumen Solis fuit informe in primo triduo, & poſtea fuit in quarta die formatũ. Si autẽ per iſtos dies non deſignatur tẽporis ſucceſſio, ſed ſolùm ordo naturæ, vt vult Aug. nihil prohibet, ſiue ponatur ex quatuor elementis conſtare, ſiue ex quinta eſſentia, dicere firmamẽti formationẽ ſecundùm ſuã ſubſtantiam ad ſecundã diem pertinere. Mihi ſemper placuit, vel opinionẽ Auguſt. amplecti, vel à plano litterę ſenſu non diſcedere; quomodo cogimur (ni fallor) dicere firmamentũ ſecundùm ſubſtantiã productum fuiſſe ſecunda die, & propterea ex quatuor elementis conſtare. Qua de re ita loquitur Dio. Carth. 2. d. 14. q. 2. omnibus iã prętactis ritè prò poſſe penſatis, ſecurius reor textũ Geneſeos, ac ſanctos ſequi doctores, & ipſam Canonicę Scripturę defendere veritatem. Certum eſt autem excellentiores doctores tã latinos, quàm grçcos Hieronymũ, Auguſt. Ambroſium, Gregoriũ, poſterioreſq; multos videlicet, Bedã, Strabum, Rabanum, Alcuinũ, Albinum, & inter græcos, Baſiliũ, Chryſoſtomũ, Gregorium Niſſenũ, Ioannem Damaſcenũ, & alios plures ità egiſſe; ità quòd omnes hi ſenſerunt, ſcripſerunt, & faſſi ſunt, corpora cæleſtia elementaris eſſe naturæ: opinionem quoq; illã, quòd ſint altioris ſpeciei, & quintę eſſentię, ex intentione redarguiſſe: Nam & beatus Ambroſius in ſuo fatur Hexameron. De natura, & qualitate ſubſtãtiæ Cæli quid enumerem ea, quæ diſputationibus ſuis philoſophi texuerunt, cùm quidam aſſerant illud ex quatuor elementis compoſitum; alij quintam quandam naturam noui corporis ad conſtitutionem eius inducant, atq; confingant ethereum eſſe corpus, cui neq; ignis admixtus ſit, neq; aer, nec aqua

ii nec

nec terra, quia huiuſmodi elimenta proprium habent motum, vſum, & curſum? Sed non iſta opinio prophæticę potuit obuiare ſententię, quam, & Chriſtus in Euangelio approbauit: qua dicitur. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli, ipſi peribunt, & ſicut veſtimentum veteraſcent. Nihil igitur agunt, qui ad defendendam cęli ſperpetuitatem, quintum corpus ethereum introducunt, cùm videant vnius membri partem diſſimilem cæteris;corpori labem magis afferre. Hęc Ambro. referente Dio. Non ignoro D.Tho. cit.d. 14.q.3. dixiſſe. Doctores noſtros opinionem hanc ex Academia in Eccleſiam importaſſe; Quamobrem minus eis in hoc argumento tribuendum eſſe, hoc eſt, non plus auctoritatis hic eos habere, quàm Platonem, cuius doctrinam ſequebantur. Sed quanquam verum ſit, opiniones maiorum noſtrorum, quas ex philoſophorum ſcholis deprompſerunt, con ficere argumentum extraneum in Theologia, quemadmodum,& philoſophorum auctoritates, atque rationes vt 1.p. q. 1.a.8.idē grauiſſime docet: nihilominus cùm ex ſcripturis ſe eos haurire, & docere profitentur, idque magna quadam contentione, non video, cur non multò plus eis tribuendum ſit, quàm Platoni, & Philoſophis, hoc eſt, cur eorum auctoritas argumentum nobis non efficiat ex proprijs, & auctoritati diuinæ proximum. Certè ſi de natura cælorum in Oecumenicis Cōcilijs definiendum olim fuiſſet, ego nequaquam dubito, quòd fuiſſet ſecundùm Patrum doctrinam;citrà vllam hæſitationem,definitum: hic enim Sanctorum Conciliorum ſolemnis, & perpetuus mos eſt, vt iuxtà Sāctorum doctrinam propoſitas illis controuerſias dirimāt. Et forte nunc quoque hoc fieret: Et ſi enim grauiſſimorum doctorum auctoritates ex altera parte ſtare, atque hæc eſſe communis theologorum noſtrę tēpeſtatis opinio videatur, & certum ſit, nullam Eccleſiæ ætatem deſtitui Chriſti promiſſionibus, ac proindè nullo vnquam tempore hanc in fide errare, quoniam tamen nemo recentiorum (quantum mi-

hi

hi videtur) eam ſtabilire ex ſcripturis profeſſus eſt, & omnes tamquam opinionem ſequuntur, quæ rationibus à rerum natura petitis ſit oppoſita ſententia probabilior, fortè à patribus ſententia Eccleſię etiā in præſenti caderet, quod vti dicebam, ex ſcripturis intelligentiam illam ſe habere dixerint. Viel. lect. 18. Adderem ego (ſub cenſura peritiorum tamen). Ariſtotelem, ſi viueret, deriſurum theologos opinantes cęlum quintæ eſſentię eſſe: ſanè coguntur cælo attribuere, quę quintæ eſſentiæ apertiſſimè repugnant. In primis docere habent, cælum, ſolem, & lunam aliquas virtutes nunc habere, quibus à principio caruerunt. Rurſus, quod cælum indifferens eſt ad motum, & quietē, vel quòd, naturalius eſt ei quieſcere, quàm moueri, quoniam vſq; ad diem iudicij duntaxat erit motui ſubiectum; æterno poſtea tempore ſtabit. Interim quoq; cęli ſunt alterabiles quantùm ad motum, vt tempore Ioſue, & Ezechię patuit; Rurſum, magno propemodum augmento luminis donanda ſunt, quando & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in ſpe gloriæ filiorum Dei: Hęc omnia pugnant cum quinta eſſentia. Præterea, elementa ipſa ſunt incorruptibilia ſecundùm totum pro pręſenti ſtatu, & poſt diem iudicij etiam ſecundùm partes, ergo ad ſaluandam perpetuitatem cæli non eſt neceſſe, vt quintam eſſentiam fingamus. Rurſum, dicere poſſumus, naturas, & proprietates elementorum ſic eſſe contemperatas in Cælo, cæleſtibuſque corporibus, vt nec ſurſum, nec deorſum moueri ſit eis naturale, ſed orbiculariter circum volui, pręſertim per reſpectum ad totius vniuerſi naturam, conſiſtentiamq; ſeruandam: pręcipuè, quia videmus elementa ſuperiora, quibus naturaliter competit ſurſum moueri, naturaliter moueri deorſum per comparationem ad vniuerſalem naturam, quemadmodum, & aquæ naturaliter conuenit moueri ſurſum ad vacuum euitādum, igni etiam ſub orbe lunę non violenter, ſed naturaliter conuenit circulariter circumferri. Dionis. loc. cit.

2 ¶ *Theologus debet diſſentire à philoſopho in hac Concluſione.*

ne. Cælum eſt neceſſarium, & incorruptibile.] Illud Chaos, quod ponitur à Theologis attigiſſe vſque ad Cælum Empyreum, erat materia omnium corporalium contentorum à Cælo Empyreo, vnde ſecundùm ipſos ponenda eſt materia in Cælo, & etiam materia ſecundùm ſe, & quantum eſt ex ſe, eiuſdem rationis in quocunque, & ita habent ipſi diſcordare à philoſopho in hac propoſitione. Cælum eſt neceſſarium, & incorruptibile. Quantùm enim eſſet ex natura ſua eſſet ſimpliciter corruptibile. quia ſibi ineſſet illa potentia ad contrarium: quia tamen forma cæli non habet contrarium potens vincere iſtam formam, ideo non poteſt corrumpi ab agente naturali nec alterari recipiendo peregrinas impreſſiones. Doct. Sub. 2. d. 14. q. 1. Concedit eſſe naturæ elementaris ſecundùm Theologos.

3 ¶*Aquæ ſunt ſuprà firmamentum.*] Apertiſſimè habetur ex littera, Diuiſit (inquit) aquas, quæ erant ſupra firmamentum, ab ijs, quæ erant ſub firmamento, D. Tho. 1. p. q. 68. a. 2. Quoniam Scripturę diuinæ maior eſt auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas, vt dicit Auguſt. 2. ſuper Gen. ad litt. nullus dubitat aquas eſſe ſuprà firmamentum; cæterùm, quales ſint, non eodem modo ab omnibus aſſignatur. Orig. dicit, quòd aquæ illæ ſunt ſpirituales ſubſtantiæ. Vnde in pſalm. dicitur, aquę, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. & Dan. 3. Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt Domino. Sed reſpondet Baſil. in 2. Hexam. quòd hoc non dicitur, eo quòd aquę ſint rationales creaturæ, ſed quia conſideratio earum, prudenter à ſenſu abundantius cõtemplata, glorificationẽ perficit Creatoris. Vnde ibidem idem dicitur de igne, & grandine, & huiuſmodi, de quibus cõſtat, quòd non ſunt rationales creaturæ. Dicendum eſt ergo, quòd ſunt aquæ corporales, ſed quales aquę ſint, oportet diuerſimodè diffinire, ſecundùm diuerſam de firmamento ſententiam. Si enim per firmamentum intelligatur Cælum ſidereum, quod ponitur eſſe de natura quatuor elementorum; pari ratione, & aquæ, quæ ſuper

per Cælos ſunt, eiuſdem naturæ poterunt credi cum elemen taribus aquis. Si autem per firmamentum intelligatur Cælum ſidereum, quod non ſit de natura quatuor elementorum, tunc & aquæ illæ, quæ ſunt ſupra firmamentum, non erunt de natura elementariũ aquarum, ſed ſicut ſecundùm Strabum dicitur cælum Empyreum, ideſt, igneum, propter ſolum ſplendorem, itá dicetur aliud Cælum aqueum, propter ſolam diaphaneitatem, quod eſt ſuprà cęlum ſidereum. Poſito etiam quod firmamentum ſit alterius naturæ præter quatupr elementa, adhuc poteſt dici, quòd aquas diuidit, ſi per aquam, non elementum aquæ, ſed materiam informem corporum intelligamus, vt Auguſtinus dicit ſuper Gen. ad litt. contrà Manich. quia ſecundùm hoc, quid quid eſt inter corpora, diuidit aquas ab aquis. Si autem per firmamentum intelligatur pars aeris, in qua nubes condenſantur, ſic aquæ, quæ ſupra firmamentum ſunt, ſunt aquę, quæ vaporabiliter reſolutæ ſuprà aliquam partem aeris eleuãtur, ex quibus pluuiæ generantur. Dicere enim, quòd aquæ vapora biliter reſolutę eleuentur ſuprà celum ſidereum, vt quidam dixerunt, quorũ opinionem, Auguſt. tangit in 2. ſuper Gen. ad litt. eſt omnino impoſſibile. Tum propter ſoliditatem Cæli. Tum propter regionem ignis mediam, quę huiuſmodi vapores conſumeret. Tum quia locus, quò feruntur leuia, & rara, eſt infrà concauum orbis lunæ. Tum etiam quia ſen ſibiliter apparet vapores non eleuari vſq; ad cacumina quorundam montium. Quod etiam dicunt de rarefactione cor poris in infinitũ, propter hoc, quòd corpus eſt in infinitum diuiſibile: vanum eſt. Non enim corpus naturale in infinitum diuiditur, aut rarefit, ſed vſque ad certum terminum.

4 ¶ *Firmamentum diuidit aquas ab aquis.*] Dicitur enim Gen. 1. fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. D. Tho. eo loci a. 3. Aliquis conſiderando ſuperficie tenus litteram Gen. poſſet talem imaginationem concipere ſecundum quorundam antiquorum philoſophorum poſitionem. Poſuerunt enim quidam aquam quoddam

infi

infinitum corpus,& omnium aliorum corporũ principium: Quàm quidem immenſitatem aquarũ accipere poſſet in nomine Abyſſi. Ponebant etiam quòd iſtud Cælum ſenſibile, quod videmus, non continet infrà ſe omnia corporalia,ſed eſt infinitum aquarum corpus ſuprà cælum. Et ideo poſſet aliquis dicere, quòd firmamentum cæli diuidit aquas exteriores ab aquis interioribus, id eſt, ab omnibus corporibus, quę infrà cęlum continentur, quorum principium aquam ponebant. Sed quia iſta poſitio per veras rationes falſa deprehenditur, non eſt dicendum hunc eſſe intellectum ſcripturę. Sed conſiderandum eſt, quòd Moyſes rudi populo loquebatur: quorum imbecillitati condeſcendens, illa ſolùm eis propoſuit, quę manifeſtè ſenſui apparent. Omnes autem, quantumcunq; rudes, terram, & aquam eſſe corpora, ſenſu deprehendunt. Aer autem non percipitur ab omnibus eſſe corpus, intantum quòd etiam quidam philoſophi aerem dixerunt nihil eſſe, plenum aere vacuum nominantes. Et ideo Moyſes de aqua, & terra mentionẽ facit expreſſam: aerem autem non expreſsè nominat, ne rudibus quoddam ignotum proponeret. Vt tamen capacibus veritatem exprimeret, dat locum intelligendi aerem, ſignificans ipſum quaſi aquę annexum, cùm dixit, quòd tenebrę erant ſuper faciem abyſſi, per quod datur intelligi, ſuper faciem aquæ eſſe aliquod corpus diaphanum, quod eſt ſubiectum lucis, & tenebrarum. Sic igitur, ſiue per firmamentum intelligamus cælum, in quo ſunt ſidera, ſiue ſpatium aeris nubiloſum, conuenienter dicitur, quòd firmamentũ diuidit aquas ab aquis, ſecundùm quòd per aquam materia informis ſignificatur, vel ſecundùm quòd omnia corpora diaphana ſub communi conuenientiā aquarum intelliguntur. Nam Cęlum ſidereum diſtinguit corpora inferiora diaphana à ſuperioribus. Aer verò nubiloſus diſtinguit ſuperioris aeris partẽ, in qua generantur pluuię, & huiuſmodi impreſſiones, ab inferiori parte aeris, quæ aquæ connectitur: & ſub nomine aquarum intelligitur.

AD ARGVMENTA.

ad 1 SI motus firmamenti non ſtatim à principio incepit, tunc tempus, quod præceſſit, non erat numerus motus firmamenti, ſed cuiuſcunq; primi motus, accidit enim tempori, quòd ſit numerus motus firmamenti, in quantum hic motus eſt primus motuum. Si autẽ eſſet alius motus primus, illius motus eſſet tempus menſura: quia omnia menſurantur primo ſui generis. Oportet autem dicere ſtatim â principio fuiſſe aliquem motum, ad minus ſecundùm conceptionum ſucceſſionem, & affectionum in mente aliqua. Motum autem non eſt intelligere ſine tempore, cùm nihil aliud ſit tempus, quàm numerus prioris, & poſterioris in motu. D. Tho.

ad 2 & 3 Secundi, & tertij ſolutio ex dictis innoteſcit, nam aquarum, & terræ nomine, de quibus fit mentio ante formationem lucis, non intelligitur terra, & aqua, quæ ſunt elementa, ſed ipſa materia prima. Rurſum, ſi ex elementari natura conſtat Cęlum ſidereum, nihil impedit ex præexiſtenti materia fieri, Si verò quinta eſſentia eſt, non dicitur factum ſecundo die ſecundùm ſubſtantiam. Item, ſi firmamentum accipiatur pro illa parte aeris, in qua condenſantur nubes, quæ firmamentum dicitur propter aeris ſpiſſitudinem in parte illa, nam quod eſt ſpiſſum, & ſolidum dicitur eſſe corpus firmum, & ad differentiam corporis mathematici, vt dicit Baſilius, aperta quoque eluceſcit ſolutio. Et multò magis ſi Auguſtini opinionem amplectamur.

ad 4 Secundùm diuerſas opiniones de aquis, & firmamento reſpondeas, dummodo non deſcendas in opinionẽ dicentium, quòd aquæ, quamuis ſint naturaliter graues, virtute tamen diuina ſuper cælos continentur. Hanc quippè ſolutionem excludit Auguſtin. 2. ſuper Gen. dicens, quòd nunc quemadmodum Deus inſtituit naturas rerum, conuenit quærere, non quid in eis admiraculum ſuę potentiæ velit operari. D. Tho. Quo fit, parùm in doctrina ſancta promouiſſe eos, qui

ratio-

rationibus paſſim relictis, aut etiam contemptis, ad potentiam Dei tanquam ad certum, & tutum Aſylum, vbique ſe ſe in theologia recipiunt, & nihil aliud inueſtigandum prætereà eſſe arbitrantur. In his Gulielmus Ochan princeps ter miniſtarum creberrimus eſt, teſte Ioan. Capre. 2.d.2. q. 2. contrà quartam concluſionem, ad nonum Gregorij. Nec Auguſtinus ſolus, ſed alij quoq; patres hoc genus theologię ſpreuerunt: Etenim, & D. Greg. Naz. in priore ad Calydonium ità loquitur: Si ab ijs rationibus deturbati eò confugiant, & dicant, Deum poſſe etiam ſine mente hominem ſeruare; poteſt vtiq; etiam ſine carne, vel ſola voluntate, ſicut & alia omnia, quę effecit corporaliter: tolle ergo vnà cum mente carnem quoque; vt omni ex parte perfecta ſit tua amentia. Viel. lect. 14.

ad 5 Huius quoq; ex dictis ſolutio habetur, & addi poteſt, quòd aquæ, quę ſuper cælos ſunt, non ſunt fluidæ, ſed quaſi glaciali ſoliditate extrà Cælū firmatæ; vnde à quibuſdam dicuntur Cęlum Cryſtallinum. D. Tho.

ad 6 Si firmamenti nomine intelligatur aer nubiloſus, aquæ ſunt ſuper ipſum vaporaliter eleuatę propter vtilitatem pluuiarum. Si intelligatur cęlum ſidereum, & nomine aquarum: cęlum totum diaphanum abſq; ſtellis, quod quidā ponunt primū mobile, cùm reuoluat totum Cęlum motu diurno, operatur per motum diurnum continuitatē generationis: ſicut cælum, in quo ſunt ſidera, per motum, qui eſt ſecundum Zodiacum, operatur diuerſitatem generationis, & corruptionis per acceſſum, & receſſum, & per diuerſas virtutes ſtellarum. Si illæ aquæ ſunt eiuſdem naturæ cum elementaribus, ſunt ibi vt Baſil. dicit, ad contemperandum calorem cęleſtium corporum; Cuius ſignum acceperunt aliqui, vt Auguſt. dicit, quòd ſtella Saturni, propter vicinitatem aquarum ſuperiorum, eſt frigidiſſima. D. Tho.

ad 7 Si per firmamentum intelligatur cęlum ſidereum, aquæ ſuperiores non ſunt eiuſdem ſpeciei cum inferioribus. Dicitur autem firmamentū inter eas diuidere non ſicut cauſſa

faciens diuiſionem, ſed ſicut terminus vtrarumq; aquarum. Si verò intelligatur per firmamentum nubiloſus aër, tunc vtræq; aquę ſunt eiuſdem ſpeciei, & deputantur tunc duo loca aquis, non eadem ratione, ſed locus ſuperior eſt locus generationis aquarum, locus autem inferior eſt locus quietis earum. D. Tho.

ad 8 Moyſes propter inuiſibilitatem aeris, & ſimilium corporum, omnia huiuſmodi corpora ſub aquæ nomine comprehendit. Et ſic manifeſtum eſt, quòd ex vtraq; parte firmamenti, qualitercunque accepti, ſunt aquę. D. Tho.

ad 9 Vt ſuprà dictum eſt, ſecundùm Auguſtinum per illa tria importatur triplex eſſe rerũ: In Verbo, In mente angelica, & in propria natura. Secundùm autem alios poteſt dici, quòd in hoc quod dicit, Dixit Deus, fiat, importatur Imperium Dei de faciendo, per hoc autem, quod dicit, factum eſt, importatur complementum operis. Oportuit autem, vt ſubderetur quo modo factum fuit: præcipuè propter illos, qui dixerunt, omnia viſibilia per angelos facta. Et ideo ad hoc remouendum ſubditur, quòd ipſe Deus fecit. Vnde in ſingulis operibus, poſtquam dicitur, Et factum eſt, aliquis actus Dei ſubditur, vel fecit, vel diſtinxit, vel vocauit, vel aliquid huiuſmodi. D. Tho. Ferè in idem redit, quod dicit Alb. 2. p. q. 55. Vel, quia eſt alius modus loquendi in hoc ſecundo die, & in alijs, dici poteſt, quòd in omnibus operibus intelligitur triplex eſſe: In Deo tanquam in principio, eſſe in proprio genere, & eſſe ad ipſum, in quantum eſt finis, & ità notatur perfectio. Sed duplex eſt eſſe ad ipſum in quantum eſt finis, vt in ſe ſit ad ipſum vt ad finem; & vt rationalis creatura ſe, & alia referat ad Deum tanquam finem: & hæc vocatur perfectio ſecunda. Vt ergo oſtenderet quòd hęc perfectio ſecunda non fuit in rationali creatura Angelica, quoad omnem Angelum, & hoc propter opera eorum, quæ fuerunt in ſecunda die, non dixit, Vidit Deus, quia bonum eſt: ſed vt oſtenderetur, quod non defuit prima perfectio, prout res in ſe refertur ad Deum tan

quam ad finem, dictum eſt, Et fecit Deus. Si verò obijciatur, quòd in alijs diebus non eſt dictum, & fecit, Reſpondendum eſt, quòd in illo, quod dicit (& vidit Deus quòd eſſet bonum, intelligi etiam datur, & fecit, perfectio enim ſecunda ponit primam, & non è conuerſo, & ideò, cùm dicitur, vidit Deus quod eſſet bonum, intelligitur, & fecit, in quo notatur prima perfectio. Alex. 2. p. q. 50. m. 6. a. 2. Qui & a. 4. reddit rationem, cur vocauerit firmamentum cælum. Quemadmodum (inquit) ſuperius per cælum, & terram, quæ ſunt magis ſenſibilia, voluit manuducere intellectum noſtrum ad inſenſibilia: & non tantùm ad alia ſenſibilia: ità cùm nunc vocat firmamentum cælum, hoc non eſt, vt excludatur intentio cæli, ab empyreo, ſed vt oſtendat, quod hoc eſt illud cęlum de ſuperioribus, quod primò apparet nobis. Vtrunque autem, ſcilicet empyreum, & aqueum eſt nobis inuiſibile: vnde & iſtud poteſt dici cælum, quod cęlat nobis ſuperiores cælos. Hæc Alex.

ad 10 Decimum ſoluere ſuperuacaneum eſſet, cùm ex ſuperioribus multiplex ſolutio colligi poſſit.

Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida, & vocauit Deus aridam terram, Congregationesq́ aquarum appellauit maria.

ARGVMENTA.

1 EA, quæ facta ſunt prima, & ſecunda die, verbo factionis exprimuntur, dicitur enim, dixit Deus, Fiat lux, & fiat firmamentum. Sed tertia dies condiuiditur duabus primis, ergo opus tertię diei debuit exprimi verbo factionis, & non ſolùm verbo congregationis. D. Tho. 1. p. q. 69. a. 1. arg. 1.

2 Terra prius vndique erat aquis cooperta, propter hoc enim inuiſibilis dicebatur. Non erat ergo aliquis locus ſuper terram, in quo aquæ congregari poſſent. D. Tho. ibi arg. 2.

3 Quæ non ſunt continuata adinuicem, non habent vnum locum. Sed non omnes aquæ habent adinuicem continuitatem, ergo non ſunt omnes aquæ congregatæ in vnū locum. D. Tho. ibi arg. 3.

4 Congregatio ad motum localem pertinet: Sed aquę naturaliter videntur fluentes, & ad mare currentes. Non ergo fuit neceſſarium ad hoc diuinum pręceptum adhiberi. D. Tho. ibi arg. 4.

5 Terra etiam in principio ſuę creationis nominatur, cùm dicitur, in principio creauit Deus cęlum, & terram. Inconueniente ergo dicitur tertia die nomen terræ impoſitum. D. Tho. ibi. arg. 5.

6 In elementis eſt talis ordo, quòd ſubtiliùs ſe habet ad minus ſubtile, ſicut continens ad contentum, vnde ignis continet aerem, & aer aquam, ſed aqua etiam eſt ſubtilior terra, ergo aqua debet totam terram continere, & non in vnam partem eius congregari. D. Tho. 2. d. 14. a. 5. arg. 3.

7 A loco, in quem mouetur corpus naturaliter, non poteſt moueri niſi violenter, vt in 2. cęl. & mund. habetur: Si ergo aqua naturaliter congregatur in vnam partem terræ: videtur, quòd ad alias partes defluere non poſſit, niſi violenter: Nullus autem motus violentus eſt perpetuus: vt 1. Cæl. & mund. dicitur, cùm ergo ex mari, quod dicitur locus congregationis aquarum, indeſinenter aqua ad reliquas partes terrę deriuetur: quod ipſa perennitas fluuiorum oſtendit, videtur, quòd non naturaliter aquę in vnum locum congregentur: & ita inconuenienter talis congregatio in inſtitutione naturę commemoratur. D. Tho. ibi arg. 4.

8 In loco naturali vnum quodq; elementum eſt purum, & ſimplex: ſed aqua in mari non videtur eſſe purum elementum, quod ipſa ſalſedo oſtendit, cùm aqua de natura ſua ſit

inſipida.Ergo videtur, quòd non naturaliter in locum vnum ſcilicet, in mare aquæ congregetur. Et ſic idem quod prius. D. Tho. ibi arg. 5.

9 Dicitur. In principio creauit Deus cælum, & terram: ergo videtur, quòd in principio ſuę cõditionis habuit formam cęleſtem, & formam elementarem. Si dicas quòd cælum ſtat ibi pro cælo Empyreo, & terra pro materia corporaliũ, obijcitur per textum ſequentem: Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida. ergo videtur, quòd tertia die terra ſolummodo manifeſtata fuerit, non producta: ergo in ipſo Chaos videbantur iam eſſe elementa & ita materia fuit creata ſub aliqua formarum diuerſitate. D. Bon. 2. d. 12. q. 3.

10 Motus ad locum eſt entis completi, ſed aquæ nondum erant productæ, ergo malè dixit, in locum vnum congregentur. D. Bon. cit. d. 14. p. 2. cir. litt. dub. 1.

11 Nihil poteſt apparere niſi color, ſed nullum elementum ſimpliciter eſt coloratum, ergo terra non poteſt apparere: malè ergo dicit, appareat arida. D. Bon. ibi.

12 Quodlibet elementum tendit in locum ſuũ per ſuam formam naturalem, ſed aquæ fuerunt ante omnem diem, & ab ipſo principio, vt patet Gen. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, quod dictum fuit ante omnem diem, & ante factionem lucis. ergo non tertia die, ſed ante omnẽ diem, aquæ fuerunt cõgregatę in loco ſuo. Aegid. cit. d. 14. q. 2. a. 1.

EXPOSITIO.

SI ſecundùm Auguſtinum in omnibus his operibus non ponamus durationis ordinem, ſed ſolùm originis, & naturæ dicere habemus, creatam fuiſſe naturam ſpiritualem informem, & naturam corporalem, abſq; omni forma, quæ primò ſignificatur nomine terrę, & aquæ. Non quia hæc informitas formationem pręceſſerit tempore, ſed origine tantùm, neq; vna formatio pręceſſit aliam duratione, ſed ſolùm naturæ ordine. Secundùm quem ordinem neceſſe fuit, vt

primo poneretur formatio ſupremę naturæ, ſcilicet ſpiritua lis: per hoc quòd legitur prima die lux facta. Sicut autem ſpiritualis natura præeminet corporali, ità ſuperiora corpora pręeminent inferioribus, vnde ſecundo loco tangitur formatio ſuperiorum corporum, cum dicitur, Fiat firmamentum. Per quod intelligitur impreſſio formę cęleſtis in materiam informem, non prius exiſtentem tempore, ſed origine tantùm. Tertio verò loco ponitur impreſſio formarum elementarium in materiam informem, non tempore, ſed origine præcedentem. Vnde per hoc, quod dicitur, Congregentur aquę, & appareat arida, intelligitur, quod materię corporali impreſſa eſt forma ſubſtantialis terræ, per quam competit ſibi ſic videri. Si verò ſecundùm alios ſanctos in ijs operibus etiam ordo durationis attendatur, dicendum eſt, informitatem materiæ tẽpore præceſſiſſe formationem, & vnam formationem aliam. Verum quidem eſt, quòd per informitatem materiæ, ſecundùm eos, nõ intelligitur carentia omnis formæ: quia iam erat cælum, & aqua, & terra: quæ tria nominantur tãquam manifeſtè ſenſu perceptibilia, ſed intelligitur carentia debitæ diſtinctionis, & conſummatæ cuiuſdam pulchritudinis. Et ſecundùm hæc tria nomina poſuit Scriptura tres informitates. Ad cęlũ enim, quod eſt ſuperius, pertinet informitas tenebrarum: quia ex eo eſt origo luminis. Informitas verò aquæ, quę eſt media, ſignificatur nomine Abyſſi, quia hoc nomen ſignificat quandam immenſitatem inordinatam aquarum, vt Auguſtin. dicit contrà Fauſtum. Informitas verò terræ tangitur in hoc, quod dicitur, quòd terra erat inanis, & inuiſibilis, per hoc quod erat aquis cooperta. Sic igitur formatio ſupremi corporis facta eſt prima die, & quia tempus ſequitur motũ cæli, tempus autem eſt numerus motus ſupremi corporis: per huiuſmodi formationem facta eſt diſtinctio temporis, noctis ſcilicet & diei. Secundo verò die formatum eſt medium corpus, ſcilicet aqua: per firmamentum accipiens quandam diſtinctionem, & ordinem: ità quòd ſub nomine aquæ etiam

alia comprehenduntur, vt ſuprà dictum eſt. Tertio verò die formatum eſt vltimum corpus, ſcilicet terra, per hoc, quòd diſcooperta eſt aquis, & facta eſt diſtinctio in infimo, quæ dicitur terrę, & maris. Vnde ſatis congruè, ſicut informitatem terræ expreſſerat dicens, quòd terra erat inuiſibilis, vel inanis: ità eius formationem exprimit, per hoc quod dicit, & appareat arida. D. Tho. 1. p. loco proximè cit. At D. Bon. dicit cit. d. 14. cit. litt. dub. 1. Scriptura diſtinctionem elementorum in ijs verbis valde explicat eleganter, ſi quis attendat; quia enim motus ad ſitũ non eſt niſi rei completę, & habentis formam, nec aliud fuit, aquas congregari in vnum, quàm ipſi elemento aquæ dando ſpeciem vnam, & inclinationem ad locum ſpeciei, ſimul debitũ, ſecundùm exiſtentiam formæ, & inclinationis ad ſitum dare locũ congruum: & quia locus aquæ eſt immediatè eſſe circa terram, dum aqua congregatur, ab elementis ſuperioribus, ſcilicet aere, & igne ſeparatur: ergo in congregatione aquarum tangitur per conſequens diſtinctio aliorum duorum elementorum. Rurſus, quia aquę ſunt natę circundare terram, & ſi ex omni parte circuirent terram, ad inhabitandum nobis, & animalibus apta non eſſet, ideo ſic diſtinxit, vt in ſuperiori ſuperficie arida appareret. Rurſus, ſi terra eſſet ab aqua omnino ſeparata, ad generandum non eſſet apta: & ideo Deus ſic areſecit terræ ſuperficiem, vt tamen ipſius radicem aqua impleret, & per decurſum fluuiorum etiam irrigaret. Et propter hoc tria dicit Scriptura. Primò propter elementorum diſtinctionem, Congregentur aquæ in locum vnum. Secundò verò propter ſuperficiei terræ denudationem, Et appareat arida. Tertiò propter irrigationem, quã ab aquis ſuſcipit, vt germinare poſſit, dicit, Vocauit aridã terram, Congregationesq; aquarum appellauit maria. Hæc ille.

CON-

CONCLVSIONES.

1 DEVS *poteſt immediatè corpus mouere.*] Opera ſex dierum Deus fecit immediatè, in quibus continetur motus corporũ, vt patet per hoc, quod dicitur Gen. 1. Congregentur aquæ in locum vnum. ergo Deus immediatè poteſt corpus mouere. D. Tho. 1. p. q. 105. a. 2. Erroneum quippe eſt dicere, Deum non poſſe per ſe ipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque cauſſam creatam. Vnde cùm corpora moueantur immediatè à cauſſis creatis, nulli debet venire in dubium, quin Deus poſſit mouere immediatè quodcunque corpus. Nec obſtat, quòd mouentis, & moti oportet eſſe contactum quendam, cùm, vt probatur. 7. Phyſ. mouens, & motum neceſſe ſit ſimul eſſe. Dei verò non eſt aliquis tactus, vt inquit Areopag. 1. de diu. nom. Quoniam duplex eſt tactus, corporalis, ſicut duo corpora ſe tangunt, & virtualis, ſicut dicitur, quòd contriſtãs tangit contriſtatum. Secundùm primum contactum, Deus, cùm ſit incorporeus, nec tangit, nec tangitur: Secundùm autem virtualem cõtactum tangit quidem mouendo creaturas, ſed non tangitur: quia nullius creaturæ virtus naturalis poteſt ad ipsũ pertingere. Et ſic intellexit Dio: quod non eſt tactus Dei. D. Tho. ibi.

QVESITA.

1 CVR elementum aquæ nominat Scriptura pluraliter, & elementum terræ ſingulariter? Reſpondetur; propter earum diſpoſitionem, humidum enim proprio termino eſt malè terminabile, ſiccum autem de ſui natura terminabile eſt. D. Bon. loco proximè citato. Vel ſecundùm Aegid. in Hexam. p. 2. c. 27. Congregationes aquarum vocatæ ſunt maria in plurali ratione pluralitatis brachiorum, & ratione diuiſionis aquarum. Propter primum ſciendum, quòd imaginatur Pſalmiſta congregationes marium quaſi

in vtre, ſi enim eſſet vter habens collum, & brachia in ſimilitudinem crurium, & eſſet plenum vſque ad ſummum, tunc in cruribus, & in collo vtris eſſent deriuationes aquarum, Sic 1
magnum mare, quod dicitur oceanum, eſt quaſi corpus illius vtris, brachia verò maris, quæ procedunt per noſtram terram habitabilem, dicuntur quaſi collum, & crura illius vtris, & quia magnum mare habet plura talia brachia, ideo illæ congregationes aquarum pluraliter appellatæ ſunt maria. Secunda via ad hoc idem poteſt ſumi ex facilitate diuiſionis, nam aqua faciliter diuiditur, & de facili vna aqua poteſt fieri multæ aquę, & etiam quia poſſunt de facili congregari, & fieri vna aqua, ideo indifferenter in numero plurali, & ſingulari, & de aliquo loco vbi eſt aqua, poſſumus indifferenter dicere ſingulariter, hic eſt multa aqua, & pluraliter, hic ſunt multæ aquę. Illę itaq; congregationes aquarum indifferēter poſſunt dici ſingulariter mare, & pluraliter maria.

2 Cur elementum terrę prius vocat aridam, & poſtea vocat terram, cùm ante dictum ſit. In principio creauit Deus cęlum, & terram? Quia primum nomen dicit proprietatem elementi, videlicet ſiccitatem, ſecundum verò nomen dicit eius vſum, ſiue vtilitatem, quam habet per commixtionem aquę, vt poſſit coli, & fructificare: ideo dicitur terra, quaſi trita; D. Bon. eo loci.

3 Cùm elementum aquę ſit inſipidum per naturam, & maria ſint ſalſa, cur congregationes aquarum appellauit maria? Appellauit maria, non quia amaritudo ſit prima qualitas aquę, ſed quia conſequitur aquam in ſua congregatione 1
propter craſſitiem partium, quæ remanent, ſubtilioribus eleuatis ſurſum, vel penetrantibus in terræ profundo, ex qua ſubtiliatione dulceſcunt. D. Bon. ibi. Aqua per ſe inſipida eſt, & propter hoc humidum aquę ſubiectum eſt omnium ſaporum: & non poſſet eſſe omnium ſubiectum, niſi eſſet inſipidum, nullum ſaporem habens. Et ideo dicit Ariſtot. in 2. de Anima, quod eſt ſapor humidi, ſicut odor ſicci. Per accidens autem eſt ſalſa, vel amara: iuxtà littora enim,

vbi terreſtre combuſtum immixtum eſt, ibi ſalſa, & amara eſt, & amarior, quàm in medio, & profundo: & ideo ſimul à natura, & accidente, quod accepit ex loco congregationis aquarum, vocauit maria: ſicut & terram ſimul à natura; & accidente vocauit aridam. A natura enim habet ſoliditatem: ariditatem autem ex ſeparatione ab aquis: attritionem verò, quòd trita eſt, habet ab hoc, quòd eſt locus generationis, & animalium. Alb. 2. p. q. 56. m. 2. Vide ſolutionẽ octaui.

4 Sicut de aquis inferioribus dicitur, quòd congregentur in locum vnum, cur non eſt ſimiliter dictum de aquis ſuperioribus, cùm & ipſę ſuum haberent locum, ſicut & aquę inferiores? b Quoniam inferiores minorem locum occupabant b
in ſpecie aquę, ſuperiores verò magis dilatabantur Alex. 2. c
p. q. 511. m. 1. ad 6. Senſus eſt (ni fallor) cùm ex eadem materia informi, de qua dicitur: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, factum ſit cęlum cryſtallinum, firmamentum, & elementa, & nominatim elementum terrę, & aquę: materia illa informis, recipiendo formam cęlorum, dilatata eſt, recipiendo formam terræ, & aquę, condenſata eſt.

AD ARGVMENTA.

ad 1 IN opere tertię diei, vt Aug placet, non vtitur Scriptura verbo factionis, ſicut in pręcedẽtibus operibus: vt oſtendatur, quòd ſuperiores formę, ſcilicet ſpirituales angelorũ, & cęleſtium corporum ſunt perfectę in eſſe, & ſtabiles: formę verò inferiorũ ſunt imperfectæ, & mobiles, & ideo per congregationẽ aquarum, & apparentiã aridæ, impreſſio talium formarũ deſignatur. Aqua enim eſt labiliter fluxa, terra ſtabiliter fixa, vt ipſe dicit 2. ſuper Gen. ad litt. Secundùm verò alios dicendum eſt, quòd opus tertiæ diei eſt perfectum ſecundum ſolum motum localem. Et ideo non oportuit, vt Scriptura vteretur verbo factionis. D. Tho. Vel, vt inquit Alex. loco proximè cit. non fuit ſimile de aquis, & terra, ſicut de luce, & firmamento. Cum factio ad ſpeciem pertineat: lux autem, & firmamentum ſpeciem habeant valde diſtantem à materia informi: rectè voluit hoc

per

per verbum fiendi demonſtrari: aqua autem, & terra, licet ſpecies receperint in tertio die: tamẽ quia maximè accedũt ad materiam informem, quæ prius dicta fuit nomine terræ, vel aquarum: ideo voluit ſub aliquo modo loquendi eorum facturam deſignare, dicendo, Congregentur, vt notetur, quòd prius erant in confuſione: tunc autem diſtinguerentur: Vnde August. ſuper Gen. Acceperunt hęc duo ſpecies illas proprias, & notiſſimas nobis, & tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem: & ideo de aquis dictum eſt. Congregentur aquæ: de terra: appareat arida, aqua enim labiliter fluxa: terra ſtabiliter fixa. Hæc ille.

ad 2 Non oportet ſecundum Auguſtinum dicere, quòd terra primò eſſet cooperta aquis, & poſtmodum congregatę, ſed quòd in tali congregatione fuerunt productę. Sic nanque loquitur Alex. loco paullò antę citato ad 5. Aug. cõtra Manichęos reſpondet, quod cùm dicitur, congregetur aqua, quæ ſub cęlo eſt, in congregationem vnam, hoc dicitur, vt illa materia corporalis formetur in eam ſpeciem, quam habent iſtæ aquę viſibiles: ipſa enim congregatio in vnũ, ipſa eſt aquarum formatio iſtarum, quas videmus. Omnis enim forma ad vnitatis regulam cogitur. Et quod dicitur, appareat arida: Quid aliud dici intelligendum eſt, niſi vt illa materies accipiat viſibilem formam, quam habet nũc terra iſta, quã videmus, & tangimus? Hæc ille. Secundùm verò alios tripliciter reſpondetur. Vno modo, vt aquæ in maiorem altitudinem ſint eleuatę in loco, vbi ſunt congregatæ. Nam mare eſt altius terra, vt experimento compertum eſt in mari rubro, vt Baſil. dicit. Secundò, vt dicatur, quòd rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione denſata eſt. Tertio, vt dicatur, quòd terra potuit aliquas partes prębere concauas, quibus confluentes aquę reciperentur. Inter quas, prima videtur probabilior. Hæc D. Tho. Attamen Aegid. parte 2. Hexam. c. 24. & 26. nititur eam infirmare. Licet enim (inquit ille) mare habeat altitudinem reſpectu noſtri, quia interponit ſe inter nos, & naues, quę

ſunt

ſunt in ipſo, nihilominus reſpectu vniuerſi habet æqualitatem, vel habet eſſe infimum reſpectu terrę habitabilis: nam, cùm omnia flumina tendant ad mare, & aqua nunquam naturaliter tendat ad ſuperius, ſed ſemper ad inferius, mare erit inferius, quàm terra. Quæ controuerſia propriam ſedem habebit. Iob 38. ſuper illud: Quis concluſit oſtijs mare. Obſeruo etiam, quod, & ſecundum ponentes in omnibus his operibus durationis ordinem, non oportet dicere, quòd terra primò eſſet cooperta aquis, & poſtmodū congregatę, ſed quòd in tali congregatione fuerunt productæ, vt in ſolut. noni, & decimi ex Diuo Bon. patebit.

ad 3 Omnes aquę vnum terminum habēt, ſcilicet mare, in quo confluunt vel manifeſtis, vel occultis meatibus, & propter hoc dicuntur aquæ congregari in vnū locū, Vel dicit vnum locum, non ſimpliciter, ſed per comparationem ad locum terræ ſiccæ: vt ſit ſenſus, Congregentur aquę in vnum locū, id eſt, ſeorſum à terra ſicca. Nā ad deſignandam pluralitatē locorum aquę ſubdit, quòd congregationes aquarum appellauit maria. D. Tho.

ad 4 Iuſſio Dei naturalem motū corporibus præbet. Vnde dicitur, quod ſuis naturalibus motibus faciunt velle eius. Vel poteſt dici, quod naturale eſſet, quòd aqua vndique eſſet circà terram, ſicut aer vndique eſt circà aquam, & terram, ſed propter neceſſitatem finis, vt ſcilicet animalia, & plantæ eſſent ſuper terram, oportuit, quòd aliqua pars terræ eſſet diſcooperta aquis. Quod quidem aliqui philoſophi attribuunt actioni Solis, per eleuationem vaporum diſſicantis terram; Sed ſacra ſcriptura attribuit poteſtati diuinę, non ſolùm hic in Gen. ſed etiam in Iob. 38. cap. vbi ex perſona Domini dicitur, Circundedi mare terminis meis. & Hiere. 5. Me ergo non timebitis, ait Dominus, qui poſui arenam terminum mari. D. Tho. Vtrùm autem miraculo hęc terrę denudatio facta ſit, & iam ſic maneat terra abſq; nouo miraculo, vel etiam aliqua aſtra ad hoc cooperentur, examinabitur Iob c. 38. loco proximè citato. Ex D.Tho.2.Sent.

vbi

vbi ſupra; videtur colligi, quòd facta ſit naturaliter, inquit enim, quòd ſicut calor, & frigus non ſunt formæ ſubſtantiales elementorum, ità nec grauitas, nec leuitas, quia non poſſent eſſe alijs corporibus accidentales: Vnde ſicut ſubſtantia non eſt principium alterationis niſi mediante calore, vel frigore, ita nec eſt principium motus, vel quietis localis niſi mediante grauitate, & leuitate, & ideo quãuis aqua formam ſubſtantialem ex opere creationis habuerit, non tamen ex hoc in proprium locum congregabatur. Sed quia qualitates actiuæ, & paſſiuæ inferioribus elemẽtis tertia die collatę intelliguntur, ideo ex collatione talis virtutis, nempe grauitatis dicuntur aquę tertia die in vnum locum congregatæ. Hęc ille.

ad 5 Per terram, de qua primo fiebat mentio, ſecundùm Aug. intelligitur materia prima, nunc autem intelligitur ipſum elementum terræ, Vel ſecundùm Baſil, primò nominabatur terra ſecundùm naturam ſuam, nunc autem nominatur ex ſua principali proprietate, quæ eſt ſiccitas. Vnde dicitur; quòd vocauit aridam terram. Vel vbicunq; dicitur, vocauit, intelligitur æquiuocatio nominis, vt ſuprà dictum eſt. D. Tho. Etiam ſecundùm alios Sanctos, vt placet D. Bon. per terram, de qua primo fiebat mentio, intelligitur materia prima. Pro expoſitione reſponſionis Baſilij facit, quod dicit Aegid. 2. parte Hexam. c. 23. in calce. Totum (inquit) elementum terrę dicitur terra ex natura, quia eſt naturę terreę, ſed terra arida, & terra habitabilis dicitur terra ex proprietate terræ, & ex ariditate. Quia ſicut proprium eſt aquę, quòd ſit frigida, poteſt tamen calefieri per ignem, ſic proprium eſt terræ, quòd ſit ſicca, & arida, poteſt tamen huméctari per aquam: ità aqua calida eſt aqua per ſuam naturam, & per ſuam formã ſubſtantialem, ſed aqua frigida eſt aqua non ſolùm per ſuam formã ſubſtantialẽ, ſed per ſuam proprietatem naturalem, vt per frigiditatem: ſic totum elementum terræ, & partes illæ, quæ ſunt coniunctę aquis, ſunt terra quantùm ad formam ſubſtantialem, ſed ſolùm terra

arida eſt terra per ſiccitatem, & ariditatem, quę nominat proprietatem terræ naturalem. Hæc ille.

ad 6 Quantò aliquod elementum eſt ſubtilius, tantò eſt maius in quantitate, & ideo aer eſt maior, quàm aqua, & aqua quàm terra, & ideo aer complectitur iſta duo, vndique com plexus ſphæricam figuram: à quo deficit aqua: quę quidē terram cingit, non totam operiens ipſam: cōplexa quidem circulum: ſed deficiens à complexione ſphæræ. Et hoc etiā ſequitur neceſſitatem finis: vt in terra poſſit eſſe habitatio animalium reſpirantium, & generatio plantarum. Terra verò quaſi minima in centro concluditur. D.Tho.

ad 7 Corpora inferiora præter motus proprios ſequūtur quo dammodo motus ſuperiorum, & quantò eſt perfectius cor pus inferius, tantò magis conſequitur de motu ſuperioris: quod patet ex hoc, quòd in corporibus cæleſtibus orbis inferior, pręter motum proprium, retinet motum ſuperioris orbis, quo defertur: Ità etiam eſt in elementis, quod ex mo tu corporum cęleſtium, aliquid conſequuntur de motu circulari, præter motus proprios naturales; quod euidentiſſimè apparet in refluxu maris, qui ſequitur motum lunę, non ta men hoc fit per motum violentum, quia dicit Comment. in 4. Cæl. & mund. quòd motus, quibus elementa ſequuntur impreſſiones corporum cæleſtium, non ſunt violenti, cùm ſit ſecundùm naturalem ordinem corporum, quòd inferiora impreſſionem ſuperiorum ſequantur, & tantò plus, quan tò perfectius fuerit in natura corpus inferius, Et per hunc modum, ex impreſſione cæli mouentis elementa ad miſtionem, aqua ſub ingreditur terrā, vt ſit apta ad generationem mineralium, & animalium, & plantarum, & exinde in locum proprium naturali motu reuertitur, vt dicitur Eccles. 1. Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur. D. Tho.

ad 8 Omnia elementa in loco, vbi contingūt ſe, alterātur à ſua natura, vt ſit quidam motus coniunctionis inter ea. Et exinde in mari cauſſatur ſalſedo ex admixtione vaporis terreſtris ſimul cum aduſtione radij ſolaris, & hoc præcipuè

propè

prope terram, & in ſuperficie; In profundo enim pelagi inuenitur aqua dulcis, vt patet ex verbis philoſophi dicentis in libro de Animalibus, quòd quidã piſcis, qui dicitur Malanie, inuenitur valde magnus in locis pelagoſis, in quibus abundant aquæ dulces. D. Tho. a

ad 9 Sicut Artifex facit apparere effectum producendo, non oſtendendo ſolùm, ſic intelligendum eſt, quòd Deus fecit terram apparere, nõ ſolùm ſeparando elementa abinuicem, ſed etiam producendo, ita quòd productio fuit cum diſtinctione, & diſtinctio cum productione. Cùm autem Hug. de Sanct. Vict. inquit, quòd cùm dicitur, In principio creauit Deus cælum, & terram, nomine terræ hoc terræ elementum ba ſignatum eſt, hoc non dicit propter formã terræ, quæ iam 7 ineſſet illi materiæ, ſed propter quandam aptitudinem incompletam, quæ inerat illi parti materiæ, vt perficeretur poſt modum forma terræ, per eum modũ, ſecundùm quem conſueuit aliquid appellari eius nomine, ad quod ordinatur. Materia enim illa non poterat niſi quodam modo balbutiendo deſcribi; quia nedum ſermo perfectè non explicat, ſed etiam intellectus in imaginatione deficit, vnde & illud, quod ſubiungit de permiſtione, non eſt dictum, quaſi ibi fuerit vera oppoſitarum formarũ coniunctio, ſed quia non erat ibi perfectè formarum diſtinctio. D. Bon. Materia prima ſecundùm. D. Bon. fuit creata ſub quadã forma incompleta, quæ eſſet diſpoſitio ad vlteriores formas recipiendas, & præcedebat omnes formas, quæ dant eſſe completum, etiam elementares.

ad 10 Non fecit Deus aquas congregari ſicut prius exiſtentes, ſed ſicut dans eis formam, & naturã, per quam ſint aptæ natæ in vnum locum concurrere. D. Bon.

ad 11 Patet ex dictis ſolutio.

Cùm dicitur, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: ba
ad 12 ibi aqua non ſtat pro elemento aquæ, ſed pro tota illa materia informi, ſuper quam ferebatur Spiritus domini, ſicut fertur voluntas artificis ſuper aliquam rem fiendã; vel quia 8

quod

quòd facit tale, dicitur eſſe tale, vt ignis dicitur piger, quia facit hominem pigrum; Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, quia faciebat illas aquas ferri, & circumuolui. Ad formam arguendi dicendum, quòd elementum aquæ non tendebat tunc in ſuum locum: quia aquæ illæ erant raræ factæ, & nebuloſæ; ſecundùm quem modum videmus aquas eleuari, & tendere in altum. Aegidi.

Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemet ipſo ſit ſuper terram, & factum eſt ità.

ARGVMENTA.

1 ANimantia formata de terra pertinet ad ſeparatum diem, ergo & germinatio plantarum, non ergo eodem die, quo apparuit terra; debuit deſcribi germinatio plantarum. Deinde, ſicut in prima die dicitur, fiat, & factum eſt, & vidit Deus, quod eſſet bonũ, in alijs diebus per æquipollentiam, præterquam in ſecundo: ità & hic dicitur, Germinet terra, & poſt, dicitur: Et factum eſt ità, & vidit Deus quod eſſet bonum, ergo videtur, quòd germinatio plantarum ad vnum diem ſeparatum pertineat. Fortè dicetur, quòd iſte ornatus ad eundem diem pertineat: quia herbæ, & arbores fixæ ſunt radicibus: & ità connumerantur cum terra: non ſic autem de animantibus, quæ facta ſunt ſexto die, vel quinto die: ſed obijcitur in contrarium per ornatum factum quarto die. Sol enim, & luna, & ſidera facta ſunt in quarto die, & pertinent ad ornatum firmamenti, & fixa ſunt in firmamento, ſicut dicunt philoſophi, ergo per prædictam rationem deberent in ſecundo die cum firmamento com-

computari, quod tamen non fit, ergo hæc non eſt ratio propter quam arbores, & herbæ ſub vno die cum terra computantur. Alex. 2. p. q. 51. m. 2.

2 Dicit Scriptura ſecundùm aliam tranſlationem, Germinet terra herbã pabuli. Similiter, lignum faciens fructum ſecundum genus ſuum. ergo ſpinę, & arbores infructuoſæ, tunc non fuerunt productę. Alex. ibi m. 3.

3 Plantæ habent vitam, ſicut & animalia, ſed productio animalium non ponitur inter opera diſtinctionis, ſed pertinet ad opus ornatus, ergo nec productio plantarũ commemorari debuit in tertia die, quę pertinet ad opus diſtinctionis. D.Tho. 1. p. q. 69. a. 2. arg. 1.

4 Sicut plantæ adhærent terrę, ità etiam lapides, & mineralia, & tamen non fit mentio de eis in terræ formatione. ergo nec plantæ fieri debuerunt tertia die. D. Tho. ibi.

5 Elementis non debet aliquid ſubtrahi, quod ad eorum ornatum pertinet, ſed plantis, & animalibus elementa ornari dicuntur, ergo non auferentur in illa mundi innouatione. D. Tho. 4. Sent. d. 48. q. 2. a. 5. arg. 1.

6 Vniuerſum remanebit imperfectum, ſi aliquid, quod eſt de eius perfectione, auferatur: ſed ſpecies animaliũ, & plantarum, & mineralium ſunt de perfectione vniuerſi. Cùm igitur non debeat dici, quòd mundus in ſua innouatione imperfectus remaneat: videtur, quòd oporteat dicere animalia, & plantas remanere. D. Tho. eo loci.

7 Animalia, & plantę habent nobiliorem formam, quàm ipſa elementa: ſed mundus in illa finali innouatione in melius mutabitur, ergo magis debent remanere animalia, & plantæ, quàm elementa, cùm ſint nobiliora. D. Tho. eo loci.

8 Firmamentum prius factum eſt, quàm terra, ergo prius debuit ornari, quàm terra. D. Bon. 2. d. 14. cir. litt. dub 2.

9 Omnia creata primò producta ſunt ſecundùm rationes ſeminales, vt de herbis, & arboribus dicitur Gen. 1. Protulit terra herbam virentem & c. habens vnumquodq; ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Gratia autem eſt ſemen operatio num

num meritoriarum, ſicut ſemen effectuum naturaliũ. Ergò ſicut ſecũdùm Auguſt.ſtatim corporalibus rebus in ſua creatione inditæ ſunt rationes ſeminales effectuũ naturaliũ: Ita etiã naturæ ſpirituali indita eſt gratia in creatione ad operationes meritorias. Gabriel Biel. 2. d. 14. quęſt. vnic. a. 2.

EXPOSITIO.

SENTIT Auguſtin. quando Dixit Deus, Germinet terra, &c. ex hoc verbò non fuiſſe productas herbas, neque plantas: ſed collatam terrę virtutem producendi herbas, & plantas: quod probat per litteram Gen. c. 2. vbi dicitur. Iſtæ ſunt generationes cęli, & terræ, quando creata ſunt, in die, quo fecit Deus cęlum, & terram, & omne virgultum, antequam oriretur in terra, & omnem herbam regionis priuſquam germinaret. Si autem factum eſt virgultum antequam oriretur in terra, & eſt facta herba regionis, priuſquam germinaret terra, non ergo herbæ, & virgulta fuerunt facta ſecundùm ſe, quia nondum taliá fuerunt orta in terra, ſed facta fuerunt talia, quia data fuit terrę vis germinandi, & vis producendi ea. Communis tamen ſanctorum opinio eſt, quòd tertia die in propria formá fuerũt factę herbæ, & plantæ, ſiue arbores cum folijs, & fructibus, quod concordat cum littera. Quia plantauerat Deus paradiſum à principio, & ibi poſuit hominem, quem formauerat, & dixit, quòd de omni ligno comederet, pręterquam &c. Ergo tunc ligna, ſiue arbores iam habebant fructus, quia non comeduntur ligna in ſe, ſed comeduntur fructus eorum. Et ſi aliqua ligna comeduntur, vt Cinnamomum, hoc eſt, magis in via medicinę, quàm in via cibi. Dicimus enim, quòd ſecundùm rationes ſeminales, prout terra habet virtutes producendi arbores, vt plurimùm plantę, & arbores ſtant per plures annos, antequam producant fructus. Poſſumus ergo hoc modo ſaluare litteram Geneſis, dicendo, quòd vtrunque factum fuit tertia die, videlicet, quòd fuerunt productæ arbores cum folijs, & fructibus per rationes

obedientiales ad mandatum Dei, qui eſt agens ſupernaturale, cui obedit natura ſecundùm ſuam voluntatem. Et in initio fuit data vis terræ ſecundùm rationes ſeminales, vt continuaret ſe in productione herbarum, & plantarum. Fecit ergo Deus omne virgultum, & omnes arbores cum folijs, & fructibus per rationes obedientiales, antequã orirentur in terra per rationes ſeminales. Antequam ergo terra germinaret per vim ſibi naturaliter innatam ad producendum herbas, & plantas naturaliter, fuerunt virtute diuina hęc producta ſupernaturaliter. Sicut ergo Deus fecit aues, & animalia, & Dixit, Creſcite, & multiplicamini, & dedit eis virtutem ſe propagandi, ſic fecit herbas, & plantas, & dedit eis virtutem germinandi, & producendi ipſas. In operibus enim illorum ſex dierum tota ratio facti fuit potentia facientis. Nunc enim non fit equus, niſi quia generatur ab equo, ſed tunc prius factus fuit equus, quàm generaretur ab equo, vel generaret equum: quia non per generationem equi, ſed per Verbum diuinum factus fuit primus equus. Sic etiam prius quàm germinaret terra per rationes ſeminales, vt modò germinat, fuerunt factæ plantę per rationes obedientiales, vt nunc diximus. Aduertendum tamen, quòd rationes ſeminales, per quas producuntur animalia, & plantæ, & herbę, quantùm ad aliquid ſunt ſimiles, ſed quantùm ad multa valde diſſimiles. Similes, quia ſicut in animalibus aliqua fiunt per generationem, & à ſimili, & aliqua ex putrefactione, abſque eò, quòd pręcedat ſimile, ſic in ijs, quæ generantur ex terra, aliqua fiunt ex ſimili pręcedente, vt frumentum, aliqua ex ſola putrefactione terræ. Diſſimiles, quoniam in natura animaliũ eſt ſolus vnus modus communicandi naturam, propter quod ea, quæ naſcuntur ex putrefactione, nunquam naſcuntur ex ſemine: mures enim ex putrefactione geniti nunquam generant. Propter hanc quoque determinationem omne animal generatum ex commiſtione animalium diuerſarum ſpecierũ, vt mulus, vel mula, qui generantur ex aſino, & equa, de neceſſitate ſunt ſteriles.

Mu-

Mulus nunquam generat, & nunquam mula concipit, vel portat in ventre. Nam ſi mulus generaret, vel generaret mulum, & tunc fieret mulus dupliciter ab aſino, & mulo, quod animalium natura non patitur, vel generaret non mulum, & tunc non aſſimilaret ſibi paſſum, quod eſt contrà naturam agentium. Sed in plantis non ſic: Videmus enim in antiquis edificijs, quòd ex putrefactione cæmenti generatur abſynthium, ex quo poteſt generari aliud abſynthium. Ex tali enim putrefactione generantur quædam herbæ, quæ vocantur rutæ, quę faciunt ſemina, ex quibus poſſunt oriri alię rutę. Prętereà, in animalibus generatum ex ſemine non fit niſi ex ſemine determinato, vt ex commiſtione maris, & fœminæ: & ea, quę generantur ex putrefactione non fiunt niſi ex determinata putrefactione: Sed in herbis, & plantis eſt multiplex modus productionis, & multiplex eſt in eis ratio ſeminalis. In vna enim, & eadem planta eſt ratio ſeminalis in radice, ramo, & ſemine, vt apparet in vite. Quòd ſiue ponas radicem vitis ſub terra, producet palmites, & generabit vitem, ſiue ponas ramos vitis ſine radice, ſiue ponas ſemen, & grana, quę ſunt in vuis, illud idem fiet. Aegid. 2.d. 14.q.2.a.2. Quę adducta ſunt contrà Aug. opinionem nihil concludunt; Nam ſecundum ipſum omnia opera ſex dierum in eodem inſtanti temporis ſimul ſunt facta, vel in actu, vel in potentia ſecundùm rationes cauſſales, vt videlicet ex materia prę exiſtenti, poſteà fieri poſſent, vel per verbum, vel per virtutes actiuas in ipſa creatione creaturæ impreſſas. In actu corpora cęleſtia, elementa. In potentia, hoc eſt, in rationibus ſeminalibus, animalia, plantæ, homines, quę omnia poſtmodum in naturis proprijs producta ſunt, illo opere, quo poſt ſenarium illorum dierum numerū Deus naturam prius conditam adminiſtrat. D. Thō. de pot. Dei. q. 4. a.2. ad 22. Ità quòd nunquam fuerunt animalia actu, quin etiam eſſent arbores cum folijs, & fructibus. Neq; fuit homo in actu, quin quoq; ligna paradiſi haberent folia, & fructus. De quo inferiùs.

CONCLVSIONES.

1 MVNDVS *fuit creatus in Vere.*] Probatio breuis, eo enim tempore hærbę virentes apparere ſolent. Alb. 2.p. q. 56. m. 3. Quidam alij colligunt, quòd fuit creatus in Septembri, quia tūc eſt tempus fructuum. Sed neque hoc, neq; illud efficaciter colligi poteſt. Quoniam Scriptura ait, Germinet terra, non hæc, vel illa terræ pars, ſed tota, vbi tamen, & quomodo capax ab ipſo facta fuerit, ac iuxtà partium illius ſitum, & cælorum poſitiones. Quoniam ergo, dum nobis eſt ver, alio loco eſt autumnus; ſicut cùm nobis eſt ęſtas, alijs riget hyems, non licet efficaciter colligere, quòd in Martio, vel in Septembri creatus ſit mundus. Itaque diuino priuilegio tota terra confeſtim arbores produxit pomis onuſtas, hac lege, vt poſthac vnaquæq; pro natura ſua, & ſitus, & cæli clementia pareret. De hac re copioſior ſermo erit, Exod. 12. ſuper illud. Menſis iſte principium menſium.

2 ¶ *Elementorum diſpoſitio, & ordo non eſt à cælo, ſed immediatè à Deo.*] Tenenda ſunt rectæ rationi conuenientia, vt potè quòd à Deo omnia viſibilia, & inuiſibilia immediate creata ſunt, diſpoſita, & ordinata in prima rerum creatione, ſecundum formam in Geneſi traditam. Quod etiam rationabilius eſt dicere etiam volenti ponere mundum ſemper fuiſſe cum Deo, & ab ęterno: non ponendo mundū productum a Deo neceſſitate naturæ ſuæ, & eſſentiæ, ſed voluntatis libertate, & diſpotione ſuæ ſapientię: quę rationem artis vnius habet, quæ, vna ſimplex exiſtens, ratio eſt omnium partium mundi tanquam vnius artificiati, licet ſecundùm diuerſas rationes in ipſo diuerſarum partium: Ità quòd, nō obſtāte eius vnitate, & ſimplicitate, plura poſſunt, & ſimul procedere ab ipſo immediatè: etiam poſitò, quòd mundùm producat naturali neceſſitate, quia de ratione artis, ſecundùm quòd eſt ars, non eſt quòd deliberet, vt habetur

tur in fine 2. Phy. Sic ergo videtur dicendum ad quæſtionẽ, Quòd elementorum diſpoſitio, & ordo nõ eſt à Cælo, ſed immediatè à Deo, ſiue in primo inſtanti creationis mundi, ſiue per dierum interualla, vt narrat Scriptura Gen. Vnde ne occaſionem poſſet accipere humana temeritas, ſi Scriptura narraret primò factum cęlum, & deinde elementa, pronunciat ſimul ea facta: cùm dicit, In principio creauit Deus Cælum, & terram, nomine terrę naturam omnium elementorum explicando. Secundùm hunc enim modum dicit Ambros. in Hexam. Scriptura deſcribit tertio die facta terræ naſcentia, cùm ſol luna, & ſtellę legantur factę die quarto: ne ſi prius Sol, luna, & ſtellę, per quas creſcunt terræ naſcentia, facta deſcriberentur, illis terrę naſcentium procreatio poſſet aſcribi. Doct. ſolem. Quolib. 6. in calce. Et certò magis rationabilia meditati fuiſſent philoſophi, ponentes etiam mundum æternum, & Deum agere de neceſſitate naturæ; ſi dixiſſent omnia à Deo creata, fuiſſe immediatè diſpoſita, & ordinata ſecundùm formam in Gen. traditam, præcipuè ſecundum expoſitionem Auguſt. quam dicendo, vti dixit Auic. quòd ſcilicet Deus intelligendo ſe produxit intelligentiam primam: in qua, quia non eſt ſuum eſſe, ex neceſſitate incidit compoſitio potentię, & actus: Vnde poſteà ipſa prima intelligentia, inquantum intelligit cauſſam primam, produxit ſecundam intelligentiam, in quantũ autem intelligit ſecundùm quod eſt in potentia, produxit corpus cæli, & ſic deinceps procedendo. Vel vt dixerunt quidam alij, ſcilicet, quòd cęlum debet habere aliquod corpus intra ſe, circà quod voluitur, & ex eo quòd per motum ſuum illud conſtringit, ſequitur calefactio, intantùm quòd conuertitur in ignem. Quod autem remotiſſimum eſt ab eo, remanet quietum accedens ad frigiditatem, & ſpiſſitudinem, & eſt terra. Quod verò ſequitur ignem eſt calidum, ſed minus quam ignis ſit, & quod ſequitur terram eſt ſpiſſum, ſed minus quàm terra, & hæc eſt cauſſa eſſendi elementa ab orbe. Sed hęc figmenta ſunt.

3 ¶ *In materia vnius elementi non eſt potentia actiua ſibi naturaliter coaptata ad formam alterius elementi.*] Gen. 1. non dicitur eſſe ſemen, niſi in viuentibus aliqua vita: ergo videtur, quòd in materia rerum non viuentium nō ſit ſemen ad formam aliā, ſed vis actiua in materia reſpectu formę introducendę vis ſeminalis eſt: ergo in materia elementorum, cùm non viuant, non eſt aliqua vis actiua reſpectu formę introducendæ. Sicut gratia verbi dicimus quòd in grano eſt potentia actiua ſibi naturaliter coaptata ad formā talis plantæ, de qua iterum oritur ſimile granum: & ſicut dicimus, quòd in ſemine equi eſt virtus actiua ſibi naturaliter coaptata ad formam equi: ſic enim loquendo de potentia actiua, non inuenitur niſi in ſeminibus, & in ijs, de quibus dicitur Geneſ. 1. quòd habent in ſe ſementem generis ſui. Vnde ſi circumſcriberetur omnis forma ſubſtantialis à materia: non remaneret aliquid actiuum in ipſa ad aliquam formam determinatam. In materia tamen elementorum ſaltem in confinijs ſuis eſt potentia actiua ad formā alterius elementi, non tamen illi elemento naturaliter coaptata, ſed de potentia materiæ eius ab alio elemento educta cùm aliquo gradu formæ ſubſtantialis alterius elementi. Elementa enim in confinijs ſuis non ſunt pura: Vnum enim in alio inchoauit formam ſuam per mutuam actionem, & paſſionem, quę eſt in eis. Vnde in prima factione ſuas habuerunt formas completas: nec credo, quòd in vno eſſet potentia actiua ad formam alterius, ſed ſtatim poſteà per mutuam actionem, & paſſionem inchoauit vnum in alio formam ſuam, ſaltem in confinijs ſuis. Ric. 2. d. 14. a. 2. q. 3. Et diſt. 18. q. 2. diſtinguit de ratione ſeminali propriè & communiter acceptâ, propriè eſt vis actiua, & non reperitur niſi in viuentibus aliqua vita, vel quæ vitam habuerunt, vel ex re viuente producta ſunt, quia de ſolis viuentibus dicitur Gen. 1. Quòd habent in ſe ſementem generis ſui, & ratio ſeminalis, propriè loquendo, non eſt niſi in ſemine. Communiter verò dicitur etiam de principio purè paſſibili, tranſmutabili in formam educibilem

per naturam de potentia materiæ,& ſic in materia vnius elementi eſt ratio ſeminalis ad formam alterius elementi, & in elementis ad ea, quę naturaliter generantur ex ipſis. Et ſecundùm hunc ſenſum quandoque Auguſtinus loquitur de ratione ſeminali. Hęc ille. De hoc in ſequenti concluſione.

4 ¶ *Rationes ſeminales non ſunt virtutes actiuæ, & paſſiuæ rerum.*] Quidam dixerunt, quòd rationes ſeminales ſunt virtutes actiuæ, & paſſiuæ in rebus, per quas producuntur naturales effectus. Sed nec iſtud ſufficit, quia antè fuerunt virtutes actiuæ, & paſſiuæ, quàm eſſent rationes ſeminales, & erunt virtutes actiuæ, & paſſiuæ, poſtquam eſſe deſinent rationes ſeminales. Nam prius fuerunt elementa: terra, aqua &c. cum quibus fuerunt ſuæ virtutes actiuę,& paſſiuæ, quam eſſent rationes ſeminales. Nunquam enim fuit ignis ſine ſua virtute actiua, quę eſt caliditas, & ſine ſua virtute paſſiua, quę eſt ſiccitas. Quod etiam in alijs elementis ſuo modo habuit veritatem. Virtutes ergo actiuę, & paſſiuę fuerunt antequam eſſent rationes ſeminales. Sed iſtud ante, aliter oportet ponere ſecundùm opinionem aliorũ Sanctorum, & aliter ſecundùm opinionem Auguſtini. Secundùm alios ſanctos, etiam tempore elementa cum ſuis virtutibus actiuis, & paſſiuis præceſſerunt rationes ſeminales. Nam à principio tales rationes fuerunt inditę terrę, & ſeminibus productis ex terra,quantùm ad productionem vegetabilium, quod fuit tertia die, quando dixit Deus. Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen. Sed elementa cum ſuis virtutibus, & cum ſuis formis ſubſtantialibus fuerunt creata prima die, licet haberent quandam indiſtinctionem, & quandam commiſtionem ad inuicem: Sed ſecundùm Auguſtinũ terra præceſſit rationes ſeminales non tempore, ſed origine. Nam ſecundùm eum omnia fuerunt facta ſimul tempore, vel in ſe, vel in rationibus ſeminalibus. Tempore ergo vel origine virtutes actiuæ, & paſſiuę fuerũt ante rationes ſeminales, & erunt poſt rationes ſeminales. Quia poſt reſurrectioné remanebunt elementa cũ ſuis qua-

litatibus, ſed non remanebunt rationes ſeminales, quoniam naturalia agentia, quorum eſt inniti rationibus ſeminalibus, nihil poterunt vlterius producere, vel generare: propter quod non remanebunt rationes ſeminales, quia non erunt vlteriùs generationes aliquę ſecundùm agentia naturalia. Remanebunt autem rationes obedientiales, ſecundùm quas creaturę ſunt ſubiectę Deo, quia ſemper fiet de eis, quod vo let Deus. Quid igitur ſunt rationes, ſeminales? Aptitudi nes quædã, vel habitudines inſitę rebus naturalibus à Deo, ex quibus educuntur naturales effectus, & formæ rerum naturalium per virtutes actiuas, & paſsiuas. Debemus enim imaginari, quòd tanta eſt imbecillitas creaturæ, quòd non ſufficit, Deum creaturas produxiſſe cum virtutibus actiuis, & paſſiuis: ad hoc, vt ex eis fierent naturales effectus, ſed oportuit, quòd Verbo Dei, & virtute eius infunderentur ſubderentur, vel insererentur paſſiua actiuis, & eſſent ex hoc quædam habitudines, & quidam ordines inter actiua, & paſſiua, vt ex mutua actione, & paſſione producerentur naturales effectus. Oportuit ergo, & terræ, & ſeminibus ortis ex terra quantùm ad vegetabilia: & auibus, quantùm ad volatilia: & piſcibus, quantùm ad natatilia: & alijs animalibus quantùm ad greſſibilia, & reptilia iſtos ordines, & iſtas habitudines eſſe inſerta. Quantùm autem ad vegetabilia fuerunt hæc facta tertia die: quando, dixit Deus, Germinet terra. ibi enim fuit quædam benedictio terræ, quantùm ad vegetabilia: ſicut fuit quædam maledictio terræ, poſt peccatum hominis, quando dixit Deus: Maledicta terra in opere tuo. Sed quantùm ad aues, & natatilia fuit quinta die: quando Deus benedixit eis dicens; Creſcite &c. Aues ergo, & piſces erant iam producti, & habebant ſuas virtutes actiuas, & paſſiuas, tamen non ſufficiebant ad ſe mul tiplicandum, niſi, Verbo, & virtute diuina in eis, & in elementis intrà ea, eſſent paſſiua ſubdita actiuis, vt ex hoc reſultarent quidam ordines, & quædam habitudines, vt ex mu tua actione, & paſſione eorum fierent naturales effectus, &

inde

inde multiplicarent ſe aues, & piſces. Et quod fuit factum in auibus & piſcibus quinta die, fuit factum in hominibus, & in alijs animalibus ſexta die. Rationes ergo ſeminales ſunt iſti ordines, & iſtę habitudines inſitæ rebus à Deo ex virtute Dei, & ex benedictione eius. Propter quod ſicut Philoſophus poſuit tria principia naturæ: Materiam, formam, & priuationem, ità Sancti, & ſpecialiter Auguſtinus poſuit materiam, & formam, & rationem ſeminalem. Cuius dictũ eſt longè melius, quàm dictũ philoſophi. Nam priuatio, vel aptitudo, vel habitudo ſiue ratio ſeminalis idem videntur dicere, ſed alio, & alio modo. Priuatio eſt carentia cũ aptitudine, ſed carentiam dicit ex vi nominis primò, & principaliter, quia idem eſt carere quod priuari. Si autem dicat aptitudinem ad formam, hoc eſt ex conſequenti, Sed ratio ſeminalis ex vi nominis, per ſe, & primò dicit aptitudinẽ ad formam, Si autem poteſt importare carẽtiam formæ, hoc erit ex conſequenti. Cùm ergo carentia, ſecundùm quòd huiuſmodi, non videatur habere rationem principij: aptitudo verò de ſe rationem principij importare videatur, magis congruè locutus eſt Auguſtinus ponens rationẽ ſeminalem eſſe principium naturæ, quã philoſophus ponens tale principium eſſe priuationem. Aegid. 2. d. 18. q. 2. a. 2. Cęterùm ſecundùm. D. Tho. cit. d. a. 2. & 1. p. q. 115. a. 2. Rationes ſeminales ſunt virtutes actiuæ, & paſſiuæ, quæ ſunt principia generationum, & motuum naturalium. Denominationes enim, vt habet philoſophus 3. de anima, conſueuerunt fieri à perfectiori. In tota autem natura corporea perfectiora ſunt corpora viua: Vnde & ipſum nomen naturæ translatum eſt à rebus viuentibus ad omnes res naturales. Nam ipſum nomen Naturæ, vt philoſophus dicit 5. Meth. primò impoſitum fuit ad ſignificandam generationem viuentium, quæ natiuitas dicitur. Et quia viuentia generantur ex principio coniuncto, ſicut fructus ex arbore, & foetus ex matre cui colligatur: conſequenter tractum eſt nomen naturæ ad omne principium motus quod eſt in eo,

quod

quod mouetur. Manifeſtum eſt autem, quòd principium actiuum, & paſſiuum generationis rerum viuentium ſunt ſemina ex quibus viuentia generantur. Et ideo conuenienter Auguſtinus omnes virtutes actiuas, & paſſiuas, quę ſunt principia generationum, & motuum naturalium, ſeminales rationes vocat. Hæc ille in ſum. loc. cit. Et huiuſmodi virtutes actiuę in natura dicuntur rationes, non quòd ſint in materia per modum intentionis, ſed quia ab arte diuina producuntur, & manet in eis ordo, & directio intellectus diuini, ſicut in re artificiata manet directio artificis in finem determinatum. Dicuntur etiam materię inditæ, non quòd prę exiſtant in materia ante aduentum formæ cōpletæ quaſi pertinentes ad eſſentiam materię, vel ad rationem eius; ſecundùm quod eſt materia, ſed per modum, quo etiam formæ completæ in materia eſſe dicuntur. Hæc ille in ſcript. Concordat Dur. cit. d. 18. q. 2. Notandum (inquit) quòd quędam rationes dicuntur primordiales, quædam obedientiales; quædam verò ſeminales. Primordiales ſunt rationes rerum, vt in Deo præexiſtunt, qui res producit per intellectum, ſicut artifex omnium habens omnem ſcientiam. Ratio obedientialis eſt potentia, quę eſt in creatura, vt de ea fiat quicquid contradictionem non implicat, ſicut quod de trunco immediatè fiat vitulus. Et hæc ratio ſeu potentia obedientialis eſt in creatura ſolùm reſpectu Dei, ſecundùm quam Deus facit de qualibet creatura quicquid vult, & ſicut vult. Rationes ſeminales ſunt virtutes actiuę, & paſſiuę collatæ rebus, ſecundùm quas non quodlibet fit ex quolibet, neque quolibet modo, ſed determinatum ex determinato, & determinato modo, & per determinata media: Sicut non ex quocunque fit equus, ſed ex ſemine equi, nec quolibet modo, ſed oportet ſemen prius eſſe molle, poſteà durum, vt dicitur 2. Phyſ. Et quanquam generaliter omnes virtutes actiuæ cum paſſiuis ſibi correſpondentibus dicantur rationes ſeminales (Nā Auguſt. dicit 3. de Trin. quòd omnium, quæ viſibiliter ad oculos noſtros prodeunt, occul

ta

ta quędam ſemina in elementis mundi latent) tamen proprijſſime dicuntur rationes ſeminales eſſe in illis; in quibus ſimile ex ſimili producitur, maximè in viuentibus. Talia enim proprie ex ſemine generantur, & ex virtute actiua, & paſſiua in ijs, tanquã in perfectioribus repertis, tranſlatum eſt nomen rationis ſeminalis ad omnes virtutes naturales actiuas, & paſſiuas. Quicquid ergo producitur præter has rationes ſeminales, ſi tale ſit quod per ſe ſubſiſtat, nec ſit alterius pars, proprijſſimè dicitur creari, vt Angelus. Si autem huiuſmodi fuerit, quod & ſi natum ſit per ſe ſubſiſtere, eſt tamen alterius pars, minus propriè dicitur creari, vt eſt anima intellectiua. (Nam & rationes ſeminales aliqualiter cooperantur ad eſſe eius non abſolutè, & ſimpliciter: ſed ad eſſe in materia, diſponendo materiam. At verò ſi tale ſit, quod nec eſt alterius pars, nec eſt natum per ſe ſubſiſtere, minimè propriè dicitur creari; ſicut eſt de gratia in anima. Forma verò, quę eſt non nata per ſe ſubſiſtere, & producitur ſecundùm rationes ſeminales, propriè dicitur eſſe terminus generationis, & nullo modo dicitur creari, quamuis nihil ſit in materia, quod conuertatur in ipſam. Hęc Dur. Aduertendũ autem, quod inueniuntur & cauſſæ rationales, & ſunt illę ſecundùm quas in natura non eſt; vt ex ipſis fiat aliquid, ſed vt ex ipſis voluntate Dei fieri poſſit: & illę ſunt, quæ fiunt per miraculum: Nihil enim rationabilius eſt, vt dicit Auguſt. quàm quòd creatura creatori obediat in omnem effectum ſuę voluntatis. Alb. 2. p. q. 19. m. 3. a. 2. part. 1. Sed patet, quòd rationes obedientiales, & cauſſæ rationales idẽ ſunt. Inueniuntur quoq; & rationes cauſſales; ſed ipſæ rationes ſeminales ſunt etiam rationes cauſſales, ſicut & ſemen eſt quædam cauſſa. Dicit enim Auguſtinus 3. de Trin. quòd ſicut matres grauidæ ſunt fœtibus, ſic ipſe mundus eſt grauidus cauſſis naſcentium. Sed tamen rationes Ideales, ſiuę primordiales poſſunt dici cauſſales: non autem, propriè loquendo, ſeminales, quia ſemen non eſt principium ſeparatum. In hoc ſenſu dicitur. Præter ratio-

nes

nes ſeminales fiunt miracula, non autem præter cauſſales. D. Tho. 1. p. loco proximè citato in ſolut. quarti. Reperiuntur etiam rationes naturales apud Aegid. vbi ſuprà a. 3. Sed idem eſt ratio ſeminalis generaliter accepta, & ratio naturalis. Cùm verò dicebat Aegidius, Virtutes actiuæ, & paſſiuæ fuerunt antequam rationes ſeminales. Secundùm D. Tho. negandùm eſt, habet enim 2. d. 14. a. 5. Quòd qualitates actiuæ, & paſſiuæ fuerunt elementis tertia die collatæ. Quare autem poſt iudicium elementa ſe ſe non alterabunt, manentibus ipſis in ſuis eſſentijs, & qualitatibus actiuis, & paſſiuis in eſſe completiſſimo, poſteriùs dicetur.

AD ARGVMENTA.

ad 1 RESPONDERI poteſt, vel ſecundùm opinionem illorum, qui dicunt ſidera habere proprium motũ: quam opinionem recitat Auguſtinus; vel ſi fixa ſunt in ſuo orbe, vt dicit philoſophus, diſtinguendum eſt inter fixũ, & fixum. Eſt enim quoddam fixum, quod oritur ex illo, cui eſt infixũ: & eſt aliud fixum, quod factum eſt in illo, cuius eſt ornatus: Primo modo dicitur de herbis, & arboribus: ſecundo modo dicitur de ſideribus. Vnde primo modo dicitur, Germinet terra &c. ſecũdo modo dicitur. Fiãt luminaria &c. Fixũ ergo, quod oritur ex terra, ſicut dicit philoſophus, quòd terra eſt mater herbarũ: cõputatur in eodẽ die cum illa: aliud verò fixum non cõputatur. Et licet dicatur, quòd terra producat reptile: Hæc productio animantium eſt, vt animantia accipiant materiam quodam modo elongatam ab ipſa terra: elementa enim commiſta cum terra ſunt materia animantium: & vltrâ commiſtionem habent quandã aliam permiſtionem. In herbis verò eſt commiſtio, & habent naturam propinquam terrę: hoc autem eſt alterius conſideratio nis. Licet autem dicatur per æquipollentiam: Fecit, & factum eſt, & vidit quòd eſſet bonum: non tamẽ propter hoc debebat dici ſeparatio diei: ſed vnum factum dupliciter approbatur: Terra enim fuit ſub duplici ratione, cum apparuit

ruit, habebat enim propriam naturam, ſecundùm quam dicebatur arida, habebat etiam cum humore commiſtam, ratione cuius germinabat herbas. Et ſic vnum factum dupliciter commendatur. Alex.

ad 2 Auguſtinus contrà Manichæos ità dicit, Ergo dicendum eſt, quòd per peccatum hominis terra maledicta ſit, vt ſpinas pareret, non vt ipſa poenas ſentiret, quæ ſine ſenſu eſt: ſed, vt peccati humani crimen ſemper hominibus ante oculos poneret: quoad monerentur aliquando à peccatis auerti: & ad Dei præcepta conuerti. Herbæ autem venenoſæ ad poenam, vel ad exercitium mortalium creatę ſunt: & hoc totum propter peccatum: quia mortales poſt peccatum facti ſumus. Per infructuoſas verò arbores inſultatur hominibus, vt intelligant, quàm ſit erubeſcendum hominibus ſine operibus bonis in agro Dei eſſe, hoc eſt, in eccleſia: & timeant, ne deſerat illos Deus: quia & ipſi in agris ſuis infructuoſas arbores deſerunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non eſt ſcriptum, quòd terra protulerit, niſi herbam pabuli, & ligna fructuoſa: poſt peccatum verò videmus horrida, & infructuoſa de terra naſci, propter eam credo cauſſam, quam diximus. Poſſet tamen dici aliter, quòd ſpinæ, & habent iucunditatem ratione florum, & fructuum, & habent punctionem. Ratione ergò iucunditatis, & fructuoſitatis poſſunt dici factę tertio die; & ità videtur dicere Dam. Ratione verò punctionis, & infructuoſitatis poſt peccatum ſic ſunt conuerſę. Alex. Cùm dicit Scriptura; Germinet terra &c. lignum faciēs fructum, nomine fructus quędam vtilitas ſignatur. Multæ autem vtilitates ſunt manifeſtæ, vel occultæ omnium, quæ terra radicitùs alit. Poſſumus ergo abſolutè reſpondere: Spinas, & tribulos, & venenoſa terram poſt peccata hominum ad laborem peperiſſe, non quòd alibi ante peccatum naſcerentur, & poſt in agris, quos homo coleret: ſed & prius, & poſteà in eiſdem locis: non tamen prius homini nocuiſſent: Vnde Gen. 3. Pariet tibi, vt ſcilicet tibi naſci incipiant ad la-

borem

borem, quæ ad paſtum tantummodo alijs animalibus anteà naſcebantur, Alb. 2. p.q. 56. in calce. Ante illam maledictionem, ſpinæ, & tribuli producti erant vel virtute, vel actu; ſed non erant producti homini in poenam, vt ſcilicet terra, quam propter cibum coleret, infructuoſa quædam, & noxia germinaret. Vnde dictum eſt, Germinabit tibi. D. Tho. 1.p.q.69. a. 2. ad 2. Tertio die productæ ſunt ſpinæ, quia perfecta fœcunditas tunc data eſt terræ, & nulla herba eſt tam vilis, quæ nō ſit alicuius vtilitatis, & virtutis, & ideo cum alijs virentibus herbis, & lignis fructiferis intelligendū eſt iſta produci, & Scriptura ſub illorum generalitate comprehendit. Et quod obijcitur, quòd generata ſunt in pœnam peccati, Dicendum, quòd ſpinam, & tribulum generari vbi ſeminatur frumentum, hoc eſt in pœnam peccati, & ex maledictione terræ, quæ cùm colitur, vt det fructum, vnde homo ſuſtentetur, potius producit, vnde homo crucietur. Quòd autem in locis multis generetur ſpina, & tribulus, hoc non eſt pœna, ſed natura. D. Bon, 2. d.14.cir.litt. dub. 2. Spinæ, & tribuli poſſunt dici facti à principio: quando fuerunt facta alia, quæ germinantur à terra: per peccatum tamen fuerunt facta ad onus, & ad laborem hominis, vt extirpando eos in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo? Sed quæres, quid fuiſſet ante peccatum de ſpinis, & de tribulis? Ad quod poteſt dupliciter reſponderi. Vno modo ex parte diuinæ prouidentiæ, altero ex parte productionis terræ. Ex parte quidem diuinæ prouidentiæ, quòd ſicut fuiſſet de corpore hominis, ità fuiſſet de eius opere, vt ſicut diuina prouidentia conſeruaſſet corpus hominis à violentijs ſuperuenientibus, vt à leonibus, & ab alijs, quæ poſſent nocere homini: ſic conſeruaſſet opus hominis à ſuperuenientibus impedimentis, vt à tribulis, & ſpinis, & ab alijs herbis impedientibus opus eius. Nam per tribulos, & ſpinas poſſumus intelligere non ſolùm id, quod ſignificant, ſed omnes herbas, quæ nobis inuictis naſcuntur in terra, quā operamur, & impediunt opus noſtrum. Ex parte autem produ

ductionis terræ, quia terra ante peccatũ fuiſſet magis prom pta ad faciendum res proficuas, poſt peccatũ verò fuit magis prompta ad faciendum res nociuas, vt in tantũm poſt peccatum fuerit terra prompta ad faciendum ſpinas, & alia impedientia opus noſtrum, vt vix poſſimus talia extirpare: Fuiſſent ergo iſta ante peccatum, ſed non in tantũ nocumentũm hominis, ſicut poſt peccatum: immo fortè ante peccatum non fuiſſent ad aliquod nocumentum. Aegid. cit. diſt. 14. q. 2. circa finem.

ad 3 Vita in plantis eſt occulta, quia carent locali motu, & ſenſu, quibus inanimatum ab animato maximè diſtinguitur; & ideo, quia immobiliter terræ inhærent, earum productio ponitur quaſi quædam terræ formatio. D. Tho.

ad 4 Moyſes ea tantùm propoſuit, quę in manifeſto apparet, corpora autem mineralia habent generationẽ occultã in viſceribus terrę: Et iterum, non habent manifeſtam diſtinctionem à terra, ſed quædam terræ ſpecies videntur, & ideò de eis mentionem non fecit. D. Tho. Vel fortè metalla, & lapides prætioſi poſt, per operationem ſuperiorum corporum habentium efficaciam in terra, hic prodierunt. Alex. vbi ſupra.

ad 5 Concors eſt Theologorum ſententia, quòd in mundi Innouatione plantæ, animalia, & reliqua mixta non remanebunt, ſicut oſtendetur inferius cap. 9. ſuper illud. Sicut olera virentia dedi vobis omnem carnem. Dicuntur autem eſſe ad ornatum elementorum, inquantum virtutes actiuæ, & paſſiuæ generales, quæ ſunt in elementis, ad ſpeciales actiones contrahuntur: & ideo ſunt ad ornatum elementorum in ſtatu actionis, & paſſionis: Sed hic ſtatus in elementis non remanebit. Vnde nec animalia, nec plantas remanere oportet. D. Tho.

ad 6 Sicut perfectio hominis multipliciter aſſignatur; eſt enim perfectio naturæ conditæ, & naturæ glorificatę: ita etiam perfectio vniuerſi eſt duplex. Vna ſecundùm ſtatum huius mutabilitatis, altera ſecundum ſtatũ futuræ nouitatis. Plan

tæ autem & animalia ſunt de perfectione eius ſecundum ſtatum iſtum: non autem ſecundùm ſtatũ nouitatis illius: cùm ordinem ad eam non habeant: vt potè corruptibilia ſecundùm totum, & ſecundùm partem, & ex parte materiæ, quæ formam amittit; & ex parte formæ, quæ actu non manet. D. Tho.

ad 7 Quamuis animalia, & plantę quantum ad quædam alia ſint nobiliora, quàm ipſa elementa, tamen quantùm ad ordinem incorruptiònis, elementa ſunt nobiliora. Sunt enim incorruptibilia ſecundum totum, licet ſint corruptibilia ſecundùm partes. D. Tho.

ad 8 Scriptura ordinatè exprimit, Deus ordinatiſſimè fecit, dum eodem die, quo terra producta eſt, ex ea herbas, & ligna prodire fecit, Tum propter erroris remotionem, vt dicit Baſil. ne crederetur, quòd ſol eſſet cauſſa principalis terræ naſcentium, ſicut dicit philoſophus, quòd terra eſt mater plantarum, & ſol pater. Tum quia plantæ, & herbę ſunt quaſi connaturales terrę, dum ei ſunt radicitus affixæ, trahendo ex ipſa ſomentum, & originem. D. Bon.

ad 9 De hac quæſtione, vtrùm Angeli ſint in gratia creati, duæ ſunt probabiles opiniones. Prima eſt Mag. 2. d. 4. & 5. Angelorum gratia gratum faciens non eſt eis concreata. Vnde per id, quòd in creatione eis fuit collatum, ſtare poterant, non autem proficere, adeò quod in creatione fuerunt boni, id eſt, non mali, iuſti, id eſt, Innocentes, & perfecti quodam modo, alio verò modo imperfecti; Perfectum nanque tribus modis dicitur, ſecundùm tēpus, & ſecundùm naturam, & vniuerſaliter perfectum. Magiſtro adhæret Alex. 2. p. q. 19. m. 2. Alb. 2. p. q. 18. quamuis in lib. de Coęuis opinetur oppoſitum, vt refert Dio. d. 4. q. 2. Henric. quolib. 8. q. 10. D. Bon. cit. d. 4. q. 3. Aegid. ead. q. 1. a. 4. Ric. ead. a. 2. q. 2. Argent. ead. ar. 2. Altera eſt Præpoſitiui, nempè, Angeli fuerunt in gratia gratum faciente creati. Hanc ſequitur. D. Tho. 1. p. q. 62. ar. 3. Dur. cit. d. q. 2. Vldaricus apud Dio. Neutra poteſt efficaci ratione comprobari. Sanè crea-

creaturarum principium ex ſimplici Creatoris voluntate de pendet, quam ratione inueſtigare impoſſibile eſt. Vnde Biel. inquit, quòd vtraq; opinio probabiliter teneri poteſt ſine pertinacia, & temeritate. Quocirca argumentũ bifariam diluit. Primò, eſtò quòd gratia comparetur ſemini, non tamen eſt par ratio; quia effectus naturalis non eſt laudabilis, ideo non præexigit diſpoſitionem laudabilem in agendo. Sed tam gloria, quàm gratia laudabiles ſunt, & habentem eas reddunt laudabilem. Exigunt itaq; in ſubiecto diſpoſitionem laudabilem: quę non poteſt eſſe, niſi motus liberi arbitrij, quia inuoluntarijs neq; laudamur, neq; vituperamur. Poſſet ſecundò dici, quòd motus liberi arbitrij magis habet rationem ſeminis, & gratia virtutis viuificantis, ſiue incrementum dantis, iuxtà illud, Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. 1. Cho. 3. Plantare, ſeminare eſt. Quod ſibi Apoſtol. attribuit, quia per prædicationem, quod opus eſt liberi arbitrij (opus dico imperatum) ſemen fidei iecit: ſecundùm illud luc. 8. Semen eſt verbum Dei. Sed gratia viuificat, & ſemen creſcere facit, quod ſolus Deus tribuit.Ità 2. Cho. 9. Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & Galat. 6. Quæ ſeminauerit homo, hęc & metet. Vbiq; ſemen capitur pro actu liberi arbitrij. Hoc autem ſemen potentialiter concreauit angelis: quia dedit liberum arbitrium, per quod poterant ſe conuertere ad Deum, & ſic recipere gratiam Dei. Secundùm illud Hierem. 15. Si conuerteris, conuertam te. & Iac. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Hęc ille. De hoc redibit ſermo 1. Ioa. 3. ſuper illud. Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius manet in eo. Ex qua auctoritate colligit D. Tho. loco proximè citato, quòd gratia gratum faciens comparatur ad beatitudinem, ſicut ratio ſeminalis in natura ad effectum naturalem.

Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.

ARGVMENTA.

1 ANte terra illuminata fuit: aliter enim lucem non vocaſſet diem, & tenebras noctem: & cùm hoc opus factum fuerit in prima diſtinctionis die, videtur quòd ſuperfluè ponatur in die quarto. Alb. 2. p. q. 59.

2 Nec luna, nec ſol ſunt in firmamento, nã firmamentum dicitur cælum ſtellatum, & in illo nec eſt ſol, nec luna. ergo falsò dicitur, vt luceant in firmamento cæli. Alb. ibi.

3 Luminaria ſunt corpora incorruptibilia naturaliter: ergo eorum materia non poteſt eſſe abſq; formis eorum: ſed eorũ materia producta eſt in opere creationis ante omnem diem: ergo & eorum formæ. Non ergo ſunt facta quarto die. D. Tho. 1. p. q. 70. a. 1. arg. 1.

4 Luminaria ſunt quaſi vaſa luminis. Sed lux eſt facta primá die, ergo luminaria fieri debuerunt prima die, & non quarta. D. Tho. ibi arg. 2.

5 Sicut plantæ fixæ ſunt in terra, ita luminaria fixa ſunt in firmamento. Vnde ſcriptura dicit, quòd poſuit ea in firmamento, ſed productio plantarum ſimul deſcribitur cum formatione terrę, cui inhęrent. Ergo & productio luminarium ſimul debuit poni ſecunda die cum productione firmamenti. D. Tho. ibi arg. 3.

6 Sol, & luna, & alia luminaria ſunt cauſſę plantarum, ſed naturali ordine cauſſa pręcedit effectum. Ergo luminaria non debuerunt fieri quarta die, ſed tertia, vel antè. D. Tho. ibi arg. 4.

7 Dicitur enim Hier. 10. A ſignis cæli nolite metuere, quę gentes timent. Non ergo luminaria in ſigna facta ſunt. D. ibi a. 2. arg. 1.

8 Deinde, Signum contrà cauſſam diuiditur, ſed luminaria ſunt cauſſa eorum, quę hic aguntur, ergo non ſigna. D. Tho. ibi arg. 2.

9 Diſtinctio temporum, & dierum incepit à primordio. Non ergo facta ſunt luminaria in tempora, dies, & annos, id eſt, in horum diſtinctionem. D. Tho. ibi arg. 3.

10 Nihil fit propter vilius ſe; quia finis eſt melior ijs, quæ ſunt ad finem. Sed luminaria ſunt meliora, quàm terra. Non ergo facta ſunt vt illuminent terram. D. Tho. ibi arg. 4.

11 Secundùm motum cæleſtium corporum, temporum curſus deſignantur, ſecundùm illud Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cæli, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos. Sic ergo, mutato curſu cęleſtium corporum, mutatur temporum diſtinctio, & ordo. Sed non legitur hoc perceptum ab Aſtrologis, qui contẽplantur ſidera, & computant menſes, vt dicitur Iſai. 47. Ergo videtur, quòd per Chriſtum non fuerit aliqua mutatio facta circà curſum cæleſtium corporum. D. Tho. 3. p. q. 44. a. 2. arg. 2.

12 Secundùm ordinem naturæ ſol, & luna, & ſtellæ priores ſunt plantis, cùm manifeſtè ſint cauſſæ plantarum, & tamen poſterius commemorantur facta luminaria cæli, quàm plantę, ergo non eſt obſeruatus ordo naturę: cuius oppoſitum docet Auguſtinus. D. Tho. de pot. Dei q. 4. a. 2. arg. 30.

13 Si ſunt in ſigna, non videntur peccare, qui per illa proſticant futura. & ſi in tempora, tunc videtur quod ante ſolem & lunam tempora non fuerunt. Et ſi in tempora. Quæritur, quare pluraliter dicta ſint tempora, cum non ſit niſi vnum tempus. D. Bon. 2. d. 14. cir. litt.

14 Sicut enim ſunt in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ità in menſes, & ſeptimanas, ergo & hoc debuit dici. Si dicas, quòd clauduntur in ijs duobus, ſcilicet dies, & annos, hoc non ſoluit, cum ſimiliter dies, & anni claudi poſ-

ſunt in hoc, quod dicit ſigna, & tempora. D. Bon. ibi.

15 Dicitur enim Gen. 1. Sint in ſigna, & tempora. Sed aliud eſt ſignũ, & aliud cauſſa ſigni: Si igitur luminaria nihil poſſunt, niſi ſecundùm quod Deus inſtituit, videtur, quòd nihil habeant in ijs inferioribus efficere, ſed ſolùm ſignare. D. Bon. cit. d. a. 4. q. 2.

16 Tempus fuit factum quarta die, iuxtà illud Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cęli, & diuidant diem à nocte, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos. Sed hoc fuit quarta die, quia ſequitur in littera, & factum eſt veſpere, & mane dies quartus. Non ergo tempus eſt vnum ex quatuor Coæuis. Aegid. 2. d. 12. q. 2. a. 2.

17 Auguſtinus 12. de Ciuit. Dei c. 15. inquit, Dimenſiones temporalium ſpatiorum, quæ vſitatè propriè dicuntur tempora, manifeſtũ eſt, quòd à motu ſiderũ coeperunt. Sed creatura angelica, & çuũ eius menſura, creata fuerant antè ſidera, quia vt habetur Gen. 1. Sidera creata fuerunt quarta die. Ergo Aeuum creatum fuit ante tempus. Ric. 2. d. 2. a. 2. q. 2.

18 Fiant luminaria in firmamento cęli, non dixit in firmamentis, ergò videtur, quòd non ſit niſi vnum firmamentum, quod non videretur verum, ſi ſphærę cæleſtes eſſent contiguæ, quia quælibet illarum poſſet dici firmamentum. Ric. eod. d. 14. a. 3. q. 1.

19 Ceſſante fine, debent ceſſare ea, quę ſunt ad finem, ſed omnia luminaria cęli facta ſunt finaliter, vt diuidant diem, & noctem, vt habetur Gen. 1. ergò ceſſante illo fine luminaria cæli definerent: ſed illa nunquam deſinent, ergo nec ille finis, propter quem ſunt in eſſe, ſed ille finis non poteſt eſſe niſi per motum, ergo motus non ceſſabit. Dur. 4. d. 48. q. 3.

EXPOSITIO.

FIANT.) lux illa, quæ primo die facta eſt, non deſijt eſſe, ſed magis videtur conuerſa in luminaria: vtquę prius diſtinguebat diem, ac noctem, tunc ampliori modo vſui accomodata: lumen ſit perfectius, & diſtinctius. Vnde

de rectè dictum eſt, quòd luminaria ſunt facta in firmamento, & non ex firmamento: ſicut dicitur in ſequentibus; Producant aquę, producat terra. Et eſt modus talis loquendi, quemadmodum ſi poneretur gemma pretioſa in annulo ad decorem annuli: Vnde infrà ſequitur, & poſuit ea in firmamento cęli. Firmamentum hic accipitur pro toto corpore, in quo ſunt ſtellæ fixæ: & quæ dicuntur erraticæ. Vnde continet hic ſeptem ſphæras, ſecundùm philoſophos, ſcilicet cælum ſtellatum, & cælos, in quibus ſunt ſeptem planetæ. Dictū eſt, in firmamento cæli, & non in cęlo, ad deſignandum illam partem cęli, quæ eſt ſuprà cęlum æthereum, id eſt, in illa parte, quæ diuidit aquas inferiores, & ſuperiores. (luminaria) omnia ſigna, quæ ſunt in cęlo, ſunt, vel principalia, quæ ſunt in Zodiaco: vel vergentia ad auſtrū, vel aquilonem, & omnia determinantur per ſtellas: & vocantur imagines ex plurium ſtellarum coniunctione. Dicuntur autem ſigna, quia aliquā ſignificationem præbent ſuper iſta inferiora: Similiter quinq; planetae habent ſignificationem aliquam ſecundùm differentiam ſui motus, vel aſpectus ſuper iſta inferiora: principaliter verò Sol, & luna ſunt in ſigna. Et ideo in alia tranſlatione dicitur, Fiant ſidera in firmamento cęli: vt per ſidera, hęc omnia communiter intelligantur. In noſtra vero tranſlatione dicitur, Fiant luminaria: & etiam commune eſt, licęt magis ſpecificet de ſole, & luna. (In tempora, & dies). Tempora pręceſſerunt, & dies, ſed non erant luminaria, quæ ita manifeſtè diſcernerent dies prius, ſicut tunc. Tempora poſſunt dici, Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems, quę per motum ſolis diſcernuntur, quæ prius non diſcernebantur. Et hoc dicit Ioa. Dam. Similiter ſolſtitium æſtiuale, & hyemale, & Aequinoctium vernale, & autumnale per hoc diſtinguntur: Dies etiam licet prius haberent diſtinctionem, non tamen quam modò habent. Modò enim longiores ſunt dies in ęſtate, & breuiores noctes: in hyeme verò, è conuerſo; Et ideo rectè dixit; In tempora, & dies. De anno autem patet, quòd eſt annus

ſolaris, & annus lunaris: qui determinantur ſecundùm motum luminariũ ſolis, & lunæ. Vnde Auguſtinus contrà Manich. In ſigna, & tempora dictum eſt: vt per hæc ſidera tempora diſtinguantur, & ab hominibus dignoſcantur: quia ſi currant tempora, & nullis diſtinguantur articulis, qui articuli per ſiderum curſus denotantur: Poſſunt quidē currere tempora, atque præterire, ſed intelligi, & diſcerni ab hominibus non poſſunt. Sicut horę, quando nubilus dies eſt, tranſeunt quidem, & ſua ſpatia peragunt; ſed diſtingui à nobis, & notari non poſſunt. Alex.2.p.q.52.m.1.& 2.a.2. Duobus modis poſſunt intelligi facta luminaria cæli. Nam vbi debebant eſſe ſtellæ, erant orbes ſpiſſiores, quam vbi non debebant eſſe: ſed fortè non erat tanta ſpiſſitudo, quòd poſſent lucere, ſicut apparet in luna: quia pars illa lunę, vbi eſt macula non lucet. Quod ſecundùm Comment. ideo contingit, quia luna in illa parte non eſtità denſa, nec ità ſpiſſa, ſicut in alijs partibus. Illa ergo pars lunæ, quæ non lucet, denſior eſt ſuo orbe, ſed non eſt ità denſa, ſicut ſunt alię partes, quæ lucent. Talem ergo denſitatem potuerunt habere ſtellę à principio, ſicut eſt macula lunę, quæ non lucet: ſed quando dixit Deus, fiant luminaria in firmamento cęli, tunc ad verbum diuinũ fuerunt magis condenſatæ, & inceperunt lucere. Secundum hoc ergo, ſol fuit tripliciter condenſatus, vt prima condenſatio eſſet ſecundùm condenſationem illam; quam nunc habent luna, & ſtellæ, quæ non lucent niſi per lumen receptum ab alio. Secundò, quando dixit Deus: Fiat lux, Tunc fuit magis condenſata ſubſtantia ſolis, & incepit lucere, ſed antequam fuerit factus inde ſol, fuit adhuc magis tertiò condenſata ſubſtantia ſolis, & incepit fortius lucere. Vnde Auguſtinus inter alias cauſſas, quas aſſignat de factione ſolis. iſta eſt vna, vt augmētaretur fulgor diei. Quòd autem ſol fuerit factus de illa luce prius facta non debemus vertere in dubium, quia hoc clarè dixit Dio.4. de diu. nom. qui loquens de Sole ait, Quòd ipſum ſcilicet corpus ſolare eſt id lumen, ſupple primò factum, quod informe erat, &

quod

quod diuinus Moyſes determinauit prima omnium dierum ab ipſa Trinitate factum. Illa ergo lux, quæ fecit illos tres dies, fuit lux, de qua factus eſt ſol, quæ lux erat informis, id eſt, non erat ità ſplendida, ſicut fuit poſteà, facto inde ſole. Habuit ergo ſol tres denſitates: vnam à principio, ſecundùm quam non lucebat, ſecũdam, quando fuit facta lux. Tertiam accepit, quando fuit factus inde ſol. Alię verò ſtellæ, & luna fortè habuerunt duas denſitates. Vnam à principio, quę fuit macula lunę, quæ illuminata à ſole non ſplendet. Aliam acceperunt quarta die, quando fuerunt facta luminaria in 1
firmamento cæli. Ergo per maiorem denſitatem tam in ſole, quàm in luna, & in alijs ſtellis dicuntur eſſe facta luminaria cęli. Et hic eſt vnus modus dicendi. Poſſumus autem & alium modum adducere magis probabilem, & magis rationabilem, qui eſt, ſaluato textu Scripturæ ſacrę, cuius auctoritatē ſufficienter non poſſumus exprimere, quamuis omnes varietates factæ in cæleſtibus fuerint tantùm ſecundùm rationes obedientiales, prout materia obedit Deo factori ſuo: & non ſecundùm rationes ſeminales, prout materia obedit agentibus naturalibus. Tamen quantò pauciores tales varietates poſſumus ibi ponere, tantò magis videmur ad veritatem accedere. Poſſumus ergo ſcripturam ſacram ſaluare hoc modo. Dicendo, quòd à principio ante omnē diem in illo inſtanti, quando Deus fecit cęlum, & terram; factæ fuerunt ſtellę, & luna in illa denſitate, in qua ſunt modo: ſed non lucebant, quia nec modò lucent, niſi prout recipiunt lumen à ſole. Sol etiam fuit factus in tanta denſitate, in quanta ſunt modo luna, & ſtellæ, ſed non lucebat, quia nec modò luna, nec ſtellę lucent, niſi per lumen receptum ab alio. Et quando dixit Deus, Fiat lux. ſubſtantia ſolis fuit tunc magis condenſata, & incepit lucere, & emittere radios, & fecit illos tres primos dies, vt patet per Dion. ſed illi radij non erant tantę efficacię, quòd luna & ſtellę poſſent lucere per eos, ſed quarta die data eſt tanta denſitas illi materiæ, ex qua conſtabat ſol, quòd intantum fuit augmentatus ſplen-

dor ſolis, quòd huiuſmodi ſplendor pertingens ad lunam, & ſtellas fecit ea ſplendere, & lucere. Ergo quarta die fuerunt facta luminaria cęli, ſol & luna, & ſtellę, quia lumen ſolis fuit augmentatum, vt pertingens ad lunam, & ſtellas, faceret eas lucere, & ſplendere, quę prius non lucebant, nec ſplendebant. Aegid. cit. d. 14. q. 3. a. 1. Reliqua ex ſolutionibus argumentorum petenda.

CONCLVSIONES.

1 OMNIA *luminaria ſunt in vno corpore cõtinuo.*] Etenim textus ſacræ ſcripturæ dicit omnia luminaria in firmamento poſita eſſe. Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cæli. Rurſum, ſi aliqua corpora ſunt diſtincta ab inuicem, ad motum vnius non ſequitur motus alterius, ſed vltima ſphera mouet totum, quod infrà ipſam eſt, ab oriente in occidens: ergo neceſſe eſt totam naturam cæleſtem eſſe vnum corpus continuum. Deinde, ſicut aues ſunt productæ ad ornatum aeris, ità luminaria ad ornatum cæli, ſed vnum eſt corpus aeris, quod ornatur omnibus auibus: ergo pari ratione vnum corpus cęli, quod ornatur omnibus luminaribus. D. Bon. cit. d. 14. a. 4. q. 1. Secundùm communem, ſubdit ille, opinionem loquentium circà hanc materiam, ſiue naturalium, ſiue mathematicorum luminaria locantur in diuerſis orbibus. Hæc autem diſtinctio, ſiue diuerſitas orbium, ſecundùm melius intelligentes, non venit ex diſtinctione formarum, ſicut diſtinguuntur aer, & aqua, nec venit ex diſcontinuatione ſuperficiei, ſicut diſtinguitur lapis à lapide, ſed venit ex diuerſitate motuum. Diuerſitas autem motuum non tollit continuitatem in eo, quod eſt ſubtile, & ad motum habile: ſicut manifeſtè apparet in aqua, quando, ſecundùm diuerſas ſui partes, ad diuerſas mouetur poſitiones, & ſimiliter in aere: ex hoc tamen non diſcontinuantur. Secundùm hanc igitur poſitionem dicendum eſt, luminaria cæli poſita eſſe in pluribus orbibus, in corpore tamẽ vno continuo, quod ſcriptura

ptura vocat nomine firmamenti: & ideo dicit, omnia luminaria poſita eſſe infirmamento cœli. Si dicatur, orbes planetarum mouentur contrarijs motibus ſphæræ vltimę. ergo diſcontinuantur. Dicendum,hoc non habere veritatem,niſi in corpore ſolido: in corpore enim ſubtili, & raro, ſicut eſt aqua, & aer, manifeſtam habet inſtantiam. In ijs enim diſtinctio poteſt venire a virtute motoris, ſalua continuitate mobilis, propter hoc, quod eſt maximè obediens motori; nec habet ſuperficiem ſic terminatã, ſicut habent corpora ſolida. Et illud patet planè,cùm duo venti oppoſiti perflant in aere,ità quòd vnus deſuper, & alter ſubter. Neq; ſequitur,ſi planetæ ſunt in firmamẽto,ergo nullæ ſunt ſtellæ erraticæ: quoniam in eodẽ corpore poſſunt contenta diuerſimodè collocari: ità quòd vnum alligatur inſeparabiliter, reliquum verò minimè. Et ſtellæ dicuntur fixæ,immediatè poſitæ in octaua ſphera, cuius motu mouentur, planetæ verò ſunt in orbibus inferioribus, qui mouentur motu alio, ideo aſpectui noſtro errare videnturr,dum contrà viam ſuperioris orbis incedunt. Hæc D. Bon. Cæterùm, reliqui ferè Theologi omnes tenent corpus cæleſte ſolidum eſſe, neq; ſciſſibile,cùm ſcriptum ſit, Iob 37.Cęli ſolidiſsimi ſunt quaſi ære fuſi. Ratio D. Bon. inferiùs ſoluetur, & quęſtio prædicta examinabitur ſuper Iob loco citato.

2 ¶ *Stellæ agunt in hæc inferiora.*] Gen. I. dicitur de ſtellis, quòd poſitæ ſunt in firmamento,vt ſint in ſigna, & tempora: & non ſolum aeris, & terræ, vt exponit Magiſter. Doct. Subtil.cit.d.14.q.3.Et declarat quo modo habeãt actionem in hæc inferiora,in elementa, in mixta inanimata,&animata irrationabilia,& quærit, ex quo habent talem cauſſalitatem ſtellæ, & orbes ſuper inferiora, quæ quidem cauſſalitas eſt determinata, & neceſſaria, quare non iudicant determinatè Aſtrologi de effectibus eorum: Reſpondet, cauſſa huius eſt: quia non ſciũt perfectè qualitates, & virtutes cęlorum, & ſtellarum concurrentiũ ad talem effectum: quas ſi cognoſcerent, poſſent de ijs iudicare. Et ideo credo quòd Angeli habent

habent harum perfectam notitiam, ità quòd poſſunt de ijs bene iudicare: & quo ad tempus, quando venturi ſunt illi effectus: & quo ad qualitatem eorum, vel quantitatem: & etiam ſi talis effectus eſt impedibilis per aliam ſtellam: poterunt enim ſcire, quòd non eleuabitur niſi tantum de materia, vel ſic, & poſſunt ſcire ſi erunt venti diſſipantes, & in quo ſitu, & vbi diſſipabuntur, & cadent. Hæc verò omnia quia nõ plenè nouerunt Aſtrologi: ideo, nec plenè, nec perfectè, nec ſecurè de ijs poſsunt iudicare: Tot enim cauſſas oportet ibi concurrere, quod nimis eſt difficile iudicare de talibus. Hęc ille. Sed inficiabitur aliquis iſtam conſequentiam; ſtellę poſitę ſunt in firmamento, vt ſint in ſigna, & tempora. Ergo agunt in hęc inferiora. Nihil aliud dicit prędictus Doctor circa hoc: quęrit vtrum ſtellæ agant in hæc inferiora, arguit à parte negatiua, tandem ſubdit, contrà Gen. 1. dicitur de ſtellis, &c. Sed ex ſequenti Concluſione elucèſcet.

3 ¶ *Luminaria non imponunt neceſsitatem ijs, quæ actioni eorum ſubduntur.* } Signum dicitur multis modis: vno modo, ſicut dicit Auguſtinus. Signum eſt, quod præter ſpeciẽ, quam ingerit ſenſibus, aliud facit in notitiam venire. Et ſic ſignum accipitur propriè in ſacramentis. Alio modo dicitur ſignum cauſſa communis, non propriè innuens aliquem effectum, & non de neceſſitate inducens. Et hoc modo luminaria cæli ſunt in ſigna ex ſitu radiationis in coniunctione, vel præuentione, vel alia radiatione oppoſitionis, ſcilicet, Quadrati, Trigoni, ſextilis aſpectus, ſignante effectũ, quem non de neceſſitate cauſſat. Et ideo dicit Ptolomeus in Centiloq. Sapiens homo dominatur aſtris. Et dicit ibi Hali in Comment. Si ſtellę ſcintillant ad melanchoniam, & quartanas, ſapiens medicus diſponat corpora ad ſanguinem. & quartanæ non inducentur. E ideo dicit Meſſehallach in lib. de Sphera mota. Sapiens homo iuuat cæleſtem circulũ, ſicut ad fructum iuuatur terra aratione, & ſeminatione. Quare autem luminaria non poſsint eſſe cauſſæ producentes de neceſsitate effectum, rationem aſsignat Ptolomeus in 1.

Quadrip.dicens, quòd virtutes aſtrorum,& lumina, ſiue radiationes non deueniunt ad inferiora corpora niſi per aliud, & per accidens.Per aliud, quia elementa ſunt media,Per accidens, quia non agunt in nos niſi in formando qualitates actiuas,& paſsiuas elementorum, quæ ſic informatę immutant corpora. Signa ergo hic dicuntur diſpoſitiones aſtrorum innuentes aliquid futurum,& non de neceſsitate cauſſantes. Alb. 2.p. q.58.Concordat D. Tho.1. p.q. 115.a. 6. Corpora(inquit) cæleſtia ſunt cauſſa inferiorum effectuum mediantibus cauſsis particularibus inferioribus, quę deficere poſſunt in minori parte, iccirco effectus eorum de neceſſitate non conſequuntur. Neque virtus corporis cæleſtis infinita eſt, vnde requirit determinatam diſpoſitionē in materia ad inducendum ſuum effectum, & quantum ad diſtantiam loci, & quantùm ad alias conditiones,Et ideo ſicut diſtantia loci impedit effectum cęleſtis corporis. non enim ſol eundem caloris effectum habet in Dacia, quem habet in Ethiopia, ità & groſſities materiæ,vel frigiditas, aut caliditas, aut alia huiuſmodi diſpoſitio impedire poteſt effectum corporis cæleſtis. Sed dices,ſi effectus cæleſtis corporis nō ex neceſsitate proueniat, hoc eſt,propter aliquam cauſſam impedientem. Sed quęlibet corpora,quæ impedire poſſent effectum cæleſtis corporis,neceſſe eſt reduci in aliquod cęleſte principium,cùm cæleſtia corpora ſint cauſſa omnium, quæ hic fiunt. Ergo cùm & illud cęleſte principium ſit neceſſarium,ſequitur,quòd neceſſe ſit impediri effectum alterius corporis cæleſtis. Et ſic omnia,quæ hic contingunt,de neceſsitate eueniunt. Reſpondetur, quòd licet cauſſa impediens effectum alterius cauſſæ reducatur in aliquod cæleſte corpus ſicut in cauſſam: tamen concurſus duarum cauſſarum,cum ſit per accidens, non reducitur in cauſſam cæleſtem. Sicut quòd aliquod corpus terreſtre ignitum in ſuperiori parte aeris generetur, & deorſum cadat,habet cauſſam aliquam virtutem cæleſtem. Et ſimiliter etiam, quòd in ſuperficie terræ ſit aliqua materia combuſtibilis poteſt reduci

in aliquod cæleſte principium. Sed quòd ignis cadens, huic materiæ occurrat, & comburat eam, non habet cauſſam cæleſte corpus, ſed eſt per accidens. Hæc D. Tho. ibi. Neq; iſta duo contradicunt, Corpora cęleſtia non agunt de neceſſitate in iſtis inferioribus, & Motus cęli, aut cælum eſt cauſſa neceſſaria. Nam in ſecunda propoſitione intelligitur, quòd corpora cęleſtia, & eorũ motus, & actiones quantùm in ipſis eſt, neceſsitatem habent, quia videlicet, neq; ipſa corpora corruptibilia, aut alterabilia ſunt, neq; quantum ex ipſis eſt, poſſunt non agere. In prima verò intelligitur, quòd eorum effectus poſſunt deficere propter indiſpoſitionẽ materię, vel propter contingentiam, aut libertatem ſecundarum cauſſarum. Fran. Ferra. 3. contrà Gent. c. 86.

4 ¶ *Motus Cæli ceſſabit.*] Luminaria cæli, vt Gen. 1. refertur, ędita ſunt, vt ſint in dies, menſes, & annos, quibus noſtras nos metimur actiones: poſt diem verò Iudicij nulla alia vtemur menſura, quàm diuina ęternitate: neq; opus erit dierũ, noctiumq; viciſſitudine. Ceſſabit ergo motus cæli, ſuſpẽdente Deo concurſum, qui eſt ad motum neceſſarius, interdicenteq; intelligentijs mouendi munus, quoniam finis illius motus eſt humanum genus, quandiu corruptibile eſt, conſeruare. Dominic. Sot. 4. d. 48. q. 2. a. 2. Dices. videtur concludere ipſa luminaria deſtruenda. Reſpondeo, ſecundum D. Tho. cit. diſt. quæſt. & art. Corpora cæleſtia, ſicut & alia, in miniſteriũ hominis dupliciter facta ſunt. Vno modo, ad ſuſtentationem vitæ eius. Alio modo, ad profectum diuinę cognitionis, in quantum homo per ea, quæ facta ſunt, inuiſibilia Dei conſpicit: vt dicitur Rom. 1. Primo autem miniſterio homo poſt ſtatum gloriæ non indigebit, quomodo corpus cæleſte ſeruit ei per motum: in quantum per motum cæli multiplicatur genus humanum, & generantur plantæ, & alia animalia, quę vſui hominum ſunt neceſſaria, & temperies in aere efficitur conſeruans ſanitatem: vnde homine glorificato motus cæli ceſſabit. Secundo verò miniſterio non indigebit homo quantùm ad cognitionem intelle-

ctiuam: quia tali cognitione Deum ſancti videbunt immediatè per eſſentiam. Sed ad hanc viſionem eſſentię oculus carnis attingere non poteſt. Et ideo, vt ei etiam ſolatium congruens ſibi de viſione diuinitatis præbeatur: inſpiciet diuinitatem in ſuis effectibus corporalibus, in quibus manifeſtè indicia diuinę maieſtatis apparebũt, & pręcipuè in carne Chriſti, & poſt hoc, in corporibus beatorũ, & deinceps in omnibus alijs corporibus, vnde non deſtruentur luminaria, ſed potius luminis augumentum ſuſcipient.

AD ARGVMENTA.

Ad 1 LICET lux facta ſit prima die, quæ illuminaret illud Chaos, in cuius medio reſidebat natura terrę: tamen illa lux ſufficiens non fuit. Nec terra diſtincta, & arefacta reflectere potuit radios illuminantis ſe in ſuſcitationem caloris natiui. Et ideo, vt dicit Auguſtinus contrà Manich. neceſſe fuit, vt luminaria in ornatu cæli ponerentur, & crearentur, per quę ſufficienter terra illuminaretur, & dies lucida, & calida à tenebris noctis frigidis, & obſcuris diuideretur. Et hoc confirmatur ex dicto Bedę in Gloſa. Sol (inquit, dicitur maius luminare) non ſolùm luminis magnitudine, ſed etiam maior eſt in calore, quo mundum calefacit, cum pręteritis ante creationem eius diebus, nec calorem dies habuiſſet. Alb.

Ad 2 Firmamentum duobus modis dicitur, communiter ſcilicet, & propriè. Communiter, à firmitate, & incorruptibilitate naturæ dicitur firmamentum, & ſic totum, quod eſt ſuprà ignem ſurſum per decẽ cęlos vſq; ad empyreũ, dicitur firmamentum: & tunc cùm dicitur, poſuit ea in firmamento cæli, inter ablatiuũ cum ſua præpoſitione, & genitiuum eſt intranſitiua conſtructio; & eſt ſenſus: Poſuit ea in firmamento cæli, id eſt, quod eſt cælum. Firmamentum autẽ propriè dictum, quòd firmiter ſtat inter aquas, eſt cælum ſtellatum, in quo nec luna, nec ſol ſunt. Alb.

Ad 3 Secundùm Auguſtinũ nulla difficultas ex hoc oritur. Non

enim

enim ponit ſucceſſionem temporis in iſtis operibus. Et ideo non oportet dicere, quòd materia luminariũ fuerit ſub alia forma. Secundùm eos autem, qui ponunt cæleſtia corpora ex natura quatuor elementorum nulla difficultas accidit, quia poteſt dici, quod ſunt formata ex prȩiacenti materia, ſicut animalia, & plantę. Sed ſecundùm eos, qui ponunt corpora cæleſtia eſſe alterius naturæ ab elementis, & incorruptibilia per naturam, oportet dicere, quòd ſubſtantia luminarium à principio fuit creata, ſed prius erat informis, & nunc formatur, non quidem forma ſubſtantiali, ſed per collationem determinatæ virtutis. Ideò tamen non fit mentio à principio de eis, ſed ſolum quarta die, vt Chriſoſtomus dicit, vt per hoc remoueat populum ad Idolatria: oſtendẽs luminaria non eſſe Deos, ex quo nec à principio fuerunt. D. Tho. Sed Aegid. loco ſuprà citatò inſtat, Secundùm Magiſtrum illæ tres noctes fuerunt ſine omni luce: poſtea quarta nox, factis luminaribus, fuit luce decorata. Concedimus enim cælos, & elemẽta à principio fuiſſe facta ſecũdùm ſuas ſubſtantiales formas, ſed à principio ante omnem diem non fuit facta lux, ſed tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Quia maior eſt huiuſmodi ſcripturæ auctoritas, quàm totius humani ingenij perſpicacitas, Sic etiam ante quartam diẽ non lucebant luminaria cęli ſecundùm ſuas ſubſtantiales formas, quia eiuſdem naturæ, & ſubſtãtiæ ſunt ſtellæ cùm ſuis orbibus, cùm ſint naturaliter fixæ in eis. Philoſophus enim in de cælo, & mundo, licet iſtud verbum propoſuerit generaliter, quòd omne, quod naturaliter eſt fixum in aliquo, eſt eiuſdem naturę cum eo, in quo eſt fixum, ſpecialiter tamen dixit hoc propter ipſas ſtellas, quę non differunt ab orbibus, in quibus ſunt fixæ, niſi quia ſunt denſiores partes ſui orbis. Hæc Aegid. Qui poſtea proſequitur duos modos, quibus poſſunt dici facta luminaria, vti dictum eſt in Expoſ. Quærit deinde, An poſſint ſaluari verba Doctorum (& inſinuat D. Tho.) dicentium, quòd luminaria erant facta prius ſecundùm ſubſtãtiales formas, ſed quarta die fuerunt eis col-

latæ virtutes ad cauſſandum determinatas ſpecies rerum. Reſpondet, propriè loquendo, tunc fuerunt facta luminaria, quando inceperunt lucere. De virtutibus autem ſpecialiter collatis eis: ſatis poſſunt ſaluari eorum dicta, ex ratione motuū, & ex ratione luminū, quia ſatis poteſt probabiliter dici, quòd quarta die inceperunt moueri deferentes planetarum, & eorum epicycli, & tunc planetę inceperunt habere ſuos proprios motus, per quos habuerunt alium, & alium aſpectum ad hæc inferiora, ſecundùm quos alios, & alios aſpectus inceperunt habere efficaciam quandam ſpecialem ad alias, & alias ſpecies producendas, Hęc ille.

ad 4 Secundùm Auguſtinū nulla ſequitur difficultas: quia lux, de qua prima die facta eſt mentio, fuit lux ſpiritualis, nunc autem fit lux corporalis. Si autem lux primò die facta, intelligitur lux corporalis, oportet dicere, quòd lux primo die fuit producta ſecundùm communem lucis naturā, quarto autem die attributa eſt luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus, ſecūdùm quod videmus alios effectus habere radium ſolis, & alios radium lunę, & ſic de alijs. Et propter hanc determinationem virtutis, dicit Dio. 4. de diu. nom. quòd lumen ſolis, quod primo erat informe, quarto die formatum eſt. D. Tho. Sed applica, quæ dicta ſunt in Expoſit. D. Bon. cit. d. 14. cir. litt. dub. 3. inquit, ſecundùm ſanctos Damas. & Baſil. luminare non tantùm dicit lumen, ſed lucis vehiculum, & lucis vaſculum: propter quod Eccl. 46. de ſole dicitur, Vas admirabile, Opus Excelſi. Vnde ſicut lucerna, quæ dicitur vehiculum lucis, habet in ſe duplicem naturam, ſcilicet, lucis, quæ vehitur, & corporis, quod vehit, ſic voluerunt dicere de luminaribus cęli. Ait enim Baſil. ſic: Hoc ſolare corpus effectum eſt vehiculum illi primogenito lumini, ſicut enim aliud eſt ignis, aliud lucerna, ſic illi luci vehicula luminaria parata ſunt. Item Damas. luminaribus illis primum clarum lumen conditor impoſuit, non vt impotens dare eis aliud lumen, ſed, vt non vacans illud remaneret. Luminare eſt non ipſum lumen, ſed luminis

nis receptiuum. Secundùm igitur Baſil. & Damas. luminaria ſunt conſtituta ex illa prima luce, quę faciebat diem, ac noctem, & ſui orbis natura, quadam aggregatione, diuina manu, ad modum vaſis, & receptaculi lucis, coadunata. D. Bon.

ad 5 Secundùm Ptolemeum, Luminaria non ſunt fixa in ſphęris, ſed habent motum ſeorſum à motu ſphærarum. Ideo Chryſoſtomus dicit, quòd non ideo dicitur, quòd poſuit eá infirmamẽto, quod ibi ſint fixa: ſed quia iuſſerit, vt ibi eſſent, ſicut poſuit hominem in paradiſo, vt ibi eſſet. Sed ſecundũ opinionem Ariſt. ſtellę fixæ ſunt in orbibus, & non mouentur, niſi motu orbium ſecundùm rei veritatem: tamẽ motus luminarium ſenſu percipitur, non autem motus ſphærarũ. Moyſes autem rudi populo condeſcendens, ſecutus eſt, quæ ſenſibiliter apparent. Si autem aliud ſit firmamentum, quod factum eſt ſecunda die, ab eo, in quo poſita ſunt ſidera ſecundùm diſtinctionem naturæ, licet ſenſus non diſcernat, quem Moyſes ſequitur, vt dictum eſt, ceſſat obiectio. Nam firmamentum factum eſt ſecunda die, quantum ad inferiorem partem: Infirmamento autem poſita ſunt ſidera quarta die, quantum ad ſuperiorem partem, vt totum pro vno accipiatur, ſecundùm quòd ſenſu apparet. D. Tho.

ad 6 Dicit Baſilius, quòd præmittitur productio plantarum luminaribus, ad excludendam idolatriam. Qui enim credunt luminaria eſſe Deos, dicunt, quod primordialem originem habent plantę à luminaribus: quamuis, vt Chryſoſt. dicit, ſicut agricola cooperatur ad productionem plantarum; ità etiam & luminaria per ſuos motus. D. Tho. Sed in ſcript. d. 15. a. 1, ad 1. inquit, cum dicitur, Fiant luminaria in firmamento cęli, non intelligitur, quòd huiuſmodi corpora luminarium ſecundùm eſſe ſuum ſpecificum ex præiacenti materia facta ſint: ſed eorum ſubſtantia prius exiſtente, tunc primò virtutes determinatæ eis collatę ſunt, ex quo vltimũ complementum ſui acquiſiere. Hæc autem determinatæ virtutes corporum cęleſtium non reſpondent communibus

vir

virtutibus, quę ſunt in elementis, quæ ſufficiunt ad productionem plantarum, quę ex diuerſa commiſtione elementorum diuerſimodè ſpeciem ſortiuntur, ſed proprijs, quæ ſunt in determinatis rebus, vt ſicut lucis productio elementorū diſtinctionem præceſſerat, ità luminarium inſtitutio præcederet ſpecierum diuerſitatem. Hæc ille. Alex. 2.p.q.75.m.4. format tale argumētum, Anima vegetabilis, cùm ſit vita quædam, dignior eſt omni corpore humano, in quantum eſt corpus, hoc autem patet per Auguſtinum in multis locis. Sed natura cæleſtis inducit animam vegetabilem in eſſe: quod patet in lib. de vegetabil. vbi appellatur terra mater plantarum, & ſol pater. Si igitur poteſt illud, quod eſt maius, & nobilius, poteſt & illud, quod eſt minus, & ignobilius. Et ità virtus cæleſtis potuit producere corpus primi hominis, in eſſe. Reſpondet primò, licet vegetabilia, & animalia minuta, quæ exeunt in eſſe per putrefactionem, nobiliora ſint, aliqua ratione, corpore humano: in quantum corpus eſt, non tamen in quantum humanum, propter ordinem, quem habet ad animam rationalem. Secūdò. Quandoq; quę ignobiliora ſunt, cum maiori difficultate educuntur in eſſe: cum maiori enim difficultate educitur lapis viliſsimus in eſſe: ad cuius eductionem requiritur congelatio multorū annorum, quàm planta aliqua valde nobilis in genere ſuo. Tertiò. Creatura non poteſt in aliquid, niſi in illud, in quo data eſt illi poteſtas à ſuo conditore, quod ergo poteſt facere maius, non poteſt facere minus, ſicut qui poteſt generare hominem, non poteſt generare aſinum: quia hoc non eſt ſibi datum ab illo, a quo eſt omnis poteſtas. Quartò, vt volūt aliqui, ſol non producit in eſſe animam vegetabilem: & hoc oſtenditur ſic. Sol quarto die conditus eſt, vegetabilia tertio die, cauſſa autem origine, & natura debet præcedere ſuū effectum, & non ſequi. Vnde Baſil. in Hexa. Germinet terra herbam pabuli, per ſe videlicet, tellus germinare pręcepta, eſt, nullius indigens adiumento. Quoniam quidam opinantur plantis, ac ſeminibus ſolem cauſſas præſtare creſcendi,

dum ea, quę de terra pullulant, proprij caloris attractu, ab imis ſedibus ad ſumma perducit. Idcirco ſole antiquior terræ fœcunditatis ornatus emicuit, vt occaſio venerandi ſolẽ, vt potè actorem naſcentium, his, qui in errore poſiti ſunt, auferretur, ſi tamẽ ſuadere potuerint, quia poſtquã ipſe creatus eſt, erat iam terra ſuis fructibus decorata; conſiderantes quòd herbis, & pabulis ſol in naſcendo poſterior eſt. Alex.

ad 7 Luminaria ſunt in ſigna corporalium tranſmutationum, non autem eorum, quæ depẽdent ex libero arbitrio. D.Tho. Notanda duo. Primum, licet corpora cæleſtia non ſint directè cauſſa electionum noſtrarum, quaſi directè in uoluntates noſtras imprimentia, indirectè tamen ex ijs aliqua occaſio noſtris electionibus præſtatur; ſecundum, quòd habent impreſsionem ſuper corpora. Et hoc dupliciter. Vno quidem modo, ſecundum quòd impreſsiones corporum cęleſtium in exteriora corpora ſunt nobis cauſſa alicuius electionis: ſicut cùm per corpora cęleſtia diſponitur aer ad frigus intenſum, eligimus calefieri ad ignem, vel aliqua huiuſmodi facere, quæ congruunt tempori. Alio modò, ſecundum quòd imprimunt in corpora noſtra, ad quorum mutationem inſurgunt nobis aliqu motus paſsionum, vel per eorum impreſsionem efficimur habiles ad aliquas paſsiones: ſicut cholerici ſunt proni ad iram, vel ſecundùm quòd ex eorum impreſsione cauſſatur in nobis aliqua diſpoſitio corporalis, quę eſt occaſio alicuius electionis, ſicut cùm nobis infirmantibus eligimus accipere medicinam. Interdũ etiam ex corporibus cæleſtibus actus humani cauſſantur, in quantum ex diſpoſitione corporis aliqui amentes efficiuntur vſu rationis priuati, in quibus propriè electio non eſt, ſed mouentur aliquo naturali inſtinctu, ſicut bruta. Manifeſtum eſt autem, & experimento cognitum, quòd tales occaſiones, ſiue ſint exteriores, ſiue interiores, non ſunt cauſſa neceſſaria electionis: cum homo per rationem poſsit eis reſiſtere, vel obedire: ſed plures ſunt, qui impetus tales naturales ſequuntur: pauciores autem, id eſt, ſoli ſapientes, qui

oc-

occaſiones male agendi, & naturales impetus nõ ſequuntur. Et propter hoc dicit Ptolomæus in Centiloquio, quòd anima ſapiens adiuuat opus ſtellarũ, & quòd non poterit Aſtrologus dare iudiciũ ſecundùm ſtellas, niſi vim animæ, & complexionem bene cognouerit: & quòd Aſtrologus non debet dicere rem ſpecialiter, ſed vniuerſaliter: quia ſcilicet impreſſio ſtellarum in pluribus ſortitur effectum: qui non reſiſtunt inclinationi, quæ eſt ex corpore: non autem ſemper in hoc, vel in illo, qui fortè per rationem naturali inclinationi reſiſtit. D. Tho. 3. contrà Gent. c. 85. Secundum. Si Catholicum dogma eſt, corpora cæleſtia nequaquam eas res, quæ in noſtro ſitæ ſunt arbitrio, efficere, & quæ ab electione hominum pendent: inde conſequitur, vt nec eorum ſigna, & notæ profectò eſſe poſſint. Quamobrem, cum Plotinus in libro, vtrùm ſtellæ aliquid agant, & de Fato, c. 6. Origenesque, & Euſebius lib. 6. de præparat Euang. c. 9. Deum in corporibus cæleſtibus tanquam in tabulis, & chirographo, aut ſcripſiſſe, aut pinxiſſe euenta omnia noſtri ortus, vitæ, morumq; progreſſus, citrà tamen arbitrij noſtri vllam vim, aut coactionem, volunt; & ſimul ſideribus vim detrahunt hæc efficiendi, quemadmodum videre eſt in primo Periarchon c. 1. mihi profectò abijſſe longius à veritate videntur. Cùm enim res non nullæ natura ſignificent, aliæ verò, vel diuina, vel humana duntaxat inſtitutione: & priora quidem ſigna naturalia, poſteriora verò ſigna data vocentur: nullum naturale ſignum reperias, quod, vel cauſſa quadamtenus non ſit eius rei, cuius ſignum eſt, vel certus quidam effectus. Quemadmodum & Ioan. Picus lib. 4. contrà Aſtrologos ſcitè admodum annotauit. Proinde, cùm aſtrorum diſpoſitio, ac tabulæ effectus non ſint humanarum rerum, & nihilominus ſigna naturalia earum ſint: oportet, vt cauſſæ exiſtant: & ſi cauſſę quoq; non ſunt, nec etiam earum ſigna naturalia eſſe poſſunt; non igitur pręſignant natura res noſtras in vniuerſum ſidera. Sed nec etiam inſtitutione diuina: nam quę nobis Deus ſigna dedit, cùm ad noſtram vtiq; inſti-

tutionem, & admonitionem dederit, voluit, vt apertam aliquam haberent cum rebus, quas pręſignant, analogiam, qua facilior, latiorq; nobis aditus ad arcana dignoſcenda fieret, quorum gratia ea ſigna dedit: vt proinde Magiſter dixerit. Signa ſacra imaginem gerere earum rerum, quas indicant, & ſanctorum omninm ſignaculorum inductione, quæ patribus pariter, & nobis deinceps diuinitus data ſunt, in præſenti periclitarer, niſi hæc notiora eſſe intelligerem, quàm, vt in eis explicandis tempus mihi conterendum ſit. At verò nullam conuenientiam cum rebus, quæ noſtri ſunt arbitrij, ſidera habent, niſi, vel per accidens, ac, vt Aliacēſis de Concord. Aſtrol. cum Theol. verbo. 3. loquitur, diſpoſitione remota, & contingente, nō ſimpliciter neceſſaria, & ſufficiēte, quod, vt arbitror, nec S. Tho. negaret 3. contrà Gent. c. 92. vel quam homines eis dederunt. Quamobrem & ſigna data ab hominibus dici poſſunt, nimirum à Caldæis, Aſſyrijs, & Aegyptijs, vti Cic. lib. 1. de Diuinat. teſtatur. Non igitur luminaria ſigna ſunt diuinitus inſtituta ad per ſe manifeſtādas hominum electiones, & res. Et hæc profectò ratio firmiſſima eſt, licet Iulius Sirenius lib. 9. c. 37. ex aduerſo proferat, Caniculam indicare maximum æſtum, & hirundinem aduentantem ver, ac neutrum tamen eſſe eorum vel cauſſam, vel effectum. Vtrunque certè Picus negaret, & rectè. Quòd Canicula, & hirundo, potius obſeruatione humana tanquam ſigna illarum rerum capta fuerint, quàm, vt ſint a natura data, vt eas præſignent. Quòd ſi contenderit, natura quoq; hęc præſignare, Reponet Picus, opinor, & caniculam eſſe cauſſam quandam partialem illius ęſtus, Quamobrem tunc flagrare aer videtur: Et ver, hoc eſt, aeris temperiem, & frigoris à loco expulſionem, eſſe in cauſſa, cur ſe ſe ad hæc loca hirundo recipiat: Attrahūtur enim à commodo continente corpora quadantenus, ſi Albertum in lib. de natura locorum auſcultamus, atq; adeò hæc efficiens quoque cauſſa motus localis eorum eſt: Quanquam pręterea extrà controuerſiam eſt, animalia ab intelligentia non errante eò dirigi,

ac excitari vbi & ſeruari illæſa, & commodiùs, poſſe viuere perſpexerit: & proinde locum eſſe tanquam intentum, vt cauſſam ſalutis eorum, ab auctore naturę. Itáq; licet Plotino, Origeni, Euſebioq; viſum ſic fuerit, & proinde. D. August. lib. 5. de Ciuit. Dei c. 1. dixerit, opinionem hanc viris non mediocriter doctis placuiſſe, & Gullielmus Parriſ. lib. 1. de vniuerſo, argumentis, & teſtimonijs ſtabilire eam conatus ſit, mihi tamen Ioannes Picus acceſſiſſe propius ad veritatē illis in hac controuerſia videtur, ac ſcripturis magis conſentanea docere. Viel. lect. 21. Manifeſtum eſt igitur D. Thomam ſcitè admodū dixiſſe, luminaria non eſſe ſigna eorum, quæ dependent ex libero arbitrio. Luminaria non eſſe cauſſam eorum, quæ ex libero arbitrio dependent, de fide eſt. Vt conſtat ex concilio Toletano primo c. 21. & Bracharenſe cap. 9. & 10. & 20. An verò ſigna ſint, vtraque pars ſine prędiudicio fidei ſuſtineri poteſt. Cùm verò dicitur, ſi ſigna, Vel cauſſæ, vel effectus: vtrunque aſſertor affirmatiuę partis negaret, ſimileque afferret de ſcientia angelorum, quæ ſecundùm D. Thomæ opinionem, nec cauſſa rerum eſt, nec cauſſata à rebus, Adeò quòd, ſicut habere ſpecies rerum concreatas eſt quodā modo paſſio intellectus angelici, & naturaliter ſequitur intellectum angelicum. Ita quodam modo paſſio corporum cæleſtium eſt, & naturaliter ſequitur ea, habere ſcripta, ſeu depicta euenta omnia noſtri ortus, vitæ &c. De quo ſermonem habebo Hiere. 10. ſuper illud; A ſignis cæli nolite metuere.

ad 8 Per cauſſam ſenſibilem quandoque ducimur in cognitionem effectus occulti, ſicut & è conuerſo. Vnde nihil prohibet cauſſam ſenſibilem eſſe ſignum. Ideò tamen potius dicit ſigna, quàm cauſſas, vt occaſionem idolatriæ tolleret. Eadē de cauſſa, licet creatura aliqua poſſit dici eſſe facta vel propter actum proprium, vel propter aliam creaturam, vel propter totum vniuerſum, vel propter gloriam Dei, attamen illam ſolam cauſſam expreſſit, ſecundùm quòd ſunt facta luminaria ad vtilitatē hominum. Vnde dicitur, Deut. 4.

Ne fortè eleuatis oculis ad cęlum videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus in miniſterium cūctis gentibus. Hoc autem miniſterium hic explicat per tria. Primo enim prouenit vtilitas hominibus, ex luminaribus quantùm ad viſū, qui eſt directiuus in operibus, & maximè vtilis ad cognoſcendas res. Et quantùm adhoc dicit, vt luceant in firmamento, & illuminent terram. Secundò, quantùm ad viciſſitudines temporum: quibus & faſtidium tollitur, & valetudo conſeruatur, & neceſſaria victu oriuntur, quę non eſſent, ſi ſemper eſſet aut æſtas, aut hyems. Et quantùm ad hoc dicit, vt ſint in tempora, & dies & annos. Tertiò, quantùm ad opportunitatem negotiorum, & operum: in quantum ex luminaribus cæli accipitur ſignificatio pluuioſi temporis, vel ſereni, quæ ſunt apta diuerſis negotijs. Et quantùm ad hoc dicit, vt ſint in Signa. D. Tho. Vel, luminaria cæli ità ſunt ſigna iſtorum inferiorum, quod etiam ſunt cauſſæ eorum: prout in effectibus eorum aliqua pronoſticamur de futuris, vt cùm ſerò rutilat cælum, pronoſticamur ſerenitatem: quia enim corpora cæleſtia, non ſolum ſunt cauſſa illius rubedinis quæ eſt ſignum ſerenitatis, & ex qua pronoſticamur de ſerenitate, ſed etiam ſunt cauſſa illius ſerenitatis ſic per pronoſticationem habitæ: ideo ſic ſunt ſigna, quòd etiā ſunt cauſſæ. Itàque inquantùm non ſunt cauſſæ neceſſariæ, & eorū effectus poſſunt impediri, poſſunt dici cauſſæ deficientes, & ſigna, & non cauſſæ; prout verò efficiunt, quæ pronoſticamur ex eis, poſſunt dici ſigna, & cauſſę. Aegid. cit. d. 14. q. 3. a. 2. in calce. Iunge ſolutionem quinti decimi.

ad 9 In prima die facta eſt communis diſtinctio temporis per diem & noctem ſecundùm motum diurnum, qui eſt communis totius cæli; qui poteſt intelligi incepiſſe primo die: ſed ſpeciales diſtinctiones dierum, & temporū, ſecundùm quod dies eſt calidior die, & tempus tēpore, & annus anno: fiunt ſecundùm ſpeciales motus ſtellarum, qui poſſunt intelligi quarto die incepiſſe. D. Tho.

In

ad 10 In illuminatione terræ intelligitur vtilitas hominis, qui ſecundùm animam præfertur corporibus luminarium. Nihil tamen prohibet dici, quòd dignior creatura facta eſt propter inferiorem;non ſecundùm quòd in ſe conſideratur, ſed ſecundùm quòd ordinatur ad integritatem vniuerſi. D. Tho. In ſcripto verò dicit diſt. 15.2. 1. ad 6. Aliquid poteſt eſſe propter aliud dupliciter. Aut quia ordinatur ad ipſum, ſicut ad finem proprium, & principalem, & ſic inconueniēs eſt dicere, quòd aliquid ſit propter vilius ſe, vt luna, & ſtellæ propter noctuas, & veſpertiliones: cùm finis potior ſit ijs, quę ſunt ad finem. Alio modo poteſt dici aliquid eſſe propter aliud, cui ex ipſo prouenit aliqua vtilitas, eo modo, quo poſſet Rex dici propter ruſticum eſſe, ex cuius regimine prouenit ei pax. Per hunc modum intelligendū eſt, quod dicit Magiſter in littera Ideo factam eſſe lunam, & ſidera propter animalia, quæ lucem ſolis ferre non poſſunt. Omnes enim vtilitates, quæ ex corporibus cæleſtibus proueniunt in inferioribus, ſunt à Deo prouiſę, qui corpora illa inſtituit. Hæc ille.

ad 11 Quando Chriſtus in paſſione ſua operatus eſt miracula circa corpora cæleſtia, faciendo ſolem obſcurari, non peruertit ordinem temporum. Nam illa ſolis obſcuratio, ſecundùm aliquos, fuit propter hoc, quòd ſol ſuos radios retraxit, nulla immutatione facta circa motum cæleſtium corporum, ſecundùm quem tempora menſurantur. Vel hoc accidit per interpoſitionem nubium, vel per interpoſitionem lunę inter nos, & ſolem. Vt declarabitur Math. 27. ſuper illud, Tenebræ factæ ſunt, &c.

ad 12 Luminaria facta ſunt in actu, & non in virtute tantùm, ſicut plantæ. Non enim habet firmamentum virtutem productiuam luminarium, ſicut habet terra virtutem productiuam plantarum. Vnde ſcriptura non dicit, producat firmamentum luminaria: ſicut dicit, Germinet terra herbam virentem id eſt, producendi accipiat virtutem. Prius ergo producta ſunt luminaria in actu, quā plantæ in actu, licet prius

plantæ in virtute, & cauſaliter productæ, quàm luminaria in actu. Itē, opus diſtinctionis ordine naturę pręcedit opus or natus, luminaria autem pertinent ad ornatum cæli, plantę verò, maximè ſecundùm eſſe virtuale, non pertinent ad ornatum terrę, ſed potius ad perfectionem eius. Nam ad perfe ctionē cæli, & terræ pertinere videtur ea ſolùm, quæ ſunt cæ lo, & terrę intrinſeca. Ornatus verò ad ea pertinet, quæ ſunt à cælo, & terra diſtincta. Sicut homo perficitur per proprias partes, & formas, ornatur autē per veſtimēta, aut aliquid hu iuſmodi. Diſtinctio autē aliquorū maximè manifeſtatur per motū localem, quo ab inuicem ſeparantur. Et ideo ad opus ornatus pertinet productio illarū rerū, quę habēt motum in cęlo, vel in terra. Luminaria autem ſecundùm Ptolomeū non ſunt fixa in ſphęris, ſed habent motum ſeorſum a motu ſphę rarum. Secundùm verò ſententiam Ariſt. Stellæ fixæ ſunt in orbibus, & non mouentur, niſi motu orbium ſecundùm rei veritatem: tamen motus luminarium, & ſtellarum ſenſu percipitur, non autem motus ſphærarum. Moyſes autem rudi populo condeſcendens ſecutus eſt, quæ ſenſibiliter ap parent, dicens. Luminaria ad ornatum firmamenti perti nere. Plantę autem non pertinent ad ornatum terrę, ſed ſolùm animalia. Nam quęlibet res pertinet ad ornatū illius loci, in quo mouetur vel vere, vel apparenter, & non in quo, quieſcit. Plantæ autē radicitus infixæ terræ adhærēt, ideo ad ornatum ipſius non pertinēt, ſed cum ipſa, & eius perfectio ne computātur. Stellę autem, & ſi non mouentur in cælo per ſe, mouentur tamen per accidens, & apparenter: plantæ autem nullo modo mouentur, & ideo ordine naturę prius debuerunt produci plantæ, quę pertinent ad perfectionem intrinſecam partium vniuerſi, videlicet terræ, quàm luminaria, quæ pertinent ad ornatum cęli. D. Tho.

ad 13 Luminaria eſſe in ſigna dupliciter habet exponi, ſecundùm quòd duplex eſt vſus ſigni. Signum enim & eſt ad ſignandum, & eſt ad diſtinguendum. Si primo modo accipi tur ſignum, tunc eſt ſenſus, quòd illa luminaria facta ſunt in

ſigna,ideſt,in ſignificationem futurorum,& variationem temporum,& dierum, & annorum, vt variatio temporum attendatur in mutatione,quantum ad calorem aeris,& frigus, variatio dierum, quantum ad lumen, & tenebras, variatio annorum, quantum ad renouationem horum duorum, & ſic dicuntur corpora cęleſtia eſſe in ſigna, non quorumlibet futurorum, ſed eorum, quorum ipſa ſunt quodammodo cauſſa,ſicut imbrium, & ventorum,& ſic exponit Damaſ. vel etiam eorum, quę præſignant diuina prouidentia, ſicut eorum, quæ aduenient in iudicio, ſecundùm illud Luc. 21. Erunt ſigna in Sole,&c. Aliorum verò,quę ſunt à libero arbitrio,non ſunt ſigna inſtitutione diuina, ſed potius ad illa ſignanda attraxit humana fictio,& fallacia diabolica. Si ſecundo modo accipitur, videlicet, ab actu diſtinguendi, Tunc eſt ſenſus, ſint in ſigna,quaſi diſtinctiones temporum, dierum,& annorum. Hęc autem expoſitio diuinę ſcripturę videtur eſſe magis conſona, quod patet per antecedentem litteram, vbi dicitur. Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem à nocte. Duplex enim eſt motus luminarium.Vnus,qui eſt ad motũ vltimæ ſphęrę ſuper polos principales ab oriente in oriens per occidens, quo motu reuoluuntur ſemel quolibet die naturali, & ſecundùm hunc motum diuidunt diem, ac noctem. Sicut dicitur in pſal. Fecit ſolẽ in poteſtatem diei,lunã, & ſtellas in poteſtatem noctis. Alius eſt motus proprius, quem habent naturaliter in circulo obliquo ſcilicet in Zodiaco, in quo duodecim ſigna deſcribuntur, & ſecundùm motum plantarum in illis ſignis,& maximè ſolis,fit ſignatio, & diſtinctio temporum, & dierum, & annorum. Diſtinctio temporum fit, quia quatuor ſunt tempora anni,ver, & ęſtas, autumnus, & hyems, quę diſtinguuntur per motum ſolis in Zodiaco, prout ad nos accedit,& à nobis elongatur. Diſtinctio verò dierum fit ſimiliter per eundem motum,quia modò dies creſcunt,modò decreſcunt. Aliquando dies ſunt maiores noctibus,aliquãdo minores,ſecundùm quòd per illum motum dupliciter ac-

cipitur ſolſtitiũ ſcilicet æſtiuale, & hyemale, & duplex æquinoctium ſcilicet vernale, & autumnale. Similiter & diſtinctio annorum fit per eundem motum, vno enim anno complet ſol zodiacum. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta. Quod enim dicitur eſſe in ſigna, hoc eſt, vel in ſignificationem imbrium, & ventorum, vel in diſtinctionem temporum, & ideò dicit tempora pluraliter propter variationem temporum in quatuor temporibus anni, ſecundùm quatuor elementorum qualitates. Et ſubiungit dies, & annos, vt ſicut, per tempora notabatur variatio, ſic etiam per dies, & annos poſsit notari motus illius terminatio: Ita quòd dies dicit terminationem motus, quo mouetur ſol motu firmamenti, & annus terminationem motus, quo mouetur in obliquo circulo. Et in hoc patet, quòd non debet poni menſis, & ſeptimana, quia non tangitur ibi noua variatio, nec noua terminatio. D. Bon. Vnde etiam ſolutum eſt quartum decimum. Concordat Aegid. cit. d. 14. propè finem. Verùntamen ad cognoſcendum, quomodo diuinare, ſeu prònoſticari per aſtra peccatum ſit, & quomodo non, obſeruandum ex Caiet. 2. ſecundę q. 95. a. 5. propè princip. Quòd multùm refert, an aliquis ex cęleſtibus, velit ſcire per certitudinem, quid futurum ſit, aut ſcire per coniecturam, quantum, ſcilicet, eſt ex tali inclinatione, Inclinant namq; ſidera per modum paſſionis, hoc eſt, per modum, quo triſtitia, amor, odium incitat voluntatem noſtrã. Primo namq; modo, ſcilicet, per certitudinem inquirere cognitionem futurorum contingentium ex cæleſtibus eſt vanum, & ſuperſtitioſum, diabolicum, ac damnatum ab eccleſia. Et ratio eſt, quia futura contingentia non de neceſſitate cauſſantur à cęlo. Secundo autem modo, inquirere cognitionem inclinationum, ſiue hominum, ſiue aliarum rerum corporearum ad electiones noſtras, quę naturæ facultatem non excedunt, & alia caſualia, ſiue fortuita, non eſt malum, nec damnatum. Et ratio eſt, quia huiuſmodi inclinationes ſunt effectus corporum cæleſtium. Cõnari autem ad cognoſcendum effectus cauſſarũ naturalium

per

per eas non eſt malum. Propterea auctor, id eſt, D. Tho, in littera concludendo dicit. Si quis vtatur ad cognoſcendum per certitudinem futura opera hominum, non dixit ad cognoſcendum, ſed dixit, ad cognoſcendum per certitudinem, vt differentiam iſtam, quam declarauimus intelligeres. Hęc Caiet.

ad Sunt ſigna, & cauſſæ, magis tamen exprimit Scriptura
15 quòd ſint ſigna, quàm quòd ſint cauſſę, pro eo quod, nec
cauſſant ſufficienter, nec cauſſant neceſſariò. Operantur
enim per cauſſas vniuerſales, quæ per particulares indigent
adiuuari, & poſſunt impediri. D. Bon. Et ſine luminarium
propria diſpoſitione voluntas Dei, cùm expedit, aliquando
hos effectus producit, etiam exiſtentibus ijs in contraria
diſpoſitione. Alex. vbi ſuprà.

ad Tempus, quod eſt vnũ de quatuor Coæuis, & quod cepit
16 cũ mundo, eſt illud idem, quod nunc eſt, & durabit vſq; in
finem mundi. Motus enim primi mobilis, cuius numerus
eſt tempus, incepit cum mundo, & durabit vſque in finem
mundi, propter quod tempus, quod eſt numerus illius motus, ſic incepit, & ſic durabit vſque in finem mundi. Sed in fine mundi, quia ceſſabit motus cæli, & ſol, & luna ſtabunt in habitaculis ſuis, quòd non mouebuntur amplius, iuxtà dictũ prophetæ, ideo tunc in fine mundi finietur motus celi, & tempus. Aegid. De hoc dictum eſt ſuprà. Et quæ tempora fuerunt facta quarta die, dictum eſt.

Tempus dupliciter poteſt accipi, ſcilicet, communiter, pro
ad quacunq; menſura eſſe exiſtentis in variatione: & propriè,
17 ſcilicet, ſecundùm quòd eſt continuatio motus ab anima
numerata: qua, mediante motu, cuius eſt paſſio, menſurat anima durationes motuum aliorum; quæ continuatio eſt ſicut in ſubiecto in motu primi mobilis, manifeſtè nobis nota, propter ſenſibilitatem ſtellarum, & ſignorum, quæ in ipſo ſunt. Primo modo, loquendo de tempore. Aeuum non fuit creatum ante tempus duratione, ſed dignitate, quia fuerunt concreata angelica natura, in quo etiã cointelligi-

tur

tur ſua menſura, quę eſt Aeuum, & cælum empyreum, & primum inſtans temporis largè, & communiter dicti, & materia aliorum corporalium. Loquendo de tempore ſecundo modo, ſic dico, quod Aeuum non tantummodo dignitate præceſſit tempus, ſed etiam duratione, ſecundùm opinionem dicentium opera ſex dierum fuiſſe facta per interualla temporum. Ric. Qui contradicit Aegid. vt in ſolutione pręcedentis argumenti dictum eſt, Res eſt incerta.

ad 18 Fuit hæc ratio. D.Bon. vt ex dictis patet. Tenentes ſphæras cæleſtes inter ſe contiguas, & non continuas eſſe, dicũt, quod nomine firmamẽti cõprehendit ſcriptura omnes octo ſphęras, loquens in ſingulari propter vnitatem coordinationis, quia vna continet aliam, vel fortè propter apparentiã ſenſus, cui non eſt illa diſtinctio manifeſta. Ric. Vtrùm autem ex confricatione ſphærarum in ſuo motu ſonus generetur, dicetur Iob. 38. ſuper illud. Concentum cæli &c.

ad 19 Corpora cæleſtia, quantùm ad ſubſtantiã ſuam, non ſunt facta, vt diuidant diem, & noctem, niſi mediante motu, & ideo ceſſante alternatione dierum, & noctium ceſſabit motus: ſed non propter hoc ceſſabunt luminaria cæli quo ad ſubſtantiam, & entitatem ſuã: quia ex eis ſine motu proueniet aliud miniſterium, ſeu alia vtilitas hominibus, inquantum ex conſideratione eorum conſurgent in laudem & gloriam Dei. Dur. Non eſt finis principalis luminarium, quod ſint in dies, & annos. Sed eſt finis ſub fine pro tempore vitę mortalis hominum indigentium tali diſtinctione temporum. Doct. ſubtil. ead. diſt. q. 2. Finis luminarium, qui hic aſſignatur eſt finis proximus: quia eſt proprius eorum actus, ſed ipſe actus vlterius ordinatur ad alium finem, ſcilicet, ad miniſterium humanum, vt patet per illud, Deut. 4. Ne forte oculis eleuatis ad cęlum &c. Et ideo magis debet iudicium ſumi de corporibus cęleſtibus ſecundùm miniſterium hominum, quàm ſecundùm finem hic in Geneſi aſſignatum. Corpora autem cęleſtia per alium modum in miniſterium hominis glorificati cedent, ſicut dictum eſt, & ideo

non ſequitur, quod fruſtrà remaneant, licet non diuident diem, & noctem. D. Tho. ead. q. 2. a. 2. ad. 3.

Fecitq́ Deus duo luminaria magna. Luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas Deus in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.

ARGVMENTA.

1 VBI dicit noſtra littera, Et præſint diei, ac nocti, alia habet. Sint in inchoationem diei, ac noctis: Ratione cuius obijcitur. Nonne ex preſentia Solis ſuper terrã eſt dies, ex abſentia eius eſt nox? Ergo Sol eſt ad vtrunque, cum per ipſum diſtingua tur veſpere, & mane. Prętereà: contingit, quòd luna non ſemper lucet in noſtro hemiſphærio in initio noctis; Quid ergo erat dicere, & ſint in inchoationem diei, ac noctis, tam quàm luna eſſet in inchoationem noctis, ſemper lucens in noſtro hemiſphærio? Alex. 2. p. q. 52. m. 2. a. 1.

2 Aliqua alia luminaria ſunt maiora luna: & hoc probatur per diſtantiam corporum, & apparitionem, Non ergo luna debuit dici luminare magnum. Alex. 2. p. q. 52. m. 1. a. 3.

3 Vel per ſtellas intelligit fixas, àut erraticas, non erraticas, quia dicit, quod poſuit eas in firmamento, non fixas, quia connumerat cum ſole, & luna. Alex. ibi a. 4.

4 Inueniuntur planetę in qualibet reuolutione ſub alio puncto, quàm fuerunt in pręcedenti reuolutione, & hæ variationes manifeſtæ ſunt in planetis, ergo ſi poſuit in firmamen

to, neceſſe eſt eos moueri motibus proprijs, & ſi mouentur motibus ſuorum orbium, neceſſe eſt, quod ſint poſita in alio corpore, quod naturam habet mouendi contra ipſi firmamento. Alex. ibi.

5 Secundùm Grammaticam ſol dicitur, quaſi ſolus lucens, eò quòd nihil lucet in cœlo, niſi ſol, aut illuſtratum à ſole:& eſt doctrina Ariſt. & Auic. ergo videtur non feciſſe duo luminaria, ſed vnum ſolum, quod lumine ſuo facit luminare minus. & ſtellas. Alb.2.p.q. 59.

6 Dicit Ambroſius, quòd ſtellis ardentibus continuè voluitur orbis, idem Dicit Baſil. idem dicit Auguſtinus: Malè ergo dicuntur ſtellæ: quia nunquã ſtant, ſed continuè voluuntur. Alb. ibi.

7 Superfluè dictum eſt, vt diuiderent lucem à tenebris. Hoc nanque factum eſt prima die in opere diſtinctionis, ibi enim dictum eſt, diuiſit lucem à tenebris. Alb. ibi.

8 In ſequentibus, vbi tangitur ornatus aeris, aquæ, & terræ, dicitur, Benedixit eis dicens, creſcite, & multiplicamini. Sed dignioris corporis ornatus digniorem debuit habere benedictionem, maximè ſecundùm eos, qui lunam dicunt imperfectam eſſe creatam, & primam, illi enim competit benedictio, vt creſcat, & multiplicetur. Ergo non ſolùm debuit dicere, & vidit Deus, quòd eſſet bonum; ſed vlteriùs procedere benedictionem. Alb. ibi.

9 Luna non præeſt nocti, quando eſt plena. Probabile autem eſt, quòd luna fuerit facta plena. Sic enim homines incipiunt computare. Ergo luna non eſt facta, vt præſit nocti. D.Tho. 1.p.q.70.a.2.arg.5.

10. Vnum quodq; luminare tempori illi preeſſe videtur, in quo apparet: ſed luna quandoque etiam in die apparet: ergo non debet dici ſolum nocti præeſſe. D. Tho. 2. d. 15.a. 2. arg. 5.

11 Si innouato homine corpora cœleſtia innouentur: oportet, quòd eo deteriorato ſint deteriorata, ſed hoc non videtur probabile: cùm illa corpora ſint inuariabilia quantũ ad

id,

id, quod eſt in ſubſtantia eorum, ergo nec innouato homine innouabuntur. Preterea, ſi deteriorata tunc fuerunt, oportet, quod tantùm deteriorata fuerint, quantũ dicuntur eſſe melioranda in hominis innouatione. Sed Iſa. 30. dicitur, quòd tunc erit lux lunæ, ſicut lux ſolis; Ergo & in primo ſtatu, antè peccatum, luna lucebat, quantum nunc lucet ſol: ergò quandocunque luna erat ſuper terram faciebat diem, ſicut facit ſol, & hoc manifeſtè apparet falſum per id, quod dicitur Gen. 1. quòd luna facta eſt, vt preeſſet nocti: ergo homine peccante non ſunt corpora cæleſtia diminuta in lumine: ità nec eorum lumen augebitur, vt videtur, in hominis glorificatione. D. Tho. 4. d. 48. q. 2. a. 3. arg. 3.

12 Sicut inferiora elementa ſunt ornata plantis, ac animalibus, & cęlum ſidereum ſtellis, & ſole, & luna, ità etiam & cęlum empyreum ornatum eſt Angelis, ſed in plantis, & animalibus inueniuntur multa eiuſdem ſpeciei. Similiter etiam videtur, quòd omnes ſtellæ ſint vnius ſpeciei, quia communicant in vna forma nobiliſſima, quæ eſt lux: ergo videtur pari ratione, quòd, vel omnes angeli, vel aliqui conueniant in vna ſpecie. D. Tho. de Spiritual. creat. art. 8. arg. 12.

13 Hæc luminaria facta ſunt propter diem, & noctem, ſicut dicitur Gen. 1. ergo ceſſante nocte in die iudicij, debet ceſſare luminare, quod factum eſt, vt præeſſet nocti. D. Bon. 4. d. 48. cir. litt. dub. 5.

14 Vt dicitur Gen. 1. Deus fecit duo luminaria magna, ſolem, id eſt, Papam, vt præeſſet diei. ſcilicet, in ſpiritualibus, & lunam, id eſt, Imperatorem, ſiue Principem ſecularem, vt pręeſſet nocti, ſcilicet, in temporalibus: ſed luna, quòd pręſit nocti, non habet, niſi per lumen ſibi à ſole mutuatum. Ergo & Imperator, vel Rex præeſt in temporalibus, per poteſtatem, quam habet à Papa. Ioa. de Tur. cre. d. 96. can. Duo ſunt a. 3.

15 Cęli huic ſublunari mundo dominantur, vt potè, cui calorem, virtutemq; influunt, quibus fouetur, ac vegetatur. Vnde Ariſt. 1. Meteor. Neceſſe eſt mundum hunc inferiorem

rem ſubiectum eſſe lationibus ſuperioribus, vt eius inde virtus gubernetur, & Gen. 1. creatus eſſe ſol legitur, vt præſit diei, lunaquè, vt præſit nocti. Dominic. Sot. de Iuſt. & Iu. lib. 4. q. 1. a. 2.

16 Sicut in cęlo, ità, & in terra voluit duo eſſe luminaria: nēpe auctoritatem Sacram Pontificum, & Regalem poteſtatem, vt habetur diſt. 96. can. Duo. Haud ergo expedit ciuilem iuriſdictionem cum eccleſiaſtica commiſceri. Dominic. Sot. de Iuſt. & Iu. lib. 10. q. 4. a. 5.

CONCLVSIONES.

1 AVGMENTVM *lucis, quod ſunt habituri cæli in die iudicij, non erit reſtitutio.*] Omnes Theologi dicunt, in die iudicij, quando mundus innouabitur, aſtra, corporaq; cæleſtia cremento lucis debere decorari. Sed in hoc diſcrepant, quoniam aliqui putant, ob delictum Adæ, ſolem, & lunam plurimum ſuę lucis amiſiſſe. Imò Gloſa ſuper illud Iſa. 30. Erit lux lunæ, vt lux ſolis, ait, quòd cùm omnia facta ſint propter hominē, in eius lapſu peiorata fuere, ſolq;, & luna in ſuo lumine miniorata; Atq; eadem ratione in mundi conſummatione debet eis lumen reſtitui, quare illud ſeptempliciter ſolaris lucis, de quo fit ſermo in præcitata Iſaiæ auctoritate, dictum putant, quia reſtituetur ei lux, qua ſeptem illis diebus ante hominis caſum promicauit. At verò minimè credendū eſt, quippiam reale luminis illis luminaribus fuiſſe ademptum: quoniam per naturam id fieri nequiuerat: Quod autem Deus propter peccatum Adæ illorum lumen extenuaret, nō eſt credibile, vt toto mundi decurſu pręter ſuam eſſent naturam quodam modo truncata. Adde, quod lumen hoc, quo nunc lucent, eſt totum, quod ſuę naturæ conuenit, alioquin aſtra non eſſent idonea, & ſufficientia ad conſeruandum humanum genus. Quod ſi hoc eſt naturale, non habuiſſent in ſtatu naturæ integræ aliud vehementius. Nam aliàs illud fuiſſet ſupranaturale: eſſetq; nimium excellentius, quàm vt homi-

homines illud ferre poſſent, neq; ad aeris temperamentum eſſet idoneum. Immo ſequeretur, quod luna tunc, vt ait propheta, tantùm luceret, ſicut modo ſol, atq; adeo, quando eſſet in oppoſitione ſolis, in nullo hemiſpherio fieret nox, contrà illud Gen. 1. luminare maius, vt pręeſſet diei, & luminare minus, vt praeeſſet nocti. Igitur nullo modo illa fuerunt propter peccatum minoris lucis. Sed in gratiam illius Gloſſæ, intelligendum eſt, reſpectu humani vſus, quia inclementia aeris, quę propter frigus, vel æſtus accidit, eſt nobis in pœnam peccati, quę anteà fuiſſet naturalis. Quemadmodum terra maledicta fuit in opere ſuo, vt ſpinas, & tribulos germinaret. Non quod eoſdem anteà non germinaſſet, quia ſunt naturales, ſed quia non eſſent in pœnam hominibus moleſti. Fit ergo ex ijs conſequens, quod augmentum lucis, quod habituri ſunt cæli in die Iudicij, nō erit reſtitutio illius, quod perdiderunt, ſed ornamētum illius innouationis. Dominic. Sot. 4. ſent. d. 48. q. 2. a. 3.

2 ¶ *Conſtitutiones Eccleſiaſticæ præeminent ciuilibus.*] Conſtitutio Eccleſiaſtica ab ampliori claritate deriuata eſt: legitur enim Gen. 1. Fecit Deus in cęlo duo luminaria magna, ſed, ſecundùm allegoricum ſenſum, per cælum intelligitur ipſa vniuerſalis Eccleſia, per ſolem, & lunam duę principales auctoritates, quibus regitur tota Eccleſia, ſcilicet, Papalis, & Regalis, vt deducit etiam Innoc. de maio. & obed. can. Solitæ. Per ſolē intelligitur Papalis, ſicut per lunam Regalis. Sed id, quod procedit à ſole maiori claritate ſplēdet, quàm id, quod procedit à luna: cum ſol maior ſit nobilitate, virtute, & claritate, ergo ſequitur, quòd conſtitutiones Eccleſiaſticæ, quæ procedunt à poteſtate Papali, præemineant ciuilibus, quæ procedunt à poteſtate Regali. Et hinc eſt, quod, vt habetur 2. q. 3. §. Hinc colligitur, leges ſeculi non dedignantur ſacros canones imitari. Quò fit, vt, ſi lex ciuilis contraria reperiatur conſtitutioni Eccleſiaſticæ, omninò poſt ponenda ſit; & conſtitutio eccleſiaſtica ſuſcipienda, & proſequenda, ità habetur, diſt. 10. per quatuor priores canones. Ioa. de Tur.

Crem. cit. diſt. Can. lege Imperatorum. Si dicatur, Imperium in humanis præſidet, Sacerdotium in diuinis, quia luna præeſt nocti, ſol diei; Ergo ſaltem in humanis, ſiue temporalibus leges Imperiales, ſiue ciuiles præeminent Eccleſiaſticis. Reſp. Imperator non præſidet in humanis vniuerſaliter, cùm Papa in multis etiam humanis præſideat, in quibus Imperator nullam habet iuriſdictionem. Deinde in alijs, in quibus præſidet; ſi conſtitutio ciuilis, ſic opponeretur Eccleſiaſticæ, quòd verteretur in periculum animæ, præponenda eſſet Eccleſiaſtica ciuili, immo in tali caſu, vt dicit Ioa. And. Papa poteſt tollere conſtitutionem Imperialem, vt patet de Iudi.c. Nouit.& de Præſcript.c.fi.& de ſecundis nupt.c.pen. & vlt. Hæc ille. Vide quoq; Silueſtrum v.lex. quæſ.ij.

3 ¶[*Poteſtas Eccleſiaſtica, & Ciuilis ſunt diſtinctæ.*] Innocentius tertius, vt habetur de maior. & obed. c. Solitæ, ſcribens Conſtantinopolitano Imperatori, dicit. Præterea noſſe debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli, luminare maius, vt præeſſet diei, luminare minus, vt præeſſet nocti: vtrunq; magnum, ſed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, ideſt, duas inſtituit dignitates, quæ ſunt, pontificalis auctoritas, & regalis poteſtas. Sed illa, quæ præeſt diebus, id eſt, ſpiritualibus maior eſt: quæ verò carnalibus, minor, vt quanta eſt inter ſolem, & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur. Hæc ille. Duo luminaria diſtincta, duæ igitur poteſtates diſtinctæ. Aſſertio quoq; eſt Pelagij Papæ, cit. can. Duo ſunt. Confirmaturq; ratione, Potentiæ, & artes, vt 2. Eth. auctor eſt Philoſophus, per actiones differũt, & actiones per obiecta & fines, quo actiones diriguntur: ſed in corpore miſtico chriſtiano ſunt duo fines, vnus naturalis, quo ciuilis adminiſtratio tendit, nempe pax, & tranquillitas re p. & alter ſupra naturalis, qui in diuino conſpectu poſsidetur, quem, vt ait Paulus, neq; oculus vidit, neq; auris audiuit: ergo ſunt poteſtates diuerſæ ad illos conſequendos. Ratio eſt Hug.

par.

par. 2. de ſacrament. vbi ait, quòd, cùm duę ſint vitæ, vna terrena, & altera ſpiritualis, vt vtraq; in iuſtitia ſeruetur, & vtilitas proueniat, neceſſaria eſt duplex poteſtas ad conſeruationem Iuſtitiæ; vna, quæ pręſit terrenis, ad gubernandam ciuilem vitam, atq; altera, quę præſit ſpiritualibus, ad componendam vitam ſpiritualem. Dominic. Sot. 4. ſent. d. 25. q. 2. a. 1.

4 ¶ *Poteſtas ſpiritualis præſtantior eſt ciuili.*] Præſtantior quippe eſt ſol luna, anima corpore. Comprobaturq; ratione, Vt 1. Eth. auctor eſt Philoſophus, qualis eſt ordo inter fines, talis eſt inter facultates, & artes, quæ illos habent propoſitos fines. Ob id enim equeſtris ars præſtantior eſt fræni factiua, & nautica ſuperior arte extruendarũ nauium, quòd fines illarum ſint finibus iſtarum ſuperiores: & ideo equeſtris pręcipit fręnifactiuę, qualiter debeat fręnum fabrefacere, & nautica nauium factiuę, qualiter debeat nauim conficere. Cum ergo finis ſpiritualis poteſtatis ſit, vt diximus, ſempiterna beatitudo, & finis poteſtatis ſecularis ſit tranquillus ſtatus Reip. qui ad illam ſupernam beatitudinem refertur, fit, vt Eccleſiaſtica poteſtas ſublimior ſit. Dominic. Sot. eo loci.

5 ¶ *Excellentia poteſtatis eccleſiaſticæ reſpectu ciuilis non eſt huius rationis, vt Papa ſit dominus totius orbis in temporalibus.*] Etenim ſol factus eſt, vt præſit diei. Luna verò, vt pręſit nocti. Non loquimur de peculiari regno, ſi Pontifex maximus earum vrbium, & prouinciarum, quarum habet in temporalibus ſupremum dominium, verè ſit Rex temporalis, cum in illis nullum in terris ſuperiorem agnoſcat. Hoc enim adeò non inficiamur, vt fateamur, ad eius munimen, & ſplendorem pertinere. Sed de vniuerſali regno orbis, aut totius, aut Chriſtiani. Nam ſi papa eſſet ſupremus dominus omnium, non eſſent duę poteſtates, ſed vna. Tunc enim ſicut Antiſtites omnes ſubduntur Pontifici ſummo, & duces Regi, eadem ratione, & forma Reges ſubderentur Pontifici maximo, ab illoq; prorſus eodẽ modo penderent:

derent. Quare ſicut tota poteſtas Eccleſiaſtica eſt vna, & tota ciuilis vna, pari modo, tunc ambæ ſimul eſſent vna. In Papa igitur nulla eſt poteſtas merè temporalis, vt in Regibus, prçterquàm in terris ſibi ſeculariter ſubditis. Id quod Caiet. fidus eius ſedis defenſor, in Apologia de poteſtate Papæ c 6. adſtruxit. Et ratio eſt, quia huiuſmodi poteſtas merè temporalis non eſt ad regimen eccleſiç neceſſaria. Dominic. Sot. eò. loci. lege ſolutionem 14. & 15.

6 ¶ *Poteſtas quæcunque ciuilis Eccleſiaſticæ ſubiecta eſt in ordine ad ſpiritualia.*] Nam ſicut luna à ſole, ità & ab ſpirituali poteſtate ciuilis recipit lumen: ſic enim Rex temporalia regere debet, & gubernare, vt ſpirituali Religioni ſubſeruiant. Et propterea poteſtas quæcũque ciuilis eatenus eſt eccleſiaſticæ ſubiecta in ordine ad ſpiritualia, vt Papa poſſit per ſuam ſpiritualem poteſtatem, quoties ratio fidei, & Religionis exegerit, non ſolùm eccleſiaſticarum cenſurarum fulminibus aduerſus Reges agere eoſque cogere, verũ & cunctos Chriſtianos Principes temporalibus bonis priuare, & vſque ad eorum depoſitionem procedere. Dixerim per ſuam ſpiritualem poteſtatem, quia poteſtas Pontificis, quatenus Pontifex eſt, non eſt merè temporalis, ſed temporali vtitur, vt ſpiritualis miniſtra. Poteſtas nanq; eccleſiaſtica, non ſolum eſt præſtantior ciuili, eò quòd eius finis; qui eſt æterna beatitudo, eſt perfectior, & ſublimior felicitate ciuili: ſed ea inſuper ratione, quòd felicitas ciuilis non eſt ſatis in ſe perfecta, atque adeò, per ſe eſt ordinata, & relata ad cæleſtem beatitudinem. Volo dicere, non eſſe, ceu duas Reſpub. omnino diſtinctas, & diuerſas, quarum nulla pendet ex altera, quales ſunt Gallorum, & Hiſpanorum, vel quales erant Romana, & Athenienſis. Nam ex ijs, quamuis vna eſſet prçſtantior, & perfectior altera, tamen neutra tenebatur alteri inſeruire. Non ſic, inquam, ſunt conferendç poteſtates ſpiritualis, & ciuilis. Sed ciuilis, quæcunquæ ſit, refertur ad ſpiritualem, quç vnica eſt omnium Chriſtianorum, eo quod humana felicitas per ſe eſt ad diuinam ordinata.

nata. Neque ſunt, vt duæ artes prorſum diuerſę, ſcilicet, vt ferraria, & lignaria, ſed ſicuti ars armorũ fabri factiuã ordinatur ad militarem, & nauium ſtructoria ad artem nauigãdi: quarum inferior tenetur arma, & naues taliter fabricare, vt non deuient à fine artis ſuperioris, atque adeò, vt ait 1. Eth. philoſophus, Superior artifex præcipit inferioribus, qualiter debeant operari: quia ipſe eſt iudex inferiorum artium. Pari enim modo, ciuilis Reſpub. ad ſpiritualem refertur: ambæ enim ſimul in vnum corpus myſticum compinguntur, quod ex ambabus conſtat, vt ad Rom. 12. luculenter declarat Paulus: In vno autem corpore omnia membra debent ad vnum caput referri, non autem ſpiritualia ad temporalia ordinãtur, quę minus perfecta sũt, ergo e diuerſo tẽporalia debent ſpiritualium iudicio ſubeſſe. Neq; verò obſtat, quod ſuprà diximus, ſcilicet, Regem in temporalibus ſupremam habere poteſtatem, quia cum hoc ſtat, ſic ſubordinatam eſſe ſpirituali, vt ab illa deuiare non debeat. Dominic. Sot. eo loci. Et quantùm ad omnia, ſimilitudo ſolis, & lunæ optima eſt, Pręeſt quidem luna nocti, at ex interpoſitione terræ fit Ecclipſis. Non ignorabat Innocentius, qui prædicta ſimilitudine vſus eſt, ex ſolo ſacræ ſcripturæ ſenſu litterali efficax déſumi argumentum, vt docet Auguſtinus in Epiſtola ad Vinc. Donat. propterea in citato Canone, Solitę, ſubdit efficacem rationem. Nobis enim, inquit, in beato Petro ſunt oues Chriſti commiſſę, nullo diſcrimine inter has, & illas interiecto: & quod ad Petrum Chriſtus dixit, in ipſo ad eius ſucceſſores dixit. Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. nihil excipiens. Pontifex igitur maximus, Paſtorum ſummus, atq; vniuerſalis à Chriſto conſtitutus eſt totius Chriſtiani gregis: paſtoris autem officium eſt errantes oues cuiuſcunque ſint ordinis & dignitatis in viam reuocare, & quacunque ratione compellere: ergo per illam paſtoralem poteſtatem poteſt, dum opus illi fuerit, temporalibus vti. In quo ſenſu etiam intelligendus eſt Nicolaus Pontifex can. omnes. 22. diſt. Chriſtus (inquit)

beato Petro ęternæ vitę clauigero terreni ſimul, & cęleſtis Imperij iura commiſit. Per iura enim terreni Imperij intel lexit poteſtatem terrenam bonorum, & principum tempo ralium, non abſolutè, ſed in ordine ad ſpiritualia. Quamuis enim Rex alijs iniuriarum generibus, citrà periculum fidei, regni gubernacula adminiſtret, nihil ad Papam, niſi per modum correctionis fraternæ. Si verò, vt verbi gratia dicamus, aut leges in detrimentum fidei Rex Chriſtianus conderet, ſcilicet ſacramentis, vel quomodolibet Religioni Chriſtianæ aduerſas, aut ſi Papa concilium indiceret, quod Rex contrà ius, & fas impediret, aut ſi hęreticis, infidelibusue fidem noſtram oppugnantibus, aut ſchiſmaticis, ſuppetias iret, aut aliam quamuis perniciem, vel ſedi Apoſtolicæ, vel eccleſiæ, obmoliretur, tunc Papa poſſet, non ſolùm ſpirituali, verùm etiam temporali gladio, aduerſus eum agere. Quare nunquam, niſi cauſſa fidei, regna per Pontificem mutata ſunt: Hac enim de cauſſa Stephanus Papa tranſtulit imperium a Græcis in Germanos, vt patet c. Venerabilem, de elect. & c. licet, de foro competenti. Et Innocentius Quartus Regi Portugallię regni adminiſtrationem interdixit. vt in c. Grandi, de ſupplenda negligentia Prælatorum. lib. 6. Idem Dominic. Sot. eo loci. Ne autem decipiaris ex eo, quod dixit, quamuis Rex alijs iniuriarũ generibus, citra periculum fidei, regni gubernacula adminiſtret, nihil ad Papam, niſi per modum correctionis fraternæ, notato, primum, quod addi poteſt, & Religionis, quod ex eodem Dominc, ſot, loco ſepius citato non ſemel colligitur, Vel vti poteris verbis Nauar. In Relect. cap. Nouit. De iudic. Not. 3. nu. 124. ſcilicet, citra impedimentum ſupernaturalis beatitudinis conſequendę, & aliorum ſupernaturalium in eccleſia chriſtiana exercendorum. Hoc enim impedimentum effecit, vt poteſtas eccleſiaſtica extēderetur ad transferendum imperium a grecis in latinos, & ad ponendas in illa tranſlatione leges, per quas ſatis conſultum eſſet eccleſiæ chriſtianę, & fidelium ſaluti eternę, & ſupernaturalium exercitio: In quibus

bus fuit illa, perquam conſtitutum fuit, ad quos pertineret electio Imperatoris, & ad quem confirmatio, & adquem cognitio vacante imperio, & id genus alia. Ampliſſimā enim poteſtatem tēporalem habet Papa ſupra omnes principes, & reges, & imperatorem in ordine adfinem ſpiritualem, vt docet Franciſcus de Vict. Releċt: de poteſtat. eccl. Queſt. illa, vtrum poteſtas ſpiritualis ſit ſupra poteſtatem ciuilem. Propoſit. octaua. Secundò, quod ſermo eſt deforo exteriori, ita enim idem Dom. ſot. art. ſepius cit. in calce habet, Quod ſi arguas, omnium peccatorum Papam eſſe iudicem: reſpondetur, hoc eſſe verum in foro ſpirituali, ſed inforo exteriori, nōn niſi cauſarum eccleſiaſticarum: ciuiles autem per iura ciuilia ſunt iudicandæ, niſi dum inter reges, iuribus omnibus ciuilibus conſultis, conueniri non poſſet: tunc enim Papa per viam correctionis fraternæ poſſet ſe in medium inducere, iuxta tenorem capit. Nouit. extra de iudic. Hęc ille. Intellige ſemper citra præiudiciū fidei &c. Quia ſi principes inter ſe belligerant de aliqua prouincia cum manifeſto detrimento, & malo religionis; non ſolum poteſt interdicere eis bellum, ſed ſi aliter conuenire non poſſunt, poteſt iudicare inter illos per authoritatem propriam, & dare ius vni eorum, & auferre alteri. Franc. de Vict. vbi ſupra. Tertio, per hoc quod dicit, Niſi per modum correctionis fraternę, non intendit negare poteſtatem eccleſiaſticam extendi ad cognoſcendū de omni peccato mortali cuiuſlibet chriſtiani, etiam laici: & ad compellendum eum per cenſuram eccleſiaſticam, quo ab eo diſcedat, quoniam loquitur iuxta tenorem cit. capit. Nouit. ex quo hoc, quod dictum eſt manifeſte colligitur, vt diffuſe oſtendit Nauar. vbi ſupra. Notab. 6. a. nu. 1. vſq; ad 15. Et præcipue nu. 1. poſtquam retulit illa verba cit. capit. Nullus, qui ſit ſanæ mentis ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet, de equo cunque mortali peccato corripere quemlibet chriſtianū, ſubdit, perpende verba illa, quemlibet chriſtianum. Et ne dicas, per hæc verba ſolum probari, eam extendi quo ad correctionem, quę ſine

vlla iuriſdictione a quolibet etiã priuato fieri poteſt. perpende illa, quæ ſequũtur, nempe, & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem eccleſiaſticã coercere. perpende item illa ſuperiora, Dic eccleſiæ. Quorſum enim ei diceretur, ſi ipſa non poſſet cognoſcere, & caſtigare? perpende etiam illa: & ſi eam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus, & publicanus. Hæc ille. Si autem dixeris, ex hoc conſequi, omnes cauſas fori ſecularis poſſe trahi ad eccleſiaſticum, cum ferè omnes illę, ſiue tangant vltimas voluntates, ſiue contractus, ſiue delicta, & iudicia, ſuper peccatis mortiferis vertantur: quippè quę mouentur ſuper in iniuſtitia, quam conſtat ſuapte natura eſſe peccatum lethale. vt habet D. Tho. 2. 2. q. 59. art. 4. Reſpondet loco cit. nu. 19. quod licet omnes ferè cauſæ, quæ vertuntur coram iudicibus tam ſecularibus, quam eccleſiaſticis, vertantur ſuper iniuſtitia, quæ ſuapte natura eſt peccatum mortale, vt argumentum probat, non tamen vertuntur ſuper ea, quatenus eſt peccatum lethale occidens animam, & priuans eam vita diuinę gratię: ſed quatenus eſt iniuſtitia quedam, & iniquitas contra rationem naturalem, & leges per eam cõſtitutas admiſſa. Et ſi rurſum inſtes, actores id volentes poſſe trahere reos, ſaltem indirecte, ſuper omnibus cauſis ad forum eccleſiaſticum: quia ita poſſent concipere libellos petitorios, vt concluderent eos peccare, & in peccando perſeuerare. Qui enim emit equũ, poteſt in ſuo libello ſcribere, venditorẽ non tradidiſſe equũ ei, quando, & vbi tenebatur: & ita peccaſſe, perſeuerareque in peccando: quia neque nunc, vt oportet, tradit: & ſic de alijs. Reſpondet nu. 22. quod actor quidem conuenire poteſt hoc modo reum indirecte coram eccleſiaſtico iudice ſuper quocunque peccato lethali, & iudex ipſe de illo cognoſcere, niſi reus excipiat. Reum autem excipere poſſe, non quidem, quod iudex eccleſiaſticus non eſt cõpetens ad cognoſcẽdum de tali cauſa, tali modo propoſita: ſed quod actor malitioſe, dolo, ac fraude videtur eum trahere ad forum eccleſiaſticum ommiſſo ſeculari, cuius iudicio ſe ait pa-

ratum

ratum ſtare. Et hanc exceptionem admittere tenebitur eccleſiaſticus: eo quod ſacroſancta mater Eccleſia fraudem & dolum plurimum odit. cap. ſedes,& cap. extenore. de reſcript. Atqui poteſt directe conuenire laicum chriſtianum coram laico iudice ſuper aliquo, & ſperat, vel ſperare debet,ius ſuum ſibi ab eo reddendum,& conuenit indirecte illum coram eccleſiaſtico, merito videtur potius ſimulare ſequęrere, quam vere velle ea,quę ſunt chriſti, ſcilicet, vt conuentum peniteat peccati, quo mortuus iacet, & ſatisfacto conueniente, Deo fiat gratus. Videtur (inquam) hoc ſimulare, cum potius credatur velle principaliter ſuam ſatisfactionem: & ita merito pręſumitur id facere animo fraudandi poteſtatem laicam, aut reum artibus exquiſitis vexandi. Et ideo Eccleſia merito non admittit talem actorem, cum tamen admittat alios, qui deſtituti remedio in foro ſeculari ad eccleſiaſticum recurrunt. Hæc ex illo ſummatim. Quarto, per hoc, quod dicit, Niſi per modum correctionis &c. Non putes ipſum probare errorem Ocham,in dialog. lib. 6. cap. 8. & in fine dialogi, & Gerſon. lect. 4. de vita ſpirituali, ſcilicet, quod Papa non omnia peccata poteſt punire ſententia excōmunicationis,puta peccata,quæ ſunt contra legem naturæ, ſed ſolum,quę ſunt directe contra Euangelium, vt de ſacramentis, & fide. Hoc enim eſt contra Paulum 2. corint. 5. vbi excommunicat in ceſtum, quod tamen peccatum eſt contra naturam. Ex Franc. de Vict. vbi ſupra in calce. Quinto, quilibet catholicus memoriæ commendare debet illa D.Bon. verba,4.Sent.d.20.queſt.penult.in calce. Quicquid (inquit) loquamur diſputantes, vel etiam prædicantes, hoc ſana fide tenendum eſt, quod dominus vicario ſuo plenitudinem poteſtatis contulit, & tantam recepit poteſtatem, quanta debebat homini puro dari. Et hoc ad edificationem corporis ſui, quod eſt eccleſia, vnde ſuper hoc non iudicare, ſed gratias plurimas Deo debemus agere. Hęc ille. Vtrum autem debuerit homini puro dari tanta poteſtas,vt eſſet iudex ſummus tam in temporalibus, quam in

ſpiri-

ſpiritualibus, atque adeò vt ad ipſum pertineret reges, ac principes ſeculares inſtituere, qui ideo eſſent ſicut eius vicarij delegati: quã opinionem ebibit Auguſt. de Anch. in tract. de poteſt. Eccleſ. quem ſilueſter V. Papa. ff. 2. ſequutus eſt; cuius etiam patronus fuit Panormitanus, atque alij iuriſperitorum complures, ipſe ſummus Pontifex iudex exiſtat.

QVAESITA.

1 SI luna fuit condita cum ſole, propter quid annus lunaris non continet tot dies, quot ſolaris? Annus enim ſolaris continet trecentos ſexaginta quinq; dies cum quadrante; vnde computantur in anno biſextili trecenti, & ſexaginta ſex. Annus verò lunaris continet trecentos quinquaginta quatuor. Reſpondetur, ſol fuit conditus quarto die mundi: luna verò fuit condita perfecta ſiue plena, ſicut dicit Damaſc. Decebat enim eam completam in lumine fieri. Auguſtinus nõ hoc diffinit, ſcilicet, quod in plenilunio: ſed quòd perfecta, ſic argüit, quia à perfectiſsimo conditore condita. Cùm ergo luna eſſet condita plena, ſol autem in quarto die mundi: oportuit, quòd anticiparet cum ſole vndecim diebus, vt ſic eſſet quinta decima, & ſic eſſet quaſi in oppoſitione ſolis: Et ex hoc, proceſſu temporis accidit, quòd annus lunaris excedebatur ab anno ſolari, ſicut dicit Damaſc. Alex. 2. p. q. 52. m. 2. a. 2. in calce.

2 Si quæratur, quare Eccleſia magis accipit feſta ſua ſecundùm ſolem, quàm ſecundùm lunam, exceptis duobus: prolixa eſt huius quæſtionis determinatio, & planè inueniri poteſt in libro Auguſtini ad Ianuarium. Hoc quantum ad præſens ſufficiat, quod, quia Synagoga in tenebris noctis ambulat, & minuenda erat, ideo à luminari, quod nocti pręeſt, & quod minuitur in cõſummatione, accipiebat ſuarum ſolemnitatum diſtinctionem, iuxtà illud, Eccl. 43. A luna ſignum dies feſti. Quia verò Eccleſia iam ambulat in lumine, ſicut de ipſa dicitur, Apoc. 12. Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, ideo menſes computat, & dies ſolemnes magis

ſe-

ſecundùm motum ſolis, quàm lunæ, excepto ſolo Paſchate, & per conſequens, Pentecoſte. Paſchalis enim ſolemnitas, non ſolùm celebratur in commemoratione reſurrectionis præteritæ, ſed etiam in præfiguratione reſurrectionis futuræ: & in hoc Eccleſia quodãmodo eſt conformis Synagogæ, vnde feſtiuitatem illam obſeruat à luna, nõ iudaizando, ſed potius illam futuram ſolemnitatem, quam expectat, ſecundùm quòd ſibi competit, præ ſignando. D. Bon. 2. d. 14. cir. litt. dub. 4. Vita nanq; fidelium, & ſi in comparatione ad impios, dicatur lux. Ephe. 6. Fuiſtis aliquando tenebrę, nunc autem lux in Domino: attamen, in comparatione ad vitam gloriæ, tenebroſa dicitur. 2. Pet. 1. Habetis propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucẽti in caliginoſo loco.

AD ARGVMENTA.

Ad 1 NOSTRA trãslatio apertius deſignat, quæ dicit, vt pręſint diei, & nocti. Sol enim pręeſt diei in lumine, & luna præeſt nocti: non quòd ſemper luceat luna in nocte (cũ enim coniugitur ſoli, non tunc apparet lumen eius) ſed hoc eſt, quia dominantur in die, ac noctę quo ad effectus, qui maximè penes iſta luminaria diſtinguuntur: ſed ipſa eſſentia noctis per defectum ſolis in noſtro hemiſpherio determinatur. Rurſum, per inchoationẽ, vt Auguſtinus dicit, deſignatur principium, nomine verò principij deſignatur principatus: ſic enim eſt in Græco, quod dicitur Archin: vnde notatur principatus ſolis, tanquã luminaris in die, & lunæ, tanquã luminaris in nocte. Vnde Auguſtinus contra Manichęos. Si per Inchoationem principium intelligas, & per principiũ principatum, manifeſtum eſt, quoniam ſol per diem principatum tenet, luna per noctem: quia, etſi cætera ſidera tunc appareant: illa tamen ſuo fulgore omnia ſuperat: & ideo princeps eorum rectiſsimè dicitur. Alex. Ad declaratione prędictorum faciunt, quæ idem Doctor irrefragabilis 3. p. q. 1. m. 3. dicit. Nimirum quærens, An in Chriſto, pręter gra-

tiam capitis, ſit ponenda gratia ſingularis perſonæ, arguit, quòd non. Maior lux abſorbet minorem: gratia vnionis, qua homo vnitur Deo, vt ſit idem homo quod Deus, eſt maior gratia, quæ poſſit cogitari: vnde eſt ſicut maior lux, gratia verò ſingularis ſanctitatis in homine ſingulari eſt ſicut minor lux, ergo hæc gratia in Chriſto abſorbetur per gratiam vnionis hominis ad Deum; & ità in eo non eſt ponenda talis gratia. Et quæſt. 68.m.7.a.7.arguit ità, ſuperueniĕte maiori lumine, ceſſat minus lumen, quantum ad actum ſuum, ſicut patet in lumine ſolis reſpectu luminis lunæ, & ſtellarum: ergo multò magis, adueniente lumine ſolis iuſtitiæ per gratiam fidei in anima hominis, ceſſabit lumen rationis naturalis, ſeu ſcientię: ergo non poterit idem eſſe ſcitum, & creditum. Reſpondet priori loco. Non eſt ſimile de luce corporali, & ſpirituali. In luce corporali minor lux abſorbetur à maiori: ſed non in luce ſpirituali. Et hęc eſt ratio, quia omnia luminaria corporalia ſunt ad vnũ actũ, ſcilicet, ad manifeſtandum viſibile (& loquor de ipſis quantum ad illuminationem) & ideo, quantum ad manifeſtationem, vnũ abſorbetur ab alio: ſed tamen, quantùm ad virtutĕ, non abſorbetur vna lux per aliam: vnde virtus ſtellæ nõ abſorbetur per virtutem ſolis: nec virtus lunæ: immo retinent ſtellæ, & luna ſpeciales operationes, & influentias ſuarum virtutum ad iſta inferiora. Licet enim luna non luceat de die, vt illuminet nos, tamen retinet ſuam virtutem, nec abſorbetur à virtute ſolis, immo potius ab ipſa fortificatur: & virtutes ſtellarũ ſimiliter. Vnde in luminaribus cęleſtibus fortificatur, & multiplicatur virtus vnius luminaris, quando coniungitur cum alio. In luce verò ſpirituali, quæ eſt gratia: nõ ſunt omnia luminaria ad vnum actum: ſed ad diuerſos actus, per quos dirigunt animam, & illuminant diuerſimodè: ſicut fides illuminat animam, & dirigit ad credendum, & manifeſtat ei, quid debeat credere, charitas ad diligendum. Et propter hoc vna non abſorbetur ab alia in anima, ſed fortificatur per coniunctionem cum altera. Sic ergo in Chriſto gratia

tia vnionis,& aliæ gratiæ non ſunt ad vnum actum: & ideo vna non abſorbetur ab alia. Hęc illę.

Ad 2 Reſponſio patet per hoc, quod dicitur, vt præeſſet nocti. Nullum enim luminare, quantumcunq; ſit, in nocte tantum dominatur. Prætereà, propinquior eſt: vnde ampliorem inducit effectum, & plures. Alex. Luna dicitur luminare magnum, non à quantitate corporis, cum quantitate corporis, minor ſit omnibus corporibus ſimplicibus; ſed à quantitate luminis dicitur luminare magnum, quia plus illuminat cęteris ſtellis, & proijcit vmbram obiecti corporis, ſicut lumen ſolis, hoc enim non faciunt, niſi tria corpora cęleſtia, ſcilicet, ſol, luna, mercurius, qui & heſperus dicitur, & lucifer. Alb. 2.p.q. 59. Sicut Chryſoſtomus dicit, dicuntur duo luminaria magna non tam quantitate, quàm efficacia, & virtute. Quia, & ſi aliæ ſtellæ ſint maiores quantitate, quàm luna, tamen effectus lunæ magis ſentitur in iſtis inferioribus, & etiā ſecundùm ſenſum maior apparet. D. Tho. 1.p.q.70. a.1.ad 5. Sol dicitur magnum luminare, & propter quantitatem, & propter virtutem. Luna verò dicitur magnum, non tam propter quantitatem veram, quàm propter quantitatem apparentem, propter exceſſum claritatis reſpectu aliarum ſtellarum ex propinquitate eius ad nos, & propter euidentiam effectus, quem habet in rebus humidis. D. Tho. in ſcript. d.15. a.1.ad 3. Luminaria dicūtur magna ex eo, quod apparent nobis magna, vel ex eo, quod viſus noſter iudicat ea eſſe magna. Quantumcunq; ergo aliquæ ſtellę, ſecundū ſe ſint maiores luna, viſus tamen noſter nullas iudicat maiores ea. Aegid. d.14.q.3.a.1.

Ad 3 Communiter loquitur de ſtellis, ſiue quę dicuntur fixæ, ſiue quæ dicuntur erraticæ, & firmamentum accipitur pro tota parte quintę eſſentiæ, quæ continet omnia luminaria. Alex. Firmamentum, vel cælum, vbi poſita ſunt luminaria magna, & ſtellæ, poteſt vocari à cęlo cryſtallino vſq; ad globum lunarem, ſecundùm quem modum, Rabanus omnes cælos diſtinxit in tres cælos, videlicet, in Empyreum,

cryſtallinum,& ſidereum; Sic accipiendo firmamẽtum,oportet luminaria magna, & alios planetas, & omnes ſtellas eſſe in tali cælo, Vel, ſi volumus per firmamentum accipere ſolum cælum ſidereum,vbi ſunt ſtellæ fixę,& non planetę,dicimus,quòd ſic ſtat littera Geneſis. Quia fecit Deus duo luminaria magnà,& ſtellas,& poſuit eas in firmamento cæli. Ibi enim ſtellæ non ſtant,niſi pro ſtellis, quæ ſunt in cælo ſidereo, vbi ſunt ſolùm aliquæ ſtellę fixæ. Moyſes enim loquens populo rudi, fecit mentionem de ſole, & luna: quæ quilibet percipit; De alijs autem planetis non fecit mentionem:quia populus rudis neſcit eos diſcernere ab alijs ſtellis, ſtellas autem ipſas dixit poſitas in firmamento cęli. Aegid.d. 14.dub. 4.litter. Sicut, aſtronomicè loquendo, ſol dicitur eſſe in ſigno,quando eſt ſub ſigno Zodiaci,ità planetæ dicuntur eſſe in firmamento, quia ſunt ſub firmamento, & ſub ſignis eius. Alb. cit. 9. 59.

ad 4 Siue ſic,ſiue aliter poſita ſint luminaria in firmamento, ſiue ſint fixa in ſuo orbe,ſiue per ſe mobilia, perſcrutatio horum relinquenda eſt eis, qui circa hæc negociãtur: hoc ſuppoſito, quod dicit ſcriptura. Si verò altera pars per documenta ſacrę ſcripturæ poſsit confirmari,illi parti eſt adhęrẽdum. Alex. De quo dictùm eſt ſuprà.

ad 5 . Sol dicitur quaſi ſolus lucẽs,quia ſolus à ſe habet lumen: nihilominus tamen & ſtellę, & luna luminaria ſunt, mutuato lumine. Alb. Sicut philoſophi probant, & etiã Dio. aſſerit 4. de diu.nom. à ſole illuminantur omnia corpora, & ſuperiora,& inferiora, & non tantùm luna, nec tamen hoc impedit,quin alia corpora luminaria dicantur: quia cùm lumẽ ſolis, vt Dio. dicit, recipiatur diuerſimode in diuerſis corporibus ſecundùm eorum proportionem, quædam corpora recipiunt lumen prædictum, vt lucentia, & radios emittentia, ſicut luna,& ſtellę,& talia poſſunt luminaria, & vaſa luminis dici: quædam autem recipiunt,non vt radios ex ſe emittentia, & hoc dupliciter,vel in profundo,vt aer, vel in ſuperficie,vt corpora opaca: quorum neutrum luminare dici poteſt.

D. Tho.

D. Tho. in ſcript. vbi ſupra. Cum dicitur, luminare videtur quoddam vas luminis, & quoddam, quod de ſe emittit lumen, dici poteſt, quod luna, & ſtellæ habent à ſe aliquid, vnde luceant: ſed illud, quod habent à ſe, non poteſt exire in actum, niſi per lumen ſolis: ſicut, & colores per ſe ſunt viſibiles, non tamen mouent viſum, niſi ſecundum actum lucidi. Et, vt demus ſenſibile exemplum: luna non lucet in parte illa, vbi habet maculam, lucet tamen in alijs ſuis partibus: niſi ergo luna haberet aliquid a ſe, non luceret per hoc, quòd reſpiceretur à ſole, ſicut nec macula eius lucet, quantumcunque reſpiciatur à ſole. Aegid. cit. d. 14. q. 3. a. 2. in calce.

ad 6 Stellæ non dicuntur ſtellę, quia continuè voluantur motu diurno, qui eſt motus primi mobilis, ſed dicuntur ſtellæ, quia imagines, & ordines, in quo poſitæ ſunt, non mutant, ſicut faciunt planetæ: qui aliquando exaltantur, deprimuntur, aliquando in curſu diriguntur, & aliquando retrocedunt; horum enim nihil fit in ſtellis fixis in firmamento. Et propter hoc ſtellę dicuntur: quia motu proprio nihil horũ quę dicta ſunt, fit in eis, ſicut in planetis. Alb.

ad 7 Prima die, lux à tenebris diuiſa eſt in cauſſa imperfecta: ſed quarta die, per luminaria perfecta in forma, & in figura, quæ actu proprio faciunt lucem, & reppellunt tenebras, facta eſt diuiſio: & ideo iſta pertinent ad ornatum, & illa ad diuiſionem. Alb. Licet prius fuerit diuiſio diei, & noctis, non tamen per diuerſitatem luminarium, vt vnum luceat de die, aliud de nocte. Vnde dicit Auguſtinus contrà Manich. Sic dictum eſt, Diuidant diem, & noctem: tanquam ſi diceretur: Sic inter ſe diuidant diem, vt ſoli dies detur, nox verò lunæ, & ſideribus cęteris, quæ duo iam diuiſa erant: ſed nõdum inter ſidera: vt iam certum eſſet de ſiderum numero, quid per diem, quid per noctẽ, appareret hominibus. Alex. 2. p. q. 52. m. 2. a. 1.

ad 8 In illis ornatibus: in quibus uis ſementiua non eſt in elementis, ſed in ſubſtantijs particularibus in ſpecie determinatis, competit benedictio protenſa, qua dicitur, Creſcite

&c.

&c. Quia, ſicut illa per ſe ad eſſe prodire non poterant, ſed virtute Creatoris, ità perſeuerare in eſſe, & propagare ad multiplicationem non poterant ſe, niſi iuſſu Creatoris virtutem acciperent. Sic autem non eſt in cælo,& ornatu eius; quia quodlibet corporum cęleſtium eſt ex materia ſua tota: vt dicit Ariſtot. Et ideo propagatio nulla potuit eſſe in eis. Propter quod non ſubditur, niſi quòd, vidit ea eſſe bona: hoc eſt, lumine ſuæ bonitatis, & placentiæ profudit, vt manerent in eſſe. & conſeruarentur, quæ ab æterno, in diſpoſitione ſapientiæ, facienda vidit, & per actum creationis,ad eſſe deduxit: & ideo tali opere perfecto in cælo, ſtatim ſubditur, Factum eſt veſpere, & mane dies quartus. Alb.

ad 9 Lunà, quando eſt perfecta, oritur veſpere, & occidit mane, & ſic pręeſt nocti. Et ſatis probabile eſt, quod luna fuerit facta plena: ſicut,& herbæ factæ ſunt in ſua perfectione, facientes ſemen: & ſimiliter animalia,& homo. Licet enim naturali proceſſu ab imperfecto ad perfectum deueniatur: ſimpliciter tamen,perfectum prius eſt imperfecto. Aug. tamen hoc non aſſerit: quia dicit,non eſſe inconueniēs, quod Deus imperfecta fecerit, quæ poſtmodum ipſe perfecit. D. Tho.

ad 10 Quamuis luna in die appareat, non tamen lumen eius in die dominatur, propter præſentiā maioris luminis: & ideo dicitur nocti præeſſe, & non diei. D. Tho.

ad 11 Non ſequitur, lux cęleſtium corporum per eſſentiam minorata non eſt homine peccante, non igitur realiter in eius glorificatione augenda eſt. Quoniam peccatum hominis non immutauit ſtatum vniuerſi. Homo enim prius, & poſt, animalem vitam habuit, quæ motu, & generatione creaturæ corporalis indiget; Sed glorificatio hominis ſtatū totius creaturę corporalis immutabit,ideo nō eſt ſimile. Vnde non indigebit creaturis ad ſuſtentationē vitæ corporalis, ſed ſolùm ad cognitionem Dei, quia oculus carnis diuinę eſſentiæ viſionem attingere non poterit. Quo fit, ad hoc innouationem mundi ordinari, vt, etiam mundo innouato, manifeſtis indi-

indicijs, quaſi ſenſibiliter, Deus ab homine videatur: creatura autem, præcipuè in Dei cognitionẽ ducit ſua ſpecie, & decore, quæ manifeſtant ſapientiam facientis, & gubernantis. Vnde dicitur ſap. 13. A magnitudine ſpeciei cognoſcibiliter poterat Creator horum videri: Pulchritudo autem cæleſtium corporum præcipuè conſiſtit in luce. Vnde Eccl. 43. Species cęli gloria ſtellarum: mundum illuminans in excelſis Dominus. Et ideo præcipuè, quantùm ad claritatem corpora cæleſtia meliorabuntur: Quantitas autem, & modus meliorationis illi ſoli cognita eſt, qui erit meliorationis auctor. D. Tho.

ad Ornamenta terræ, & aquę, quia corruptibilia ſunt, re-
12 quirunt multitudinem in eadem ſpecie. Corpora autem cęleſtia etiam ſunt diuerſarum ſpecierum; lux enim non eſt forma ſubſtantialis eorum, cùm ſit qualitas per ſe ſenſibilis, quod de nulla forma ſubſtantiali dici poteſt. Et præterea, nõ eſt eiuſdem rationis lux in omnibus, quod patet ex hoc, quod diuerſorum corporum ſuperiorum radij diuerſos habent effectus. D. Tho. Cæterum Comment. 2. Cæl. comm. 59. arbitratur omnia corpora cæleſtia eſſe eiuſdem ſpeciei, vnde ſecundùm ipſum non plus differunt duo cæli, & duo aſtra, quàm Sortes, & Plato: Et per conſequens, non habent virtutes varias, & diſtinctas ſpecie, nec productiuas effectuum diſtinctorum ſpecie, quales ſunt calefacere, & infrigidare. Vide 2. Cæl. com. 42. De Angelis verò, vtrùm ſint vnius ſpeciei, D. Tho. Vldaricus, & Argent. negant, immo opinantur, Angelos ſub eadem ſpecie non eſſe multiplicatos. Alb. verò, Gulliel. Paris. & D. Bon. cenſent, omnes Angelos vnius ſpeciei eſſe. Plures autem Angelos eſſe ſub vna ſpecie fatentur Alex. Ric. Henric. Dur. & Scotus; Placetq; Scoto, quòd omnes Angeli vnius ordinis ſint eiuſdem ſpeciei. Diſtinctio namq; illa in ſupremos, medios, & infimos, attendi poteſt ſecundùm accidentalia. Conſentit Cartuſia. 2. d. 3. q. 3. vbi, & prædictorũ Doctorũ placita recitat. Ego ſẽper credidi, Deũ poſſe ſub eadẽ ſpecie Angelos

multiplicare, verùm de facto multiplicati ſint, ignotũ nobis eſſe: cùm nec ratione, nec auctoritate conſtare poſſit.

ad 13 Cùm luna dicitur facta, vt præeſſet nocti, non aſſignatur ratio productionis ſubſtantiæ; ſed paucitatis luminis, vt eſſet tantum, quod compareretur noctem. Secundùm ſubſtantiam verò facta eſt propter perfectionem vniuerſi. Et quoniam non erit tunc nox, ſed dies perfecta, dabitur lunæ luminoſitas competens diei, qualis eſt luminoſitas ſolis: & ſolis luminoſitas creſcet vſq; ad perfectum diem. D. Bon.

ad 14 Expoſitio illa myſtica eſt, & Theologia myſtica non eſt argumentatiua, Deinde licet luna, id eſt, temporalis poteſtas illuminetur a Sole, id eſt, à ſpirituali poteſtate, lumine, ſcilicet; doctrinæ fidei, propter quam illuminationem, ſacerdotes dicuntur patres, & magiſtri Regum, vt in Can. Quis dubitet, cit. diſt. 96. Non propter hoc ſequitur, quòd poteſtas ipſa ſecularis dependeat in ſua inſtitutione à ſpirituali poteſtate. Vnde luna, licet illuminetur à ſole, non tamen producitur ab eo, ſed ambo à Deo creata ſunt. Et ità etiam, licet ſit ordo inter Angelos, vt inferiores illuminentur à ſuperioribus, inferiores tamen ità immediatè creati ſunt a Deo, ſicut ſuperiores. Sic videtur eſſe in propoſito. Ioa. de Tur. Crem. Non intendit dicere, quòd poteſtas ſecularis ſit immediatè à Deo, ſicut ſpiritualis; cùm in corpore quæſtionis docuerit, poteſtatem ſecularem, ſiue regalem, ſecundùm eſſe ſuum materiale, ſiue imperfectũ, ſiue ſecundùm ſubſtantiam, (vt ità dicatur) nõ dependere à poteſtate ſpirituali, ſed a Deo, mediante naturali hominum inclinatione; & ſecundùm eſſe perfectum, & completum eius dependere quodam modo à ſpirituali: quia poteſtas ſecularis veram, & perfectam rationem poteſtatis ſortitur ex formatione, ſeu deriuatione poteſtatis ſpiritualis, eo modo, quo virtutes morales à fide Chriſti dicuntur habere completam rationem virtutis, quia ſine fide non ordinant hominem ad finem vltimum, quæ eſt ſuprema beatitudo, ſed ad vltimum finem ſecundùm quid in aliquo genere, videlicet, ad eum, qui

 non

non excedit facultatem hominis, vt docet. D. Thō. 12. q. 65. a. 2. & 22. q. 23. a. 7.

ad 15 Dominium non competere, neq; in ſenſibilibus, neq; brutis animalibus; ſed ſolis illis, qui intellectu, & libero arbitrio vigent, inferiùs oſtendetur, ſuper illud, Faciamus hominem ad imaginem &c. Dicuntur autem cæli prædominari, quia eorum influxu hæc inferiora coaleſcunt, fouentur, alterantur, ac ſubmutantur, ſicut, & in ſingulis elementis, illa qualitas dicitur prædominari, quæ alteri præeminet. Dominic. Sot. Sed ſi ponantur aſtra animata animatione propriè dicta, quæ eſt animæ dantis eſſe, vitam, & operationes ſpecificas; quod eſt problema in Theologia (Nam Caiet. ſuper pſal. 103. affirmatiuam probabilem tenet. Damas. negatiuam amplectitur. lib. 2. Orthod. fid. c. 6. Aug. in ambiguo relinquit, in Enchirid. c. 57. & 58.) fortaſſis non eſſet abſurdum concedere iſtis inferioribus dominari. De quo Eccle. 1. ſuper illud, Luſtrans omnia.

ad 16 Conſentaneum Eccleſiaſticæ auctoritati fuit, inter alias rerum temporalium dotes, & hac quoque inſigniri, vt caſtra, immo verò vrbes, cum poteſtate vtriuſque gladij ſub ſuo haberet dominio. Vnde chriſtianiſſimi Imperatores, tempore Sanctiſſimorum Pontificum, eiuſmodi donationibus eccleſiam honeſtarunt. In primis, Conſtantinus ille magnus, maximusq; Chriſtianæ Religionis cultor, & fautor, inter alia priuilegia, quibus eccleſiam accumulauit, hac etiam eam auxit auctoritate, vt Romam cum alijs vrbibus Apoſtolicę Sedi donauerit; & Theodoſius poſtea tempore Ambroſij, atq; alij deinceps multi catholicorum Cęſares, id genus donationibus Eccleſiam locupletarunt: quas quidem, niſi vt ſanctum haberent, neque illi obtuliſſent, neq; illi ſancti Antiſtites accepiſſent. Ratio autem, quam illi Eccleſiarum fundatores ſibi in animum inducebant, hæc erat, quòd, cum temporalia omnia propter ſpiritualia, eorumq; ſeruitium condita ſint, & homines (quod noſtrũ ingenium eſt) rerum iſtarum ſplendore maximè moueantur: nam co

gnitio noſtra (vt natura docet) à ſenſu incipit, operæpretium exiſtimarunt, Eccleſiam non ſolùm ſanctis legibus inſtituere, verùm, rerum facultatibus fulcire, vt Chriſtiano populo illam repręſentãs maieſtatem, maiori haberetur in pretio, & venerationę. Dominic. Sot. Argumentum ex dictis ſolutum eſt, & ſi aliquid, hoc concludit, quòd poteſtas ſpiritualis non conſiſtit in repub. ciuiliter adminiſtranda. Non tamen ſubinde interdicitur, quominus eccleſiaſtici præſules annexas habere poſſint ſedibus ſuis eiuſmodi iuriſdictiones, immo, & religioſis ordinibus congruè oppida cum iuriſdictione oblata ſunt, vt expeditius poſſent, ac quietius ſuos prouentus colligere, neq; profectò eorum inſtituto repugnat, eiuſmodi vaſallos per idoneos miniſtros gubernare. Et quando religioſi ſuum decorem ſeruant, luna à ſole illuminatur.

Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, ſub firmamento cæli. Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem.

ARGVMENTA.

1 DICITVR Gen. 1. Creauit Deus omnem animam viuentem, atq; motabilem, ergo vita in brutis immediatè à Deo cauſſata eſt. Alex. 2. p. q. 87. m. 2. a. 1.

2 Singulorum elementorum ornamẽtum debet habere materiale principium ipſum elementum, cuius ornatus eſt, ſicut ornatus cæli naturam cæli habuit materiale principium. Sed aues ſunt ornamentum aeris, piſces aquæ, Ergo ille ex aere, iſti ex aquis produci debuere. Alb, 2, p. q. 60.

3 Materiale principium mouentur, & non mouet, videtur

ergo diminutè loqui ſcriptura, quando dicit, producant aquę, & non addit, quo mouente, vel agente, aquæ illud producant. Alb. ibi.

4 Duo ſunt elemēta, ex quibus componitur corpus animalium, ſcilicet, terra, ex qua eſt ſubſtantia materiæ corporum animalium, vt dicit philoſophus: & aqua continuans partes, vt poſſint recipere figuram, & formam, tam in toto, quam in membris, ergo debuit dici, Producant aquæ, & terra reptile. Et non tantùm producant aquę. Alb. ibi.

5 Illud aquæ producunt, ad cuius productionem ſufficit virtus aquę, ſed virtus aquę non ſufficit ad productionem omnium piſcium, & auium: cum videamus, plura eorum generari ex ſemine, Non ergo conuenienter dicitur, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. D. Tho. 1. p. q. 71. arg. 1.

6 Non omnes piſces reptant in aquis, cum quidam habeant pedes, quibus gradiuntur in terra: ſicut vituli marini: Non ergo ſufficienter productio piſcium deſignatur in hoc, quod dicitur, Producant aquæ reptile animæ viuentis. D. Tho. ibi arg. 4.

7 Animalia terreſtria ſunt perfectiora auibus, & piſcibus, quod patet ex hoc, quòd habent membra magis diſtincta, & perfectiorem generationem; generant enim animalia, ſed piſces, & aues generant oua. Perfectiora autem præcedunt in ordine naturę. Non ergo quinta die debuerunt fieri piſces, & aues ante animalia terreſtria. D. Tho. ibi arg. 5.

8 Inuenimus quædam animalia ex terra formata, ſicut homines, & beſtias, quædam ex aquis, vt piſces, & volatilia, vt patet Gen. 1. ergo & quędam erunt aerea, & quædam ignea, & cæleſtia. Hęc autem non ſunt alia, quàm Angeli, & dęmones, quia cùm illa ſint nobiliora corpora, oportet in eis eſſe nobiliora animalia, ergo Angeli, & dæmones ſunt animalia, & ità habent corpora naturaliter vnita. D. Tho. de potent. Dei q. 6. a. 6. arg. 14.

9 Medium non diſcrepat ab extremis, ſed in regione cęle-

ſtium corporum inuenitur vita, ſecundùm ponentes corpora cæleſtia animata. In regione autem terrę inuenitur vita: in animalibus, & plantis. Ergo & in regione media, quæ eſt aeris, inuenitur vita. Nec hoc poteſt referri ad vitam auium, quia aues ad modicum ſpatium aeris ſuprà terram eleuantur. Nec videretur conueniens, quòd totum aliud ſpatium aeris vacuum vita remaneret. Oportet ergo ponere, vt videtur, ibi eſſe aliqua aerea animalia. Ex quo ſequitur, quòd aliquæ ſubſtantię ſpirituales aereo corpori vniantur. D.Tho. de ſpiritual. creat.a.7. arg.3.

10 Aues, quæ ſunt ad ornatum aeris, motu proprio mouentur in illo, & piſces in aquis: ergo & pari ratione luminaria in cęlis. D. Bon. 2. d. 14. a. 4. q. 2.

11 Omnis anima, eo ipſo quòd eſt anima, viuit, ergo nugatio eſt, cùm dicitur, reptile animæ viuentis. D. Bon. eod. d. 15. cir. litt. dub. 1.

12 Scriptura dicit, Producant aquæ reptile &c. & ſimiliter, producat terra animam viuentem &c. Si igitur ſufficienter exprimit animalium materiam, cum non exprimat niſi elementa ſimplicia; videtur, quòd corpora animalium ſint ex vno elemento tantùm. Confirmatur, corpora ad ornatum cæli ſpectantia non ſunt facta de alia materia, quàm cęlum, quod ornant, ergo pari ratione, ſi quædam animalia ornãt terram, & quędam aquas, quędam ſunt ex ſola terra, & quędam ex ſola aqua. D. Bon. ead. q. 2.

13 Dicit ſcriptura, corpora animaliũ facta ex terra, & aqua: non eſt autem ſenſus, quòd quodlibet illorũ elementorum ſit corporum animalium tota materia. Ergo dictum eſt ſecundum prædominium. D. Bon. eo loci q. 3.

14 Magis debent denominari corpora ab elemẽtis dominantibus ſecundùm quantitatem virtutis, quàm ſecundùm quantitatem molis. Sed Gen. 1. Omnia animalia dicuntur facta ex terra, & aqua: ergo terra, vel aqua prædominãtur, quantùm ad virtutem, in corporibus animalium Ric. ead. q. 2.

CON-

CONCLVSIONES.

1 LVMINARIA *cæli differunt ſpecie.*] Terra ornata eſt diuerſis lapidibus, & plantis, & animalibus ſecundùm ſpeciem: ergo pari ratione videtur, quòd cælum ſit ornatum diuerſis luminaribus ſecundùm ſpeciem differentibus. D. Bon. 2. d. 14. a. 5. q. 1. Hæc ratio poteſt reddi probabilis, ſi conſideretur doctrina. D. Tho. de ſpiritual. Creat. a. 8. Duplex (inquit) eſt bonum vniuerſi, quoddam ſeparatum, ſcilicet, Deus, qui eſt ſicut Dux in exercitu: & quoddam in ipſis rebus, & hoc eſt ordo partium vniuerſi, ſicut ordo partium exercitus eſt bonum exercitus. Vnde Apoſtolus dicit Rom. 13. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Oportet autem, quòd ſuperiores vniuerſi partes magis de bono vniuerſi participent, quod eſt ordo: Perfectiùs autem participant ordinem ea, in quibus eſt ordo perſe, quàm ea, in quibus eſt ordo per accidens tantùm. Manifeſtum eſt autem, quòd in omnibus indiuiduis vnius ſpeciei non eſt ordo, niſi ſecundum accidens, conueniunt enim in natura, & differunt ſecundùm principia indiuiduantia, & diuerſa accidentia, quæ per accidens ſe habent ad naturam ſpeciei. Quæ autem differunt ſpecie, ordinem habent per ſe, & ſecundùm eſſentialia principia. Inuenitur enim in ſpeciebus rerum vna abundare ſuper aliam, ſicut & in ſpeciebus numerorum, vt dicitur 8. Metaph. In iſtis autem inferioribus, quæ ſunt generabilia, & corruptibilia, & infima pars vniuerſi, & minus participant de ordine; inueniuntur non omnia diuerſa habere ordinem per ſe, ſed quædam habent ordinem per accidens tantùm, ſicut indiuidua vnius ſpeciei. In ſuperioribus autem partibus vniuerſi, ſcilicet, in corporibus cęleſtibus, non inuenitur ordo per accidens, ſed ſolùm per ſe, cùm omnia corpora cæleſtia ab inuicem ſpecie differant, nec ſint in eis plura indiuidua vnius ſpeciei, ſed vnus tantùm Sol, & vna luna, & ſic de alijs. Hæc ille. Vides igi-

tur probabiliter inferri, Aer, aqua, terra ornata ſunt diuerſis ſecundùm ſpeciem, ergo & cęlum. Superior nanque pars vniuerſi magis de bono vniuerſi participare habet, quod eſt ordo, & quæ differunt numero habent ordinem per accidens, & quæ differunt ſpecię habent ordinem per ſe. 1

2 ¶*Non oportet neceſſariò quatuor elementa concurrere ad compoſitionem mixti.*] Aliquando enim mixtum fuit factum ex vno elemẽto, patet per litteram Geneſis: Producãt aquæ reptile, &c. Ergo non oportet neceſſariò quatuor elementa concurrere ad compoſitionem mixti. Doct. ſubtl. 2. d. 15. a. 3. Aliquando mixtum generatur ex nullo elemento, vt cum generatur ex mixto, vt ex alimento caro, aliquando ex vno tantùm, aliquando ex duobus, aliquando ex pluribus ſe mutuò alterantibus, & corrumpentibus. Concordat Biel. ead. diſt.

3 ¶*Non remanent elementa ſecundùm ſubſtantiam in mixto.*] Animalia aliqua producebantur, ſiue generabantur ex aqua, patet hoc Gen. 1. Producant aquæ reptile animæ viuentis: Ergo aqua corrumpitur cùm ex ea generatur piſcis. Ergo ſimiliter alia elementa corrumpuntur, & non manent. Doct. ſubt. eo loci propè princ. Attamen propter Ariſtotelem, qui videtur dicere, elementa in mixto manere, declarat quomòdo manent. In omni genere (inquit) eſt inuenire medium eiuſdem rationis cum ęxtremis: vt patet ex 10. Metaph. & medium dicitur componi ex extremis, vt rubor ex albo, & nigro: & iſta compoſitio non eſt, niſi conuenientia naturalis medij cùm extremis: quæ non eſt extremi ad extremum: non ità, quòd media qualitas habeat extrema partes ſui: immo eſt ità ſimplex ſicut extremum. Et ideo, ſicut qualitates extremæ dicuntur manere, vel habere eſſe in medio, & non dicitur, quòd extremum ſit in extremo: ità dico de forma mixti, quòd in mixto dicuntur manere formæ ſubſtantiales elementorum, propter naturalem conuenientiam, quę eſt formę mixti cum elementis, quæ non eſt vnius elementi ad aliud. Dico ergo, quod elementa non manent in mixto

ſecun-

ſecundùm ſubſtantiam, nec ſecundùm qualitates ſuas, ſicut nec qualitates extremæ manent in medio, ſed virtualiter, ſicut imperfecta, & inferiora manent in ſuperioribus, ſicut ſi diceretur, quòd ſenſitiua, & vegetatiua manent in intellectiua. In generatione autem illius formę mixti dicuntur elementa vniri ſecundùm virtutem, non ſecundùm ſubſtantiam: Ità quòd aliqua forma producatur ex illis, quæ contineat vnitiuè qualitates eorũ in virtute, & non ſubſtantias in actu, Itàq; nec qualitates elementorum ſunt in mixto: ſed qualitates ſimiles qualitatibus eorum. In mixto animato eſt calor, & alius, quàm in igne, licet ſint in aliquo ſimiles. Calor enim ignis alterat ad ignem, & ille alius alterat ad carnem, non ad ignem. Vnde qualitas mixti eſt perfectior, quàm qualitas elementi. Hæc ille. Concordat Biel.ead.q.vnic.

4 ¶ *Animæ ſenſitiuæ producuntur ex virtute, quæ eſt in ſemine.*] Ita ſe habet virtus, quæ eſt in ſemine, ad animalia, quę ex ſemine generantur, ſicut ſe habet virtus, quæ eſt in elementis mundi, ad animalia, quæ ex elementis mundi producuntur: ſicut quę ex putrefactione generantur: ſed in huiuſmodi animalibus animæ producuntur ex virtute, quæ eſt in elementis. Secundùm illud Gen.1, Producant aquæ reptile animæ viuentis. Ergo, & animalium, quę generantur ex ſemine, animæ producuntur ex virtute, quæ eſt in ſemine. D. Tho.1.q.118.a.1. in contra. Secundum D.Tho. Anima ſenſitiua cauſſatur ab anima generantis principaliter, & à ſemine inſtrumentaliter. At Doct. ſubtil.2. ſent.d.18. tenet, quòd ſemen nec eſt actiuum generationis ſubſtantialis, nec organizationis, ſed cuiuſdam præuiæ alterationis tantùm, cuius rationes diſſoluit Caiet. loco citato.

5 ¶ *Animæ ſenſitiuæ brutorum fuerunt productæ ex aliquo.*] Textus ſcripturæ dicit. Producant aquę reptile animę viuẽtis, & paullò poſt. Producat terra animam viuentem. Si ergo, quòd creatur à ſolo Deo eſt, cùm aqua acceperit poteſtatem producendi reptile animæ viuentis, non videtur, quòd animal ſecundùm aliquod ſui principium ſit ex nihilo: igitur

ex aliquo animalium animæ fuerunt productæ. D. Bon. 2. d. 15. q. 1. Vel ſecundùm Alex. 2. p. q. 87. m. 2. §. 2. Producant aquæ reptile animæ viuentis. Et in eodem. Producat terra animam viuentem in genere ſuo. Si autem immediatè eſſent à Deo, ſicut illa, quę ex nihilo fiunt, quorum Deus eſt tota cauſſa: quomodo verificarentur, quæ hic dicuntur. Producant aquæ reptile animæ viuentis; & producat terra herbam virentem; viror enim eſt vita virentium: vt habetur à beato Gregorio. De materia huius Concluſionis D. Bon. quatuor recitat opiniones, quę ſingulæ ponunt plura improbabilia: ideo breuiter dicitur, quòd ſunt productę ex materia prima tanquam ex ſubiecto, quia eductæ de materiæ potentia. Biel. ead. quæſt. vnic. Formam educi de potentia materiæ nihil aliud eſt, quam materiam tranſmutari tranſmutatione ſufficiente, ità quòd ex vi tranſmutationis materiæ forma reſultet. Caiet. 1. p. q. 90. a. 2.

EXPOSITIO.

QVEMADMODVM in productione plantarum differt Auguſtinus ab alijs: ità in productione piſciũ, & auiũ. Alij enim dicunt, piſces, & aues quinta die eſſe productos in actu, Auguſtinus autem dicit 5. Super Gen. ad litt. quòd quinta die aquarum natura produxit piſces, & aues potentialiter. D. Tho. 1. p. q. 71. Reptile vocatur animal, quod in motu ſuo proceſsiuo toto corpore ſe rapit, & non nititur membris ſpecialibus ad illum motum determinatis: ſicut eſt ala, vel pes, vel pinnula. Pedibus enim nituntur greſsibilia, alis volatilia, pinnulis, tanquam remis, natatilia. Reptilia verò ſunt, vęl quæ motu coſtarum, & virtute ſe rapiunt, vt ſerpentes, vel motu annulorum, vt annuloſa, & vermes: vel contractione corporis in medium annulum, qui loco cordis eſt: & emiſsione eiuſdem corporis de illo, & tractu oris: emittunt enim illa anteriorem partem corporis, & tunc figunt os, & totum corpus tunc trahunt ad os fixum: ſicut videmus facere lumbricos terræ. (Animæ viuentis.) Anima viuens

uens dicitur, quę corpori ſuo actũ vitę influit manifeſtè per ſenſum, & motum localem. Et ideo in plantis non dicitur eſſe anima viuens: quia, vt dicit Ariſtoteles in primò de Vegetab. Vita communiter in animalibus, & plantis inuenta eſt, ſed in plantis occulta, in animalibus manifeſta: & ideo non dicitur in plantis anima motabilis, ſiue anima viuens: Alb. 2. p. q. 60. Cur autem dictum ſit, Producat terra animã viuentẽ, & aquę reptile animę viuentis, dicetur inferius.

QVAESITA.

1 CVR fecit mentionem de genere, aut de ſpecie, cum dixit, Fecit Deus cete grandia ſecundùm ſpecies ſuas. non autem ſuperiùs, cùm dixit, Producant aquæ, cùm tamen ibi loquatur de factura volatilium, & natatilium, quę non erant ſine genere, aut ſpecie? Reſpond. Cùm loquutus eſt de productione animalium in aquis, vel aere ex ſua origine: non facta eſt mentio de genere, vel ſpecie: quia aliud eſt contrahere eſſe in ſua origine, & aliud eſt, vt ſit principiũ fieri, vel generationis in alijs: Licet ergo ſimul tempore accipiant eſſe, & virtutem, ſecundùm quam aliud poſſit eſſe ex alio, tamen vnum eſt naturaliter prius altero: & ad hoc deſignandum primò dixit ſine diſtinctione; Producant aquę, ſecundò, diſtinxit dicens, creauit, vel fecit ſecundum genus ſuum. Præterea, ex parte materiæ non eſt principium generationis, ſed ex parte formę: & ideo cùm loquutus eſt de exitu ſecundùm eſſe materiale, non locutus eſt de genere, vel ſpecię. Alex. 2. p. q. 53. m. 1.

2 CVR, quando factus eſt ſermò de terræ naſcentibus, locutus eſt de ſemine, dicens; Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen: & plura locutus eſt de ſemine in herbis, & arboribus; cum autem locutus eſt de animalibus in aquis, vel terra, non locutus eſt de ſemine: cùm tamen & hęc habeant ſemen, ſecundùm quod procedit generatio? Reſpond. In terrę naſcentibus eſt ſemper virtus ſeminis, vt fiat aliud ex ipſo. Non ſic eſt vniuerſaliter in animã-

tibus aquæ, vel terræ: ſed vis ſeminatiua eſt in elementis. Non enim omnia, quæ ſunt in aquis, generantur ex ſibi ſimilibus, ſecundùm quòd natura eſt principium ex ſimilibus ſimilia procreandi: ſimiliter, nec omnia ea, quæ ſunt in terris. Vnde multa animalia moriuntur in hyeme: & poſt in ęſtate ſemen habent in ipſis elementis commiſtis, vt procreentur: herbæ verò in terra viuunt ſecundùm virtutem radicis: licet extrà moriantur, & ſemina herbarum cadunt in terram: & poſteà multiplicantut tempore opportuno. Alex. eo loci.

AD ARGVMENTA. 1

ad 1 NON defuere dicentes, Spiritus irrationales omnino creari, & nullo modo eſſe ex traduce: ſicut nec ſpiritus rationales: Ideo autem dicitur Gen. 1. (vt inquiunt) animam de terra produci: quia corpus organicum de terra producitur: & ei in fuit ſeminaliter cum omnibus diſpoſitionibus materialibus, facientibus neceſſitatem reſpectu animæ: cui materiæ ſic diſpoſitę Dei bonitas animam infundit. Quia ergo in terra ſunt rationes ſeminales, non tantùm intendentes corpus, ſed etiam intendentes eius vltimam completionem, ſcilicet, animam, & habentes naturalem appetitum talis formę: ideo dicitur terra animas producere. Aliter videtur inſipientiæ meæ dicendum, ſcilicet, quòd in elementis mundi indita eſt a conditore eorum natura quædam, quę eſt à natura elementari, quæ eſt ſimplex, & in corporea: vt poſsit eſſe principium ſubſtantiæ ſimplicis. Vnde Philoſophus lib. de Animalibus, omnia iſta inferiora plena eſſe virtute animę poſuit. Auguſtinus etiam dicit, rationes ſeminales inditas mundo, ſiue partibus mundi, ex quibus mundus grauidus eſt: ex quo, accepta opportunitate, prodeunt plantę, & animalia: non tantùm ſecundùm corpora, ſed quodã modo, ſecundùm animas. Itaq; ſicut ſubſtantiarum corporalium ab initio rerum creator creauit principia, ſcilicet, ipſa elementa: ſic in elementis corporalibus ſubſtantiarum ſimplicium

plicium, quæ à corpore dependent, creauit elementa. Et ſicut corpora ex elementis generantur: elementa tamen non ſunt generata: ſic animę habent principia, vnde generantur: tamen illa principia non ſunt generata, ſed creata. Et iterum; ſicut corpora, quę ſunt ex elementis, ſunt corruptibilia, elementa tamen, in quæ reſoluuntur, incorruptibilia: ſic animæ vegetabilium, & ſenſibilium ſunt corruptibiles, ſemina tamen earum incorruptibilia. Elementis igitur mundi indita eſt quędam natura ſimplex, & incorporea, alia à natura elementari, quę cooperans virtuti operatiuè in plantis, & animalibus, concurrente virtute corporum cęleſtium, modo conuenienti prodeunt in eſſe animæ vegetabilium, & animalium. Hęc autem virtus, ſiue natura, poteſt dici corporalis, quia radicatur in corporibus, ſiue naturis corporum: & ſpiritualis, quia mole caret corporali. A tali autẽ corporali, & ex tali poteſt fieri ſpirituale: ſed non ex corporali habente molẽ corporis in quantũ huiuſmodi. Cũ verò dicitur, creauit Deus, &c. Creare, nomine extenſo, ſumitur pro producere. Alex. Non facilè innoteſcit ex verbis eius, an formas ſubſtãtialiter inchoatas in materia ponat, ipſaſq; vocet ſeminales rationes, quod D. Bon. apertiſſimè fatetur, dicens, quòd forma inchoata fit forma cõpleta, ſicut ex globo fit roſa. Quod minimè approbo. Cæterũ Biel ex iſta phraſi Scripturę, Producant aquę &c. Et poſteà, Et fecit Deus beſtias terræ &c. colligeret, eundem effectum generari; & creari, generari à creatura, creari à Deo. 2. d. 1. q. 1. propè fin. Vel, quòniam ſecundùm Dàmaſc. prima cetorum, ſerpentium, leonum indiuidua à Deo, ſine media cauſſa adiuuante, condita fuere, ideo adiectum eſt, Creauit Deus Cete grandia. Et fecit Deus beſtias terrę. Cùm autem dixit, Producant aquæ, Producat terra. ſignificare voluit, ſic tunc à Deo huiuſmodi animãtia eſſe producta, vt in virtute tamen elementorum, & corporũ, quę ex elementis conflarentur, illorum generationem ſitam eſſe cenſeremus. Vnde cùm ad hominem ventum eſt, ne eius ſimilis conditio crederetur, de cor

pore

pore ait, fecit Deus hominem &c. de anima autem, In ſpirauit in faciem &c. quod diſcrimen manifeſtè indicat, cęterorum viuentium animas in potentia materiæ eſſe, ſed animam hominis à Deo creari, & infundi. Et credo, quòd tunc virtute diuina animalia prodiere ex terra, & aues, & piſces ex aquis.

Ad 2 Aer eſt elementum humidi ſpiritualis, quod non eſt incorporabile in generatione animalium, & nutritione, vt dicit philoſophus lib. de ſenſu, & ſenſato, Aqua verò eſt elementum humidi incorporabilis, & in generatione, & nutritione: & quod facilè induit formam aeris per euaporationem. Vnde iuxta terram aer permixtus eſt humido aqueo: per quod aliquantulùm inſpiſſatus, poteſt eſſe locus, in quo mouetur aues: ita quòd ſuſtentat alas auium, & attrahi poteſt ad ſpirandi refrigerium. In ſublimi eſt ità ſubtilis, quòd nec vapore humido ad rorandum, nec vapore ſicco terreo ad ventandum, miſcetur. Et ideo ibi habitatio animalium eſſe non poteſt. Quod Auguſtinus tali experimento docet, dicens; In Macedonia mons mirę altitudinis eſt, qui vocatur Olympus: in quem philoſophi aſcendentes, in ſuperioribus ſuis non inuenientes aerem pinguem ad ſpirandum, portant ſecum ſpongias infuſas clara, & ſubtili aqua, per quas ſpirent aerem ſubtilem, vt pingueſcat in ſpongijs, & ſic valeat ad refrigerium pulmonis, & pectoris. Aſcendentes autem in cacumine montis, in arena, ſiue in ſabulo ſcribunt litteras, & protrahunt figuras, & deſcendunt: & poſt annum reaſcendentes inueniunt litteras, & figuras in nulla ſui parte deletas: quod eſſe non poſſet, ſi aer ille vaporibus humidis, vel ſiccis, vel ventoſis agitaretur. Vnde vult Auguſtinus, quòd ex humido aqueo labiliter vndoſo ſit generatio, & conſeruatio natatilium, & ex eodem aqueo vaporabiliter extenſo per partem aeris inferiorem ſit generatio, & conſeruatio volatilium. Et ideo ſicut dicunt Ambroſius, & Auguſtinus: ex vno materiali principio producitur vtrũque. Et ideo etiam cantatur in hymno Ambroſij. Qui ex aquis or-

tum

tum genus, partim leuas in aera, partim remittis gurgiti. Alb. Nomine igitur aquæ intelligitur etiam aer, qui ſua vicinitate habet humiditatem aquoſam, vnde aliquando rorat. Alex. Aer, quia inſenſibilis eſt; non per ſe ipſum connumeratur, ſed cum alijs, partim quidem cum aqua, quantum ad inferiorem partem, quę exhalationibus aquę ingroſſatur, partim etiam cum cælo, quantùm ad ſuperiorem partem. Aues autem motum habent in inferiori parte aeris: et ideo ſub firmamento cæli volare dicuntur, etiam ſi firmamentum pro nebuloſo aere accipiatur. Et ideo productio auium aquæ aſcribitur. D. Tho. 1. p. q. 71. ad. 3. Concordant cæteri.

ad 3 Mouens ex præhabitis intelligitur, vbi dictum eſt; Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Ille enim fouebat aquas, vt talia à ſe produci poſſent. Vnde Damaſc. Pręcepit Deus aquę educere animam viuentem: quia per aquam, & eum, qui in principio ferebatur ſuper aquas, Spiritum Sanctum, renouaturus erat hominem, ſicut ait. D. Baſilius. Eduxit autem animalia, & magna, & parua, vt cete, dracones, piſces in aquis reptantes, & volatilia pennata. Per volatilia igitur copulātur aqua, & terra & aer; Ex aquis enim facta ſunt, in terra verò conſeruantur, & in aere volant. Optimum igitur elementum eſt aqua: & plurimo vſui vtiliſſimum: ſordis purgatiuum, non ſolùm corporeæ, ſed & animalis, ſi aſſumpſerit gratiam ſpiritus ſancti. Alb.

ad 4 Solas aquas nominat, quia ſicut dictum eſt, aquæ ſolę ornantur, & etiam in materia corporum natatilium, & volatilium animalium, licet terra ſit ſubſtantia materię, propter quam etiam omnia quieſcant in terra, & natatilia, & volatilia, tamen in talibus plus abundat humidum: in piſcibus quidem humidum aqueum pingueſcens in fundo; quod Auguſtinus vocat labile vndoſum: in auibus autem humidum vaporoſum ad formā aeris tranſmutatū: propter quod etiam in 4. Ethic. dicit philoſophus, quòd carnes ſanæ, quę ſunt leues ſunt: leues autem, quæ altilium. Alb. Corpora auiū, &

piſcium poſſunt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundùm ſe. Et ſic neceſſe eſt, quòd in eis magis terreſtre elementum dominetur. Quia ad hoc, quòd fiat contemperatio mixtionis in corpore animalis, neceſſe eſt, quòd quantitatiuè abundet in eo elementum, quod eſt minus actiuum, ſcilicet terra; ſed ſi conſiderentur ſecundùm quòd nata ſunt moueri talibus motibus, ſic habent affinitatem quandam cum corporibus, in quibus mouentur. Et ſic eorum generatio hic deſcribitur; mouentur autem aues in inferiori parte aeris, quę computatur cum aqua, ideo ex aquis produci dicuntur. D. Tho. loco proximè citato. In idem redeunt notata ab alijs.

ad 5 Auicēna poſuit omnia animalia poſſe generari ex aliquali elementorum commiſtione abſq; ſemine, etiam per viam naturæ. Sed hoc videtur inconueniens, quia natura determinatis medijs procedit ad ſuos effectus. Vnde illa, quę naturaliter generantur ex ſemine, non poſſunt naturaliter ſine ſemine generari. Et ideo dicendum eſt aliter, quòd in naturali generatione animalium principium actiuum eſt virtus formatiua, quę eſt in ſemine; in ijs, quæ ex ſemine generantur, loco cuius virtutis in ijs, quæ ex putrefactione generantur, eſt virtus cęleſtis corporis. Materiale autem principium in vtrorumq; animaliū generatione eſt aliquod elementum, vel elementatum. In prima autem rerum inſtitutione fuit principium actiuum Verbum Dei, quod ex materia elementari produxit animalia, vel in actu, ſecundùm alios Sanctos, vel virtute, ſecundùm Auguſtinum: non quòd aqua, aut terra habeat in ſe virtutē producendi omnia animalia, vt Auic. poſuit: ſed quia hoc ipſum, quòd ex materia elementari virtute ſeminis, vel ſtellarum, poſſunt animalia produci, eſt ex virtute primitus elementis data. D. Tho.

ad 6 Natura de vno extremo ad aliud tranſit per media. Et ideo inter cæleſtia, & aquatica animalia ſunt quædam media, quæ communicant cum vtriſque, & copulantur cum illis, cum quibus magis communicant, ſecūdùm id, quod cum

cis

eis communicant, non ſecundùm id quod cõmunicant cum alio extremo. Tamen vt includantur omnia huiuſmodi, quę habent aliquid ſpeciale inter piſces, ſubiungit poſtquam dixerat, Producant aquę reptile animæ viuentis; Creauit Deus cete grandia. &c. D. Tho.

Ad 7 Productio horum animalium ordinatur ſecundùm ordinem corporum, quæ eis ornantur, magis, quàm ſecundùm propriam dignitatem. Et tamen in via generationis, ab imperfectioribus ad perfectiora peruenitur. D.Th. Clarius de potent. Dei q. 4. a.2.ad 33. Productio (inquit) horum animalium cùm pertineat ad ornatum partium vniuerſi, ordinatur ſecundum ordinem illarum partium, quæ eis ornantur, magis quàm ſecundum propriam dignitatem. Modò aer, & aqua, ad quorum ornatum pertinent piſces, & aues, ſunt ordine naturæ priora, & digniora, quàm terra, ad cuius ornatum pertinent animalia greſſibilia, ideo prius debuit deſcribi productio volatilium, & piſcium, Poſſet etiam dici, quòd via generationis, ab imperfectioribus ad perfectiora peruenitur. Et hoc ordine, quæ imperfectiora ſunt, prius ordine naturæ producuntur. In via enim generationis, quantò aliquid perfectius eſt, & magis aſſimilatur agenti, tantò, tẽpore poſterius eſt, quamuis ſit prius natura, & dignitate, & ideo, quia homo perfectiſſimũ animalium eſt, vltimò inter animalia fieri debuit, & non immediatè poſt corpora cæleſtia; quæ cum corporibus inferioribus non ordinantur ſecundùm viam generationis, cum non communicent in materia cum ipſis, ſed habeant materiam alterius rationis. Hæc ille.

Ad 8 Subſtantia ſpiritualis dupliciter alicui corpori inuenitur vniri, Vno modo, ad exhibendum corpori motum, ſicut corporibus cæleſtibus ſpirituales ſubſtantiæ vniuntur. Alio modo, vt ſubſtantia ſpiritualis per corpus vniatur ad propriam ſuam operationem, quæ eſt intelligere, ſicut anima humana vnitur corpori, vt per ſenſus corporeos ſcientiam acquirat. Aeri autem ſubſtantia ſpiritualis non poteſt vniri, neq; ratione motus, quia aeri eſt connaturalis motus qui-

dam, qui conſequitur formam eius naturalem. Nec inuenitur aliquis motus, aut in toto aere, aut in aliqua eius parte, qui non poſſit reduci in aliquam cauſſam corporalem. Vnde ex motu eius non apparet, quòd aliqua ſubſtantia ſpiritualis ei vniatur. Neq; etiã vnitur ſpiritualis ſubſtantia corpori aereo propter perfectionẽ intellectualis operationis. Corpus enim ſimplex non poteſt eſſe inſtrumentum ſenſus, vt probatur in libro de Anima. Vnde relinquitur, quòd ſpiritualis ſubſtantia nullo modo corpori vniatur. Cùm verò dicebatur, In media aeris regione debet inueniri vita. Reſpondetur, quòd in inferiori regione ſcilicet circa terram eſt locus mixtionis elementorum. Corpora autem mixta quantò magis ad æqualitatem mixtionis perueniunt, tantò magis recedunt ab extremis contrariorum, & ſic quandam ſimilitudinem conſequuntur cęleſtium corporum, quę ſunt ſine contrarietate. Et, ſic patet, quòd vita magis poteſt eſſe in ſuprema, & infima regione, quàm in media, prę ſertim cum in iſtis inferioribus tantò aptius ſit corpus ad vitam, quantò propinquius fuerit æqualitati complexionis. D. Tho. de ſpiritual. creat. loco cit. & de potent. loco cit. Sic ergo, fidei veritatem ſequendo, dicimus, Angelos, & dæmones non habere corpora naturaliter vnita, ſed omnino incorporeos, ſicut dicit Dioni. Auguſtinus tamen in pluribus locis ſuorum librorum, quantum ad corpora Angelorum, & dęmonum, abſq; aſſertione vtitur Platonicorum ſententia. Vnde & 21. de Ciuit. Dei, vtranq; opinionem proſequitur, de pœna dæmonum tractans, & eorum ſcilicet, qui dicebãt dęmones corpora aerea habere, & eorum, qui dicebant eos eſſe penitus incorporeos. Hæc ille. Ex quibus argumentum octauum, & nonum ſoluta ſunt. Requiritur duntaxat videre, cur latiſſima regio ignis elemẽtaris habitatoribus, atq; ornatibus careat, cùm elementa inferiora, immo, & terra fex elementorum illis abundent. Gulliel. Paris. ſecunda parte lib. de Vniu. referente Dio. Carth 2. ſent. d. 15. q. 3. iſtius tres rationes tangit. Prima, habitatio debetur, &

con-

conuenit animali, ratione elementi in ipſo prædominantis quantùm ad molem materiæ, ſic autem in nullo eſt ignis prędominans. Secundo, Animalia quærunt eſſe in loco, quo poſſint nutriri, & conſeruari, ignis verò purè elementaris nec nutritiuus eſt, neq; animantium conſeruatiuus. Tertiò, Animalia appetunt locum, in quo ſuas operationes valeat exercere, quas in igne exercere non queunt. Hęc ille. Prętereà, ſi eſſent ibi animalia aliqua, in nullo ſeruirent hominibus. Antiſio. eod. Dio. referente. Et tamen omnia animalia facta ſunt propter hominem, ſiue in ſtatu innocentiæ, ſiue in ſtatu naturæ lapſæ; ſicut dicetur cap. 9. ſuper illud. Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt.

ad 10 Vtrùm luminaria motibus proprijs moueantur ſuprà dictum eſt. Neque eſt ſimile de auibus, & piſcibus, qui mouentur in aere, & aquis. Quoniam, tàm aer, quàm aqua ſunt corpora, quæ poſſunt rarefieri, ſiue condenſari. Prętereà, iſta elementa non ſunt ſic nata moueri, vt corpora, quæ ad eorum ornatum ſpectant, quæ ipſorum motu ſufficienter poſſint tranſmutari localiter, ſecundùm quòd exigit decor vniuerſi. Pretereà, ipſis animalibus competit motus progreſſiuus propter ſui indigentiam, & qui eſt ad aſſequendum aliquod delectabile: & hoc luminaribus cæli nec competere poteſt, nec debet. D. Bon.

ad 11 Vita manifeſtatur maximè per ſenſum, & motum, ideò anima viuens appellatur, quæ viuit vita manifeſta: & hæc eſt illa, quæ dat corpori motum, & ſenſum: talis autem non eſt in plantis, ſed in animalibus: & ideo ad differentiã plantarum dicitur; Producant aquæ reptile animę viuentis: quaſi in plantis ſit anima virens, & in animalibus ſit anima viuẽs: quia hęc mouentur, & ſentiunt, illa verò minimè. D. Bon.

ad 12 Abſq; dubio corpora animalium habẽt in ſe naturam quatuor elementorum vt ſint idonea ad ſenſum, ad motum, ad operationis multiplicitatem, & vt in ſe habeant dignitatem complexionis, quæ omnia competunt illi corpori, quod perficitur anima ſenſibili. Dicuntur autem animalia producta

eſſe ex aqua, vel terra per quandam prędominantiam, ſiue appropriationem D. Bon. Quam prædominantiam, ſiue appropriationem declarat q. 3. Sicut (inquit) aliquis artifex miſcendo terram cum aqua facit lutum, & ex illo componit ſtatuam, ſic dum liquor aqueus terræ miſcetur, fit humor, & dum ille coagulatur per naturam, fit corpus organicum. Dupliciter autem poteſt intelligi hęc commiſtio: aut ità, quòd aquæ prę̨exiſtenti fluxibili immiſceatur terra, aut è cō trà, vt terra primùm ſit quaſi arida, & ad ſuarum partium continuationem commiſceatur aqua. Et ijs duobus modis producta ſunt animalium corpora: Et ideo quædam dicuntur eſſe ex aquis, quædam ex terra facta, quod non eſt dictū, quaſi, quæ ſunt ex aqua plus habeant de aqua quantùm ad ſubſtantiam, quàm de terra, cùm omne corpus animantis ad ſui conſtitutionem plus recipiat de terra, quantum ad ſubſtantiam. Tum propter hoc, quòd ipſa eſt, quę præbet alijs ſoliditatem, & ſtabilitatem, tum etiam quia ipſa habet parum de ſpecie, & multum de materia: ſed quod dictum eſt, aliqua ex aqua eſſe facta, hoc eſt, quia magis in eis, quā in alijs dominatur natura aquea: hoc autem dico, non quantum ad prædominium actiuæ qualitatis, vel paſſiuæ, ſed quantùm ad aliquam conformitatem naturæ, per quam illa, quæ ex aqua producta ſunt, in aquis magis delectantur eſſe. Hæc ille. Si intelligeret, quòd Deus in producendis animalibus immiſcuerit aquam terrę, & terram aquæ fortaſſis aduerſaretur Aegid. 2. part. Hexam. cap. 38. Deus (inquit) ex libito voluntatis potuit producere quęcunq; ex quocunq; elemento, nam, cùm attingat immediatè ipſam materię eſſentiam, poteſt ibi immediatè inducere quamcunq; formam. Datò tamen, quod Deus ex materia vnius elementi producat aliqua mixta, illa materia vnius fungetur vice omnium elementorum, quia ſicut nunc talis mixtio fit, vt producatur auis, qualem requirit natura eius, ſic, ſi virtute diuina produceretur auis, talis proportio, & talis diſpoſitio fieret in illa materia, qualem requirit natura auis: Et quia Scriptura Sacra,

ſecun-

ſecundùm productionem primam, dicit aues productas ex aquis, debemus dicere ſic eſſe productas. Hæc ille. Cæterùm, quia ſecundo capite dicitur, Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, dicendum eſt, quòd dicuntur producta ex aquis, nō quòd de aqua ſola ſint formati piſces, & aues, ſed propter quandam conuenientiam. Habet nanque aqua humorem, & vaporem. per humorem conuenit cum piſcibus, per vaporem, qui ſurſum eleuatur in aere, conuenit cū auibus. Argent. autem cit. d. 15. a. 1. ità inquit, Omnia animalia dicuntur facta de terra, vel de aqua, non quòd ab eorum compoſitione excludantur cętera elementa: ſed pro tanto, quia in eis terra, & aqua prędominantur. In iumentis enim & beſtijs, & reptilibus dominatur elementum terreſtre: in piſcibus autem, & auibus dominatur elemetum aquę: aliter tamen, & aliter, quia in complexione piſcium dominatur elementum aquæ per ſe, in volatilibus autē dominatur aqua vt admixta eſt aeri. Propter quod etiam beatus Auguſtinus 3. ſuper Gen. videtur dicere, Quòd corpora auium ſunt facta ex aere: Sunt enim factæ ipſæ aues ex aere vaporoſo, habente admixtos vapores groſſos, & aqueos, cuius ſignū eſt, quòd etiam ipſę aues non viuunt in puro aere, ſed magis hic propè nos, in aere aquoſo, & vaporoſo. Hæc ille. Addit Aegid. cit. diſt. a. 1. Quòd, cùm dicimus in piſcibus abundare aquam, non oportet, quòd in mixtione illa elementorum, quam requirit complexio piſcium, ſecundum quantitatem, plus ſit ibi de aqua, quàm de terra: ſed ſufficit, quòd compenſata mixtione elementorum, quam requirit complexio animalium, quòd in mixtione elementorum, ex qua reſultat complexio piſcium: plus ſit ibi de elemento aquæ, quàm in mixtione elementorum, ex qua reſultat complexio aliorum animalium. Hæc ille.

Ad 13 Omnibus penſatis, in corporibus animalium elementa actiua, quę ſunt ignis, & aer: dicendum eſt prædominari, quantum ad virtutem, elementis paſſiuis, quæ ſunt terra,

& aqua: paſſiua verò quantùm ad quantitatem molis. Si enim elementa paſſiua prędominarentur quantùm ad virtutem: non eſſent apta corpora ad ſuſcipiendum influentiam ſenſus, & motus per animam: ſicut nec corpora mineralia. Si autem elementa actiua prædominarentur quantùm ad quantitatem molis: tunc non eſſet in corporibus ſufficiens ſoliditas propter raritatem ignis, & aeris: & etiam elementa paſſiua propter debilitatem virtutis nimis citò corrumperentur ab actiuis, propter improportionem ſuperabundantiæ virtutis elementorum actiuorum. Eſt autem gradus determinatus vltrà quem virtus elementorum actiuorum non poteſt excedere virtutem paſſiuorum ſalua illa proportione, quę neceſſaria eſt in corporibus animalium ad operationes vitæ, & ſenſus, & bonam corporis conſiſtentiam. Et gradus vltrà quem oportet virtutem elementorum actiuorum excedere virtutem elementorum paſſiuorum, ad hoc vt corpus ſit aptum ad recipiendum animalem vitam. Ric. D. Bon.

ad 14 Magis denominantur corpora animalium ab elementis prædominantibus ſecundùm quantitatem molis, quàm ab elementis prædominantibus ſecundùm quãtitatem virtutis: quia quantitas molis eſt nobis ſenſibilior, & quia mixtum dicitur fieri de elementis proportionatis, tanquam de materia proxima: ideò denominantur ab elementis, quæ plus habent de ratione materię: cuiuſmodi ſunt elementa paſſiua. Et etiam, quia naturalis motus omnium mixtorum eſt ad illam partem, ad quam mouentur elementa paſſiua. Ric. Dixit, Naturalis motus, quoniam motus animalis eſt duplex; vnus conſequens naturam corporis eius ſecundùm virtutem elementi dominantis in ipſo: Alius conſequitur apprehenſionem, & appetitum. Et hic eſt motus proprius animalis, inquantum eſt animal: & ideo ad illius elementi ornatum animal pertinet, in quo motum animalem habet, non ad quod mouetur motu conſequente naturam ſui corporis, quoniam huiuſmodi motus non cõſequitur animal in quantum

tum

tum eſt animal, ſed ſecundùm quod componitur ex grauibus, & leuibus: & ideo animalia greſſibilia ad ornatum terræ pertinere dicuntur, quia in ea motum animalem habent, & pari ratione natatilia ad ornatum aquę, & volatilia ad ornatum aeris. D. Tho. cit. diſt. q. 2. a. 2.

Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas.

ARGVMENTA.

1 SICVT aues, & piſces habent uiuentem animam, ità etiam, & animalia terreſtria. Non autem terreſtria animalia ſunt ipſa anima viuens. Ergo inconuenienter dicitur, Producat terra animam viuentem: ſed debuit dici, Producat terra quadrupedia animæ viuentis. D. Tho. 1. p. q. 72 arg. 1.

2 Genus non debet diuidi contrà ſpeciem, ſed iumenta, & beſtiæ ſub quadrupedibus computantur. Inconuenienter ergo quadrupedia connumerantur iumentis, & beſtijs. D. Tho. ibi. arg. 2.

3 Sicut alia animalia ſunt in determinato genere, & ſpecię, ità, & homo. Sed in factione hominis nō fit mentio de ſuo genere, vel ſpecie: ergo nec in productione aliorum animalium debuit fieri mentio de genere, vel ſpecie ſua. D. Tho. ibi. arg. 3.

4 Animalia terreſtria magis ſunt ſimilia homini, qui a Deo dicitur benedici, quàm aues, & piſcęs: cùm igitur aues, & piſces dicantur benedici, multò fortiùs hoc dici debuit de alijs animalibus. D. Tho. ibi. arg. 4.

5 Quędam animalia generantur ex putrefactione, quæ eſt corruptio quædam. Corruptio autem non conuenit primæ

inſtitutioni rerum. Non ergo prædicta animalia debuerunt in prima inſtitutione produci. D. Tho. ibi arg. 5.

6 Quędam animalia ſunt venenoſa, & homini noxia. Nihil autem debuit homini eſſe nociuum ante peccatum. Ergo huiuſmodi animalia, vel omnino fieri à Deo non debuerunt, qui eſt bonorum auctor, vel non debuerunt fieri ante peccatum. D. Tho. ibi arg. 6.

QVAESITA.

1 PRopter quid ſingulariter dictum eſt, Producat terra, pluraliter verò Producant aquę? Vt notetur aquarum in ſuis receptaculis diſtinctio; Terræ verò eſt continuitas, licet pluraliter dicantur terræ, propter regionum diuerſitates. Alex. 2. p. q. 54. m. 1.

2 Cur de terra naſcentibus dictum eſt, Germinet. De animalibus verò, Producat: Nimirum germen eſt in radice, quæ adhæret terræ, productio verò dicitur, id eſt, procul ductio, quia animantia à terra ſeparantur: & ideo alia tranſlatio habet, Eijciat terra, id eſt, extra ſe iaciat, quaſi ſeparatum ab ipſa. Alex. eo loci.

3 Cur dicit, producat terra, cùm virtus producendi ſit in cælo ſecundùm Aſtronomos? Quando dicitur, Producat terra, non deſignatur niſi quòd terra ſit materiale principiũ animalium gradientium in terra, Actiuum autem ſecundùm quòd eſt primum mouens per diſpoſitionem luminis, & figuram, eſt cęlũ: Sed non mouet, vt cauſſa neceſſaria, quòd de neceſſitate ſequatur effectus: ſed mouet, vt diſponens per accidens, & per aliud: ſicut ſuprà dictum eſt. Alb. 2. p. q. 61. Addit q; quòd illud dictum Albumaſar in introductorio, nimirum, quòd virgo, ſeu virginis ſignum, in cuius prima facie oritur conſtellatio quędam ad ſimilitudinem virginis puerum in gremio habentis, tantæ virtutis eſt, vt fæcunditatem quibuſdam virginibus afferat ſine commiſtione virili, & dat exẽplum, quòd beata Virgo ita concepit Dominum Ieſum, quem gens Chriſtianorum adorat. Hoc dictum,

ait Alb. error eſt peſſimus, & vituperandi ſunt, qui hoc quaſi pro teſtimonio introducunt, quod philoſophi nobis de partu Virginis atteſtantur, In conceptu enim Saluatoris operatus nemo eſt, niſi Spiritus Sanctus.

AD ARGVMENTA.

ad 1 SICVT Baſilius dicit, diuerſus gradus vitę, qui in diuerſis viuentibus inuenitur, ex modo loquendi ſcripturæ colligi poteſt. Plantę enim habent imperfectiſſimam vitam & occultam. Vnde in earum productione nulla mentio fit de vita, ſed ſolùm de generatione, quia ſecundùm hanc ſolum inuenitur actus vitę in eis. Nutritiua enim, & augmentatiua generatiuè, ſeruiunt. Inter alia verò animalia, perfectiora ſunt (communiter loquendo) terreſtria auibus, & piſcibus, non quòd piſces memoria careant, vt Baſilius dicit, & Auguſtinus improbat, ſed propter diſtinctionem membrorum, & perfectionem generationis. Quantùm autem ad aliquas ſagacitates etiam aliqua animalia imperfecta magis vigent, vt apes, & formicæ. Et ideo piſces vocat non animã viuentẽ, ſed reptile animę viuẽtis. Sed terrena animalia vocat animam viuentem propter perfectionem vitę in eis, ac ſi piſces ſint corpora habentia aliquid animę, terreſtria verò animalia, propter perfectionem vitæ, ſint quaſi animę dominantes corporibus. Perfectiſſimus autẽ gradus vitæ eſt in homine. Et ideo vitam hominis non dicit produci à terra, vel aqua, ſicut cęterorum animalium, ſed à Deo. D. Tho.

ad 2 Per iumenta, vel pecora intelliguntur animalia domeſtica, quę homini ſeruiunt, qualitercunquæ. Per beſtias autem intelliguntur animalia ſęua, vt vrſi, & leones. Per reptilia verò, animalia, quæ, vel non habent pedes, quibus eleuentur a terra, vt ſerpentes, vel habent breues, quibus parum eleuantur, vt lacertæ, & formicæ. Sed quia ſunt quædam animalia, quæ ſub nullo horum comprehenduntur, vt cerui & caprei: vt etiam iſta comprehenderentur, addidit

quadrupedia. Vel quadrupedia præmiſit quaſi genus, & ani
malia ſubiunxit quaſi ſpecies. Sunt enim quędam reptilia
quadrupedia, vt lacertę, & formicę. D. Tho. Quadrupe-
dia non habetur in noſtra trãſlatione, ſed apud ſeptuaginta.

ad In alijs animalibus, & plantis mentionem fecit de gene-
3 re & ſpecie, vt deſignaret generationes ſimilium ex ſimili-
bus. In homine autem non fuit neceſſarium vt hoc dicere-
tur, quia quod præmiſſum fuit de alijs, etiam de homine
intelligi poteſt. Vel, animalia, & plantæ producuntur ſe-
cundùm genus, & ſpeciem ſuam, quaſi longè à ſimilitudine
diuina remota: homo autem dicitur formatus ad imaginem,
& ſimilitudinem Dei. D. Tho.

ad Benedictio Dei dat virtutem multiplicandi per generatio
4 nem. Et ideo quod poſitum eſt in auibus, & piſcibus, quę
primò occurrunt, non fuit neceſſarium repeti in terrenis ani
malibus, ſed intelligitur. In hominibus autem iteratur be-
nedictio, quia in eis eſt quædam ſpecialis multiplicationis ra
tio, propter complendum numerum electorum. Et ne quiſ-
quam diceret in officio gignendi filios nullum eſſe peccatũ.
Plantę verò nullum habent propagandæ prolis affectum, ac
ſine vllo ſenſu generant. Vnde indignæ iudicatę ſunt bene-
dictionis verbis. D. Tho. Addit Alb. loco cit. quia ani-
malia cum homine communem habent habitationem, ter-
ram, & homo principium eſt in ornatu terræ, cuius dominio
omnia alia ſubijciuntur: ideo compleri non debuit eorum
benedictio, niſi iam formato homine.

ad Cum generatio vnius ſit corruptio alterius, quòd ex cor
5 ruptione ignobiliorum generentur nobiliora: non repugnat
primæ rerum inſtitutioni. Vnde animalia, quę generantur
ex corruptione rerum inanimatarum, vel plantarum, po-
tuerunt tunc generari, non autem, quæ generantur ex corru-
ptione animalium, tunc potuerunt produci, niſi potentiali
ter tantum. D. Tho. concordat Alb.

ad Auguſtinus dicit 1. ſuper Gen. cõtrà Manich. Si in alicuius
6 opificis officinã imperitus intrauerit, videt ibi multa inſtru-
menta,

mente, quorum cauſſas ignorat. Et ſi multùm eſt inſipiens ſuperflua putat. Iam verò ſi in fornacem intus ceciderit, aut ſe ferramento aliquo acuto vulnerauerit, noxia exiſtimat ibi eſſe multa: quorum vſum, qui nouit artifex, in ſipientiam eius irridet. Sic in hoc mundo quidam audent multa reprehendere, quorum cauſſas non vident. Multa enim, & ſi domui noſtrę non ſunt neceſſaria, in eis tamen completur vniuerſitatis integritas. Homo autem ante peccatū ordinatè vſus fuiſſet rebus mūdi. Vnde animalia venenoſa ei noxia nō fuiſſent. D. Tho. Cōcordat Alb. Datur (inquit) nociuū in habitu, & nociuū in actu. Secūdū actū nullo modo nociua fuerūt ante peccatum. In habitu autē complexionis in quo nunc nocent, tunc etiam fuerunt: Sed ſecundùm actū nocere non poterant, propter ſtatum Innocentiæ, in quo fuit homo: Et ideo mulier non horruit ſerpentem, quia horror non eſt niſi contrà id, quod eſt nociuum in actu. Hęc ille.

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram vt præſit &c.

ARGVMENTA.

1 OMNIS mutabilitas aut eſt ſecundùm eſſe, aut ſecundùm bene eſſe, ſed in creatura rationali, ſcillicet, anima eſt immutabilitas quantùm ad eſſe, quia habet eſſe perpetuum: nec eſt poſſibilis ad non eſſe: ſimiliter in animabus beatis eſt immutabilitas quantùm ad bene: ergo alij, quàm Deo conuenit eſſe immutabile. Si dicatur, quòd immutabilitas quantùm ad eſſe nō eſt in anima per naturam, ſed per gratiam, & ità nulli per naturam conuenit eſſe immutabile, niſi Deo. Contra, quòd anima ſit imago, eſt ei natura, ſed eo quod eſt imago, eſt immortalis (quia vt dicit Caſſiodorus non eſſet imago, ſi mortis

tis termino clauderetur) eo autem quo immortalis, eſt immutabilis quantùm ad eſſe per naturam, & non ſolùm per gratiam. Item, triplex eſt eſſe ſcilicet eſſe quod incipit, & deſinit: & hoc eſt eſſe temporale: & eſſe, quod incipit, & non deſinit; & hoc eſt eſſe perpetuum. Primum eſſe, ſcilicet temporale eſt veſtigium ſecundi, quod eſt æternum: ſed eſſe ſcilicet perpetuũ magis eſt ex impreſſione eſſe ęterni, quàm temporale: quia non deſinit, ſicuti nec eſſe æternum: & propter hoc eſt imago ipſius eſſe æterni; & non primum, quia imago eſt in maiori expreſſione. Si ergo hoc, quod ponit expreſſionem ęterni eſſe, ponit immutabilitatem per naturã, quia ponit quod non deſinat, nec poſſet ipſum exprimere, ſi deſineret: ergo ipſa anima rationalis, cui conuenit eſſe perpetuum, eſt immutabilis per naturam: & ità eſſe immutabile non eſt proprium Deo. Alex. 1.p.q.4.m.3.

2 Anima rationalis eſt imago Trinitatis per naturam: ſed imago Trinitatis attenditur quantùm ad potentiam, ſcientiam, & voluntatem: ergo ſicut per naturam anima eſt capax diuinæ ſcientię, ità & potentiæ: ergo ſicut anima Chriſti naturali potentia potuit capere omnium ſcientiam, ità & omnipotentiam. Alex. ead.q. 21.m.1. 4.

3 Dominari omni creaturę inferiori dignitas eſt: ergo hæc dignitas magis debet dari Angelo, quàm homini, cum Angelus ſit dignior creatura: Quod autẽ debeatur homini, habetur Gen. 1, vbi dicitur, vt præſit piſcibus maris. Si dicatur, quòd poteſtas dominandi creaturis data eſt homini, quia homo habet indigentiam de ipſis. Contra, indigentia eſt in homine ex parte illa, qua eſt defectus in ipſo, ſcilicet, ex parte corporis: ſed poteſtas ineſt illi ex parte illa, qua eſt perfectio, ſcilicet, ex parte animæ. Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem &c. & præſit piſcibus &c. Hęc autem Imago ex parte animę attenditur, non ex parte corporis: ergo cùm poteſtas dominandi inſit alicui ratione illa, qua eſt perfectius, & nobilius: non erit indigentia in homine cauſa dominandi alijs creaturis. Alex. ead.q.22.m.5.

Cùm

4 Cùm Deus ſit pronior ad miſerandum, quàm ad condemnandum, ſi eſſet prouidentia, non crearentur mali. Nam ponatur, quòd aliquis debeat prouidere domui ſuæ, non eſſet bona prouidentia, ſi plures haberet in carcere: & paucos, in quibus confideret, in domo: ex quo poſſet habere plures: ſed maior pars mundi tenet illos, qui ſunt deputati carceri diuino: quia pars electorum minima eſt eorum, qui ſunt in mundo: ergo non eſt prouidentia eorum. Item, cũ Deus ſuam imaginem, quæ tam præcioſa eſt, in malis impreſſerit, ſicut in bonis, nullatenus ſi prouideret, vellet, aut permitteret ſuam imaginem in tot deturpari, & in paucis reformari. Alex. ead. q. 26. m. 1.

5 Gregorius quęrit, vnde eſt, quòd in faciendo hominem, quæritur, & aduocatur conſilium, cùm dicitur. Faciamus hominem, &c. Gen. 1. & non in faciendo alia? Reſpondet, quòd aliud eſt, quãdo aliquis debet facere aliquam rem magnam, & aliud eſt, quando debet facere aliquam rem modicam: rem enim magnam facit cum magna diligentia, & circunſpectione. Similiter, quia homo eſt, in quo eſt impreſſa imago Dei, cum magna diligentia dicitur, faciamus. Vnde dicit. Anima regale quid eſt, hinc demonſtratur, quòd nullius ſubdatur imperio, habens in ſe libertatem arbitrij, ſuoq; nutu, & moderamine diſpenſans ſe: ergo non requiritur diſpenſatio diuinæ prouidentiæ: ergo ea, quæ ſunt à libero arbitrio, non ſubſunt prouidentiæ. Alex. ead. q. 26. m. 4. a. 3.

6 Gen. 1. dicitur, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, at conſtans eſt, quòd imago & ſimilitudo noſtra, non dicit aliud ibi, niſi eſſentiam diuinam. Ergo pronomen poſſeſſiuum deſignat diuinam eſſentiã. Alex. ead. q. 49. m. 5. a. 1.

7 Deus eſt nomen operationis, ſed operatio Dei deſignatur pluraliter. Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem &c. actio enim numeratur ſecundùm perſonas: ergo ſimiliter poterimus dicere, plures Deos. Alex. ead. 9. 50. m. 2.

Cum

8 Cum ſit in nobis duplex eſſe, ſcilicet naturę, & gratię. aut dicimur filij Dei propter eſſe naturæ, aut propter eſſe gratię. Si propter eſſe naturę, tunc quælibet creatura poteſt dici filius Dei, ſicut & rationalis, quoniam illo modo non dicitur Deus pater, niſi per creationē: ſed creator eſt omnium, ergo paternitas, quę ineſt ei per creationem, erit reſpectu cuiuſlibet creaturæ. Si autem dicimur filij Dei ſolùm propter eſſe gratię: hoc non videtur. Dicimur enim filij propter imaginem Dei, quę eſt in nobis: ſed imago non differt niſi ſecundùm magis, & minus in conformatione ad Deum, prout dicitur imago creationis, & recreationis, ſiue imago naturæ, & gratię. Sed magis, & minus non facit differre filium à non filio: ergo vtroq; modo dicimur eſſe filij Dei. Alex. ead. q. 60. m. 2.

9 Mali ſunt creati ad imaginem Dei. Sed propter imaginem dicimur filij Dei. Ergo mali homines poſſunt dici filij Dei. Alex. ibi m. 3.

10 Gloſſa habet, cum dicitur, Faciamus &c. Non eſt vna communis imago Dei, & Angelorum: ſed trium perſonarum intelligitur imago: quæritur ergo ſecundùm hoc, quid ſit imago; aut eſſentia ſolùm, aut eſſentia in perſonis; & cùm imago intelligatur, quę eſt communis trium perſonarum, & inquantum huiuſmodi, ſicut dicit Beda, erit imago, ſecundùm hanc acceptionem, eſſentia in tribus perſonis. Et hoc eſt, quod dicit Auguſtinus in ſer. de imagine: Eſt ſimilitudo Trinitatis in anima, quæ eſt ad imaginem ſui Conditoris, perfectè in patre, & filio, & ſpiritu ſancto condita: Et licet illa vnius naturæ ſit, habet tamen tres dignitates, intellectum, voluntatem, & memoriam. Et ſicut Deus pater, Deus filius, & Deus ſpiritus ſanctus, non tamen tres Dij: ità anima eſt intellectus, voluntas, & memoria, non tamen tres animæ. Ex hoc relinquitur, quòd cùm dicitur, imago in diuinis eſſentialiter, Imago eſt eſſentia in tribus perſonis, Alex. ead. q. 61. m. 1.

11 Auguſtinus in ſermone de Imagine inquit, quòd nulli crea

creaturę dedit Deus, vt eſſet ad imaginem, niſi ſoli homini, & hoc vult accipere ex eo, quod dicitur de ſolo homine, Faciamus hominem &c. ergo Angelus nō poteſt dici ad imaginem. Alex. 2. part. q. 20. m. 3.

12 Hilarius lib. de Synod. inquit, imago eſt eius rei ad quam imaginatur ſpecies indifferens, & iterum, imago eſt rei ad rem coæquandam indiſcreta, & vnita ſimilitudo: ſed conſtat, quòd nulli creaturæ cōuenit, quòd ſit indifferēs à Deo, ergo nulla creatura propriè dicitur imago: ſed ſolùm ad imaginem: vt per hoc denotetur diuerſitas creaturæ ad Creatorem: & ſecundùm hoc videtur dictum Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem. Malè ergo Areopag. c. 6. de Diu. nom. diffinit Angelum dicens, Angelus eſt imago Dei &c. Alex. ibi.

13 Libertas ſequitur rationem imaginis: ſed ratio imaginis magis propriè videtur eſſe in homine, quā in Angelo, quod patet ex eo, quòd in canone ſacrę Scripturę legitur, quòd homo ſit ad imaginem Dei: non ſic autem legitur de Angelo, ergo ſecundùm hoc magis erit libertas, vel ſaltem magis propriè, in homine, quam in Angelo. Alex. ead. q. 29. m. 1. a. 3.

14 Anima rationalis, inquantum huiuſmodi, eſt ad imaginem Dei, imago autem eſt ſimilitudo expreſſa. ergo imago per quam reformatur ineſt immediatè à Deo: ſed hæc eſt imago ſimilitudinis in cognitione: ergo talis non datur Angelo mediante: & ità Angelus non illuminat hominem. Alex. ead. q. 40. m. 1.

15 Sicut homo gerit imaginem Dei ratione bonitatis, & ſapientiæ, ità ratione potentiæ: Vnde Gen. 1. poſtquam dictum eſt, faciamus &c. ad imaginem, ſtatim ſubiungitur de potentia; Et præſit piſcibus maris. Sed inter imaginem, & illud, cuius eſt imago, nihil interponitur: ergo inter hominem, inquantum gerit imaginem Dei in potētia cognoſcendi, & Deum, nihil eſt medium: immo immediatè eſt ſub poteſtate Dei. Sed cuſtos habet poteſtatem ſuper cuſtoditū: ergo angelus non eſt cuſtos hominis: ſiue non habet poteſtatem

ſtatem cuſtodiendi. Alex. ead.q.41. m.1.

16 Conſtat quòd anima eſt ad imaginem Dei, ſicut imago: & non ſicut hæc figura eſt imago Herculis: ergo eo modo, quo imago dicitur ſecundùm Philoſophum, cuius generatio eſt per imitationem: ſed in generatione generatum eſt de ſubſtantia generantis: ergo anima eſt de ſubſtantia Dei. Alex. ead. q. 60. m.1.

17 Secundùm Dam. hominem eſſe ad imaginem Dei, ſignificat intellectuale, & arbitrio liberum, & per ſe poteſtatiuũ: ergo ſecundùm lib. arb. eſt homo ad imaginem Dei: ſed aliqua ratio eſt communis imagini, & ei, cuius eſt imago: ergo lib. arb. commune eſt Deo, & creaturæ. Alex. ead. q. 72. m. 3.

18 In emanatione perſonarum à patre prius natura eſt emanatio perſonæ, quæ eſt imago patris, quàm illius, quæ non eſt imago: & hoc ſecundùm ordinem conuenientiſſimum. A ſimili videtur, quòd in emanatione, ſiue creatione perſonarum creatarum à Deo, debeāt primò produci in eſſe, ſiue cauſſari illæ, quæ ſunt ad imaginem creantis, ſiue imago: & ſi hoc, homo debebat cum primis creaturis creari, ergo & corpus. Item, corpus primi hominis inter omnia corpora ſingulari ratione fuit imago Dei, vel homo ſecundùm illud, vnde ratione qua ſupra: debebat inter primò creata creari. Alex. ead. q. 83. m. 2.

19 Duo creauit Deus ad imaginem ſuam, ſcilicet Angelum, & Animam: quæ ſunt creaturæ rationales, & perfectiſſimæ in genere creaturarum. Angelus ſtatim conditus habuit perfectionem cognitionis, & hoc requirebat eius perfectio: ſimiliter videtur, quòd anima creata ſit perfecta ſcientia, ſecundùm quòd debet eſſe, niſi culpa interueniente impediatur, vel quare non? cum homo ſit perfectionis maioris? & ità in ſtatu Innocentię fuiſſent filij geniti perfecti in ſcientia. Alex. ead.q.89.m. 2.

20 Gen. 1. habetur. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: ſed, ſicut exponit Auguſtinus: Imà

go eſt in naturalibus, ſimilitudo in gratuitis: ergo homo con-
ditus fuit in naturalibus, & in gratuitis. Alex. ead. q. 90. m. 1.

Homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt,
21 non ſolùm ſecundùm quòd hic homo, ſed etiam ſecundùm
quòd homo, hoc autem ex ordine ſuperioris portionis ad
Deum, in quo eſt maxima nobilitas: cùm ergo peccatũ mor-
tale ſit corruptiuum boni naturalis, illud erit maximè corru-
ptiuum, quod deordinauit ſuperiorem portionem ad Deũ;
ſed tale peccatum fuit ſuperbia. Vnde ad euerſionem ſupe-
rioris portionis ſecutæ ſunt euerſiones inferiorũ viriũ: & ità
generatiuè facta eſt corruptio: ex corruptione autẽ generati-
uæ traducitur originale: & ità videtur, quòd per ſuperbiam
facta ſit corruptio originalis. Alex. ead. q. 105. m. 3. a. 3.

Si peccatum veniale macula eſt, deformat illud, in quo
22 eſt: ſed in lib. arbitrio eſt; ergo deformat lib. arb. ſed libe-
rum arbitrium eſt conditum ad imaginem Dei: ergo venia-
le deformat imaginẽ Dei: ergo tollit gratiã: manente enim
gratia gratum faciente reformatur imago Dei. Peccatum
autẽ veniale tollere gratiam falſiſſimum eſt, ergo non eſt ma-
cula. Alex. ead. q. 107. m. 1.

Inter imaginem, & illud, cuius eſt imago, ſi aliquid ad-
23 ditur, quod ſit alterius generis, plus facit diſſimilitudinem,
quam ſimilitudinẽ: quia imago eſt expreſſa ſimilitudo eius,
cuius eſt imago, ſed anima eſt imago diuinitatis, ergo ſi ali-
quid alterius generis veniret medium inter animam, & diui-
nitatem, induceret diſſimilitudinem inter ea: gratia verò eſt
alterius generis, quàm Dei imago, quæ eſt anima: ergo
mediante ipſa non fit vnio animę Chriſti cum diuinitate.
Quod gratia, & imago Dei, quæ eſt anima, ſint alterius ge-
neris, patet, quia anima eſt in genere naturali, & gratia in
genere gratuito. Alex. 3. p. q. 7. m. 2.

Damaſce: lib. 4. dicit, A principio Deus hominem ſecun-
24 dum propriam imaginem fecit: cuius igitur gratia nos ad in-
uicem adoramus, niſi quòd ſecundùm Dei imaginem facti
ſumus? Ex quo obijcitur, quòd ſi omnes homines ad imagi-

nem Dei æqualiter facti ſunt: ergo omnes homines æqualiter adorandi ſunt. Alex. ead. q. 30. m. 3. a. 2.

25 Dicit Ioan. Damaſc. quòd honor, qui exhibetur imagini refertur ad illum, cuius eſt imago: vnde dicit magnus Baſilius. Honor imaginis ad prototypum peruenit, id eſt, ad exemplar, eſt enim prototypon prima forma exemplaris, ad quam facta eſt imago. Cùm ergo homo ſit expreſſiſſima imago Dei, poterit in homine adorari Deus latria: & ità per conſequens homo poteſt adorari latria. Alex. ibi.

26 Maior eſt dignitas imaginis in bono ſubdito, quã in malo prælato; ſed dignitas imaginis ratio eſt, quare nos adinuicẽ adoramus, vt dicit Damaſc. ergo maior veneratio debetur bono ſubdito, quàm malo prælato. Alex. ibi.

27 Si enim, cùm dicitur, Gen. 1. Faciamus &c. illa imago eſſet filius, tunc non deberet dici, noſtrã, ſed meã, quia filius imago ſolius patris eſt: ſi autem eſt vnitas eſſentiæ in tribus perſonis. vt dicit Auguſt. 15. de Trin. tunc videtur, quòd malè dicatur imago. Imago enim dicitur quaſi imitago, quia imitãdo refert ad alterũ, quod eſt ante ſe, vnitas autẽ eſsẽtiæ in ꝑſonis nihil habet ante ſe, quod imitetur. Alb. 1. p. q. 35. m. 2.

28 Cùm dicitur, Gen. 1. Faciamus hominem. Verbum eſt patris ad filium, & ſpiritum ſanctum: & facere eſt eſſentialis actus: ſicut autẽ vna eſt eſſentia trium, ſic vnus eſſentialis actus trium: & ſic videtur, quòd deberet dici nõ pluraliter, ſed ſingulariter, faciam hominem. Alb. ead. q. 58. m. 1.

29 Cùm dicitur. Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vel per imaginem, & ſimilitudinem ſupponitur quid creatum, vel quid increatum. Si quid ſupponitur increatũ, hoc erit eſſentia, vel perſona: ſi eſt eſſentia, tunc idem eſt dictum. Faciamus hominem ad imaginẽ, & ſimilitudinem, quòd, faciamus hominẽ ad eſſentiã noſtram: Et cum homo ad minus ſecundùm animam ſit imago Dei: eo quod imago Dei ſecundùm mentẽ in anima eſt impreſſa: vt dicit Auguſtinus 15. de Trin. tunc eſſentia diuina eſſet ſecundùm mentem hominum impreſſa: & ex hoc ſequitur hæ

reſis, quę dicit: quod Deus fecit animam hominis de ſua ſubſtantia: quæ eſt hæreſis condemnata in Concilio Niceno. Sequeretur enim, quòd homo eſſet, & Creator, & creatus, & peccabilis, & impeccabilis, vt dicit Damaſc. & vertibilis & inuertibilis, quæ abſurda ſunt omnia. Si autem ſupponitur perſona: tunc non poteſt ſupponi perſona, niſi filij: quia ille ſolus eſt imago, Colloſ. 1. Qui eſt imago Dei inuiſibilis. Et tunc idem eſt dictum. Faciamus hominē ad imaginem, quòd faciamus ad filium; & tunc incongruè dicitur, noſtram; quia filius non eſt imago Trinitatis, ſed ſolius patris. Si dicatur, quòd quid creatum ſupponitur: hoc non poteſt eſſe, niſi homo, vel angelus: & tunc idem eſſet, ac ſi diceret, Faciamus hominem ad hominem, vel angelū, qui eſt imago noſtra, quod valde inconueniens eſt: quia ex modo loquendi, cùm dicitur ad imaginem, importatur aliquid, quod eſt ante facturam hominis, ad cuius imitationē fit homo: & hoc non eſt angelus, quia ad imitationē angeli non eſt factus homo, vt Dicit Damaſc. & homo non eſt, quia homo ante hominem non fuit, ad cuius imitationem factus homo conderetur, Alb. 2. p. q. 64.

30 Dicit Hilar. quòd imago eſt rei ad rem coæquandam ſpecies indifferens, vel indiſtincta ſimilitudo, & ſic ſatis per imaginem intelligitur ſimilitudo: Nugatoriè ergo additur, ad ſimilitudinem. Alb. ibi.

31 Cùm imago dicatur de homine, & de filio Dei. Vel dicitur vniuocè, vel æquiuocè, non vniuocè, quia in homine, & in filio videtur differre, ſicut artificiale, & naturale, dicente Auguſtino, quòd in homine eſt imago Dei, ſicut imago Cęſaris in ſolido aureo, in filio autem, ſicut imago Cæſaris in filio ſuo naturali. Non æquiuocè, quia æquiuoca, nec vnius rationis ſunt, nec attingunt vnū in ratione, imago verò in homine attingit vnitatem eſſentiæ in tribus, & rationē principij in patrę, quia ſicut pater eſt principium totius Deitatis, ità homo totius humanitatis principiū eſt. Nullo ergo modo poteſt dici imago de homine. Alb. 2. Sent. d. 16. a. 6.

32 Omne figuratum eſt corpus, cùm figura ſit qualitas circà quantitatem: ſed Deus videtur eſſe figuratus, cùm ſcriptum ſit Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Figura enim imago dicitur, ſecundùm illud Heb. 1. Cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. id eſt, imago. ergo Deus eſt corpus. D. Tho. 1. p. q. 3. a. 1. arg. 2.

33 Secundùm æquiuoca non attenditur aliqua ſimilitudo, cùm igitur creaturæ ad Deum ſit aliqua ſimilitudo, ſecundùm illud, Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginē &c. videtur, quòd aliquid vniuoce de Deo, & creaturis dicatur. D. Tho. ead. q. 13. a. 5.

34 Anima intellectiua maximè ad diuinam ſimilitudinem accedit; ſed in Deo eſt vna, & ſimplex potentia: ergo & in anima intellectiua. D. Tho. ead. q. 77. a. 2.

35 Id, quod primò cognoſcitur in imagine, eſt exēplar, quo imago formatur, ſed in mente noſtra eſt Dei imago. ergo id, quod primò cognoſcitur in mente noſtra, eſt Deus. D. Tho. ead. q. 88. a. 3. arg. 3.

36 Nullus peccat appetendo id, quod ſibi competit ſecundùm ſuam naturam; ſed ſimilitudo Dei competit homini ſecundùm ſuam naturam. Dicitur enim Gen. 1. Faciamus hominem &c. ergo non peccauit diuinam ſimilitudinem appetendo. D. Tho. 22. q. 163. a. 2.

37 Vbi eſt præſentia rei, non requiritur eius imago. Sed homo ſecundum mentem eſt ad imaginē Dei, cū ergo in Chriſto fuerit pręſentia ipſius diuini verbi, non oportuit ibi eſſe mentem humanam. D. Tho. 3. p. q. 5. a. 4.

38 Chriſto debetur adoratio latriæ ratione diuinitatis, non ratione humanitatis: ſed imagini diuinitatis eius, quæ eſt animæ rationali impreſſa, non debetur adoratio latriæ: ergo multò minus imagini corporali, quæ repręſentat humanitatem ipſius. D. Tho. ead. q. 25. a. 3. arg. 3.

39 Ad hoc gratia datur homini, vt per eam Deo configuretur, & aſſimiletur: Sed ex conditione naturæ ſuæ homo ad

imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt. ergo ſi natura in tegra in eo maneret alia gratia non indigeret. D. Tho. 2. Sent. d. 29. a. 1. arg. 5.

40 Nullus ſapiens ponit theſaurum ſuum in loco, in quo inquinatur, ſed anima precioſiſſimus theſaurus Dei eſt, imagine Dei inſignita: ergo non decet diuinam ſapientiam, vt tali corpore infundatur, ex quo maculam contrahat. D. Tho. eod. d. 32. q. 2. a. 2.

41 Ex ipſa creatione Deus imprimit rationali creaturæ imaginem ſuã, ſecundùm quàm dicitur filius Dei: ſed non ado ptat, niſi inquantum nos filios ſuos facit: ergo ex ipſa creatione homines adoptat. D. Tho. 3. d. 10. q. 2. a. 2. arg. 3.

42 Homini debetur dos & beatitudo ſecundùm quod eſt ad imaginem Dei: ſed homo non eſt ad imaginem ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam: vt patet per Auguſtinum in lib. de Trin. Ergo corpori non debentur dotes. D. Tho. 4. d. 49. q. 4 a. 5. quæſt. 1.

43 Aliqua creatura eſt ad imaginem Dei, vt patet Gen. 1. Sed ſecundùm Hilar. Imago eſt rei ad rem coæquandam in diſcreta, & vnita ſimilitudo: & ſic imago adæquare poteſt id, cuius eſt imago. Cùm ergo Deus nullo ęxteriori conſeruante indigeat, videtur, quòd hoc potuit creaturæ cõmu nicare. D. Tho. de potent. Dei. q. 5. a. 2. arg. 3.

44 Nihil eſt illud, ad quod fit, quia nihil fit ad ſe ipſum, ſed homo factus eſt ad imaginem Dei, ſicut dicitur Gen. 1. ergo homo non eſt imago Dei. D. Bon. 2. Sent. d. 16. q. 1.

45 In ſolius hominis conditione dictum eſt, Faciamus homi nem ad imaginẽ &c. Sed hæc eſt nobiliſſima conditio, quę, ſi daretur alijs, nullo modo deberet prætermitti, ergo vide tur, quòd nulli alij, quàm homini eſſe ad imaginem ſuã Deus dederit: quod ſi prætermiſit de alijs, & non de homine: tunc quæſtio eſt, quare Scriptura hoc fecit. D. Bon. loco cit. q. 3.

46 Gen. 1. habetur, Faciamus hominem ad imaginem &c. hoc dictum eſt ſexta die: ſed poſt ſeptimam ſubditur, For-

mauit Deus hominem de limo terrę. Igitur prima forma-tio ad animã refertur, ſecunda ad corpus: ergo prius fuit facta anima, quàm corpus. D. Bon. eod. d. 17. q. 3.

47 Magis dictũ eſt de homine: Faciamus hominẽ &c. quam de angelo: ergo màgis eſt in homine imago Dei, quam in angelo. Aegid. 2. d. 16. q. 2. a. 1.

48 Voluntas, ſiue accipiatur pro potentia, ſiue pro actu, videtur ad imaginem pertinere: Nam in ijs tribus viribus, memoria, intelligentia, & voluntate ponitur eſſe imago Dei: Sic etiã, prout hæ tres vires per ſuos actus tendunt in ſua obiecta, poteſt ibi aſſignari imago. Sed peccatum non videtur poſſe eſſe in ijs, in quibus eſt imago: quia tunc imago tolleretur per peccatum: quòd eſt falſum, iuxtà illud Prophętę, In imagine pertranſit homo, & tamen fruſtrà turbatur. Ergo licet homo fruſtrà turbetur, & inordinatè ſe habeat: tamen tranſit in imagine, & propter hoc non amittit imaginẽ. ergo peccatum non eſt in voluntate. Aegid. eod. d. 39. a. 1.

49 Auguſtinus dicit 14. de Trin. Mens, eſt imago Dei: quo capax eſt, vel capax eſſe poteſt. Capax autem eius eſt per cognitionem, vt exponitur in lib. de ſpiritu, & anima. Eſt autem imago Dei: non quo aliquid eſt ſimpliciter: quo ad hoc enim omnis creatura eſt ſimilis Deo: & eius veſtigium, vt dicitur lib. 83. quæſt. quęſt. 51. ſed ratione quod quid eſt in eo, ſcilicet ratione vnitatis eſſentię, & trium perſonarum. Dixit enim Deus trinus, & vnus illud Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem &c. vt exponunt Aug. & Hilar. Ergo Deus ratione eius, quod quid eſt in eo, capax eſt ab homine per cognitionem. Henric. in Sum. art. 24. q. 1.

50 Vt habetur Gen. 1. Nos facti ſumus ad imaginem Dei, ſcilicet, quantùm ad animam. Sed res poteſt cognoſci in ſua imagine, ergo cùm poſſimus cognoſcere in noſtra anima eſſentiæ vnitatem, & potentiarum trinitatem, videtur, quòd per hoc poſſimus in Deo cognoſcere perſonarum Trinitatem, & eſſentię vnitatem. Item, quia in creatura eſt veſtigiũ Dei: ideo per cognitionẽ creaturæ ſecundùm id, quod

eſt

eſt, deuenire poſſumus in cognitionem eiuſdem, ſub ratione qua in ea veſtigium Dei eſt: ergo a ſimili, cum in anima noſtra ſit imago ſummę Trinitatis, & vnitatis: per cognitionē animę noſtræ ſecundum id, quod eſt, deuenire poſſumus in cognitionem eiuſdem, ſub ratione, qua in ea eſt imago ſummæ Trinitatis, & vnitatis: ſed ſic, cognoſcendo animam noſtram, cognoſcere poſſumus quòd Deus eſt Trinus & Vnus. Ric. 1.d. 3.a.2.q.2.

51 In Trinitate, perſonæ ſunt realiter diſtinctę: ſed imago Trinitatis eſt in anima hominis: ergo anima hominis habet tria realiter diſtincta: ſed non ſunt actus, quia imago eſt perpetua, cuiuſmodi non ſunt actus, ergo ſunt potentiæ, quæ ſunt realiter diſtinctę. Doct. Subt. 2. d. 16. q. vnic.

52 Illud, quod conuenit tribus perſonis eſt eſſentiale, ſed eſſe imaginem conuenit tribus perſonis, ergo imago indiuinis dicitur eſſentialiter: minor probatur per illud, quod dicitur Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Dur. 1. Sent. d. 28.q.3.

53 Perſonæ diuinę inuicem loquuntur, & patet Gen. 1. Faciamus hominem &c. Ergo poſſunt ſimiliter inuicem orare, explicando propriæ voluntatis deſiderium.

54 Perfectiſſimum eſt in homine id, in quo factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ſed homo factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei in eo, quòd eſt intellectiuus, aut liberi arbitrij, & capax beatitudinis, quę omnia competunt homini ratione eſſentiæ ſpecificæ: Ergo hæc eſt perfectiſſima omnium, quę ſunt in homine, atquę conſequenter perfectior quam exiſtentia.

CONCLVSIONES.

1 HAEC *propoſitio non eſt recipienda, Deus ab æterno fuit ſolus.*] Gen. 1. dicit Deus, Faciamus hōminem ad imaginē & ſimilitudinem noſtram: his verbis in ſe oſtendit pluralitatem, pluralitas autem excludere videtur ſolitudinem: ergo Deus nunquam

fuit ſolus. Ric. 1. Sent. d. 21. q. 1. Et ſuddit, cùm dicitur, Deus ab æterno fuit ſolus, ſenſus eſt, quòd Deus ab æterno fuit ſolitarius; quod recipi non debet, quia quamuis ab ęterno omnino non fuerit aliqua eſſentia alia, quàm diuina: tamen in illa eſſentia eſt, & fuit ab ęterno perſonarum pluralitas, quæ à Deo ſolitudinem excludit. Hæc ille. Itaq; iſta eſt falſa. Deus ab ęterno fuit ſolus. iſta vera. Solus Deus fuit ab ęterno. Et nota; quòd ſi in diuinis non eſſent plures perſonæ, Deus poſſet dici ſolus, id eſt, ſolitarius, licet ſit cum Angelis, & animabus ſanctis. Non enim tollitur ſolitudo per aſſociationem alicuius, quod eſt extraneę naturæ: dicitur enim aliquis eſſe ſolus in horto, quamuis ſint ibi multę plantę, & animalia: & dicimus aliquem religioſum incedere ſolum, cum ſine ſocio ſui ordinis vadit, multis etiam ipſum comitantibus: & ſimiliter diceretur Deus ſolus, vel ſolitarius, angelis, & hominibus cum eo exiſtentibus, ſi non eſſent in diuinis perſonæ plures. D. Tho. 1. p. q. 31. a. 3. in ſolut. 1.

2 ¶ *Pater & filius in diuinis ſunt diſtinctæ perſonæ.*] Dicitur Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginē & ſimilitudinem noſtram, in quo expreſsè pluralitas, & diſtinctio facientium hominem deſignatur. Homo autem per ſcripturas à ſolo Deo conditus eſſe docetur: & ſic Dei patris, & Dei filij pluralitas, & diſtinctio fuit, etiam ante Chriſti incarnationem: non igitur ipſe pater filius dicitur propter incarnationis myſterium, vt Sabellius finxit, ponens filiū non eſſe perſonam à patre diſtinctam, ſed ipſum patrem dici filium, ſecundùm quòd carnem aſſumpſit. D. Tho. 4. contra Gent. c. 5.

3 ¶ *Aliqua creatura poteſt eſſe ſimilis Deo.*] Dicitur Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Ergo aliqua creatura poteſt eſſe ſimilis Deo. D. Tho. 1. p. q. 4. a. 3. Obſeruat in ſolutione primi ex Dio. 9. cap. de Diu. nom. quòd, cùm ſacra Scriptura dicit aliquid non eſſe ſimile Deo, non eſt contrarium aſſimilationi ad ipſum: eadem enim ſunt ſimilia Deo, & diſſimilia. Similia qui-

dem, ſecundùm quòd imitantur ipſum, prout conuenit eum imitari, qui non perfectè imitabilis eſt. Diſſimilia verò, ſecundùm quod deficiunt à ſua cauſſa: non ſolùm ſecundùm ſuam intenſionem, & remiſſionem, ſicut minus album deficit a magis albo, ſed quia non eſt conuenientia, nec ſecundùm ſpeciem, nec ſecundùm genus, ſed ſecundùm analogiã tantùm: prout, ſcilicet, Deus eſt ens per eſſentiã, & alia per participationem. Et in ſolutione quarti, ait; licet aliquo modo concedatur, quòd creatura ſit ſimilis Deo: nullo tamen modo concedendum eſt, quòd Deus ſit ſimilis creaturę: quia, vt dicit Dio.9.cap.de diu. nom. In ijs, quæ vnius ordinis ſunt, recipitur mutua ſimilitudo, non autẽ in cauſſa, & cauſſato. Dicimus enim, quòd imago ſit ſimilis homini, & non è conuerſo. Et ſimiliter dici poteſt aliquo modo, quòd creatura ſit ſimilis Deo: non tamen quòd Deus ſit ſimilis creaturæ. Hinc Iſa. 40. dicitur. Cui ſimilem feciſtis Deum. Hęc ille. Concordat Argent. 3. Sent. d. 5. a. 4. Nulla (inquit) relatio æquiparantiæ eſſe poteſt inter Deum & creaturam, quia talis relatio requirit extremorum mutuã, & æqualem dependentiam: Deus autem non dependet ab aliqua creatura. Vnde licet ſimilitudo reperta inter duas creaturas ſit relatio æquiparantię, non tamen, vt eſt inter Deum, & creaturam, quamuis homo verè dicatur ad ſimilitudinem Dei factus. Gen. 1. Hæc ille.

4 ¶ *Homo eſt imago Dei naturalis.*] Quod ineſt alicui à prima ſua origine, ineſt ei naturaliter, ſed eſſe imaginẽ Dei conuenit homini à ſua prima conditione: ergo ineſt ei naturaliter. Item, quod conuenit alicui ſecundùm naturales eius proprietates conuenit ei naturaliter: Sed eſſe imaginẽ conuenit homini ſecundum intrinſecas potentias, & naturales: ergo conuenit naturaliter. Item, eſſe imaginem Dei nõ eſt homini accidens, ſed potius ſubſtantiale. Sicut eſſe veſtigium, nulli accidit creaturæ: ſi ergo homo non eſt imago Dei naturalis, ergo non eſt res naturalis, ſed artificialis, ſi ergo hoc eſt planè falſum; ſcilicet, quòd homo ſit artificia-

lis, ergo non eſt imago artificialis, ſed naturalis. D. Bon. 2. d. 16. q. 2. Dicit quoq;, differt dicere imaginem naturalem, & connaturalem. Imago naturalis eſt, quę repræſentat per id, quod habet à natura, ſiue cum illo, quod repræſentat, conueniat in natura, ſiue non. Imago verò connaturalis dicitur, quæ imitatur, & refertur non ſolùm per id, quod habet a natura, ſed per conuenientiam in eadem natura. Homo ergo eſt imago naturalis, ſed filius imago connaturalis. Hęc ille. Concordat D. Tho. 1. p. q. 35. a. 2. ad 3. Imago alicuius dupliciter in aliquo inuenitur; Vno modo, in re eiuſdem naturę ſecundùm ſpeciem, vt imago Regis inuenitur in filio ſuo. Alio modo, in re alterius naturæ, ſicut imago Regis inuenitur in denario. Primo autem modo, filius eſt imago patris, ſecundo verò modo, dicitur homo imago Dei. Et ideo ad deſignandam in homine imperfectionem imaginis, homo non ſolùm dicitur imago, ſed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem deſignatur. Sed filius Dei non dicitur eſſe ad imaginem, quia eſt perfecta patris imago. Hæc ille.

5 ¶ *In homine eſt imago Trinitatis.*] Dicitur nanq; Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Nota, Noſtram. Dur. 1. Sent. d. 3. part. 2. q. 1. Subdit, in Trinitate eſt vnitas eſſentiæ cum pluralitate perſonarum, quarum ſecunda originatur a prima, & tertia ab vtraque, ſed in homine eſt inuenire tres potentias in vna eſſentia, quarum potentiarum ſecunda aliqualiter originatur à prima, & tertia ab vtraq;, vt patebit inferiùs: ergo in homine eſt quędam imitatio, & imago Trinitatis. Potentię autem hæ, ſecundùm quas imago attenditur, ſecundũ nomen ſuũ ſunt, memoria, intelligentia, & volùntas, de quarum vnitate, & origine poſteà dicetur. Hęc ille. Secundùm. D. Tho. 1. p. q. 93. a. 5. ſic deducitur. In homine eſt imago Dei quantùm ad naturam diuinã, ergo & quantùm ad Trinitatem perſonarum, quia in ipſo Deo vna natura exiſtit in tribus perſonis. Et 4. contrà Gent. c. 26. Similitudinem Tri-

nitatis

nitatis in mente humana ità conſiderat; Ipſa (inquit) mens ex hoc, quòd ſe actu intelligit, verbum ſuum concipit in ſe ipſa: quod nihil aliud eſt quàm ipſa intentio intelligibilis mentis: quę & intentio intellecta dicitur in mente exiſtens: quæ dum vlteriùs ſe ipſam amat, ſe ipſam producit in voluntate vt amatum. Vlteriùs autem non procedit intrà ſe, ſed concluditur circulo, dum per amorē redit ad ipſam ſubſtantiam, à qua proceſſio inceperat per intentionem intellectā: ſed fit proceſſio ad exteriores effectus, dum ex amore ſui procedit ad aliquid faciendum. Et ſic tria in mente inueniuntur. Mens ipſa, quæ eſt proceſſionis principium in ſua natura exiſtens: & mens concepta in intellectu: & mens amata in voluntate. Non tamen hęc tria ſunt vna natura, quia intelligere mentis non eſt eius eſſe, nec eius velle eſt eius eſſe, aut intelligere; Et propter hoc etiam mens intellecta, & mens amata non ſunt perſonæ, cùm non ſint ſubſiſtentes: Mens etiam ipſa in ſua natura exiſtens non eſt perſona: cum non ſit totum, quod ſubſiſtit: ſed pars ſubſiſtentis, ſcilicet, hominis. In mente igitur noſtra inuenitur ſimilitudo Trinitatis diuinæ, quantùm ad proceſſionem, quę multiplicat Trinitatem, cùm ex dictis manifeſtum ſit, eſſe in diuina natura Deum ingenitum, qui eſt totius diuinę proceſſionis principium, ſcilicet patrem, & Deum genitum per modum Verbi in intellectu concepti, ſcilicet filium: & Deum per modum amoris procedentem, ſcilicet Spiritum Sanctum. Vlteriùs autem intrà diuinam naturam nulla proceſſio inuenitur, ſed ſolùm proceſſio in exteriores effectus. In hoc autem deficit à repræſentatione diuinæ Trinitatis, quod pater, & filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnius naturę: & ſingulus horum eſt perſona perfecta: eò quòd intelligere, & velle ſunt ipſum eſſe diuinum. Et propter hoc ſic conſideratur diuina ſimilitudo in homine, ſicut ſimilitudo Herculis in lapide, quantùm ad repræſentationem formę: non quantum ad conuenientiam naturæ. Vnde & in mente hominis dicitur eſſe imago Dei, ſecundùm illud Gen. 1. Faciamus hominem ad ima-

imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Hæc ille.

6 ¶ *In Viro magis viget imago Dei, quàm in muliere.*] Vir plus viget intellectu, quam mulier; imago autem Dei reperitur in creatura, vt intellectualis eſt, ideo aliquã prærogatiuã videtur habere vir reſpectu mulieris, in hoc, quòd eſt eſſe ad imaginem Dei. Præterea,in creatione viri, dixit Deus. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: ſed in creatione mulieris dixit Deus. Non eſt bonum hominem dimittere ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi: igitur videtur, quòd vir immediatè ſit ad imaginem Dei, mulier autem immediatè ad imaginem, & ſimilitudinem viri, & mediante viro ad imaginem Dei, ergo aliquo modo in viro magis viget imago Dei. Argent. cit. d. 16. a. 3. Rurſum, quia homo eſt imago Dei, omnibus eſt prælatus, ſiue præpoſitus, ſecundùm quod innuitur Gen. 1. Faciamus hominem, & ſubditur, Et præſit piſcibus &c. ergo præſidere, ſi non conuenit homini in ſexu fœmineo, ſed maſculino, videtur, quòd imago excellentiori modo ſit in maſculino ſexu, quàm in fœmineo. D. Bon. cit. d. 16 a. 2. q. 2. De hoc ita loquitur D. Tho. 1. p. cit. q. 93. a. 4. ad 1. Tam in viro, quàm in muliere inuenitur Dei imago quantùm ad id, in quo principaliter ratio imaginis conſiſtit, ſcilicet, quantùm ad intellectualem naturam. Vnde Gen. 1. cùm dixiſſet, ad imaginem Dei creauit illum, ſcilicet, hominem, ſubdidit, Maſculum, & fœminam creauit eos, & dixit pluraliter, eos (vt Auguſtinus dixit) ne intelligatur in vno indiuiduo, vterq; ſexus fuiſſe coniunctus. Sed quantùm ad aliquid ſecundarium imago Dei inuenitur in viro, ſecundùm quòd non inuenitur in muliere: Nam vir eſt principium mulieris, & finis: ſicut Deus eſt principium, & finis totius creaturæ. Vnde cùm Apoſt. 1. Cho. 11. dixiſſet, quòd vir imago, & gloria eſt Dei, mulier autem eſt gloria viri; oſtendit, quare hoc dixerit, ſubdens: Non enim vir eſt ex muliere, ſed mulier ex viro: & vir non eſt creatus propter mulierem, ſed mulier propter virum. Hæc ille.

Homo

7 ¶*Homo magis eſt ad imaginem Dei quantùm ad quadam, quàm Angelus.*] De imagine poſſumus loqui dupliciter: aut quantùm ad id, in quo propriè conſiſtit imaginis ratio, aut quantum ad id, ad quod ſecundariò aſsignatur ſimilitudo imaginis. Propriè enim, & principaliter imago intellectualem naturam conſequitur. Vnde oportet, quòd vbi intellectualis natura perfectius inuenitur: etiam ibi ſit imago expreſſior. Et ſic cum natura intellectualis multò ſit dignior in Angelis, quàm in homine: eo quòd propter obumbrationē intellectualis luminis, homo rationalis dicitur, cùm ratio ſit quidam intellectus obumbratus: oportet, quod in Angelis ſit expreſsior Dei imago, quàm in anima, & in Angelis ſuperioribus quàm inferioribus, & in viro, quàm in muliere: quāuis iſta diuerſitas ſit minor, quàm prima: quia non ſequitur diuerſitatem naturæ ſecundùm ſpeciem. Aſſignatur etiam imago Dei in homine, ſed nō ità propriè, ſecundùm aliquas proprietates conſequentes: ſicut, quòd homo dominatur inferioribus creaturis, ſicut etiam Deus in toto vniuerſo: & eſt quodammodo finis earum, & hoc innuitur. Gen. 1. vbi poſt id, quod dictum eſt: Faciamus hominem ad imaginem; ſubiungitur, vt præſit piſcibus. Et ſimiliter, ſicut Deus eſt totus in qualibet parte vniuerſi: ità anima in qualibet parte corporis. Et ſecundùm hoc, & huiuſmodi alia, nihil prohibet hominem magis ad imaginem Dei eſſe, quàm Angelum: ſed hoc eſt ſecundùm quid, & non ſimpliciter: quia iudicium ſimilitudinis, vel diuerſitatis, quod ſumitur ab eſſentialibus rei eſt multò firmius. D. Tho. 2. cit. d. 16. a. 3. Eadem fuſius reperies apud Aegid. ead. diſt. q. 2. a. 1.

8 ¶*Natura humana diuinæ aliquo modo vnibilis in perſona.*] Eorum, quæ habent ſimilitudinem, facilis eſt vnio: ſed homo creatus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Gen. 1. Ergo humana natura diuinæ aliquo modo vnibilis eſt in perſona. D. Tho. 3. d. 1. a. 1. in cont. & d. 2. a. 1. quæſt. 2. in cont. ità arguit. Ex hoc eſt aliquid aſſumptibile à Deo, quod ad imaginem Dei eſt: ſed non poteſt dici, quod totum vniuerſum

ſit ad imaginem, niſi fortè poneretur vniuerſum animatum anima rationali, ſicut Platonici poſuerunt. Quod à fide alienum eſt: ergo vniuerſum non aſſumptibile. Hæc ille.

9 ¶ *Natura humana magis aſſumptibilis à Deo, quàm quæcunque alia.*] Loquendo de potentia Dei abſoluta, Deus poteſt aſſumere quamcunque creaturam vult. Vnde ſecundùm hoc non eſt vna creatura magis aſſumptibilis, quàm altera. Loquendo autem de potentia ordinata, illam naturam aſſumere poteſt, quam congruit eum aſſumere ex ordine ſuæ ſapientiæ. Vnde illa creatura dicitur aſſumptibilis, in qua huiuſmodi congruitas inuenitur. Inuenitur autem in humana natura congruitas præ alijs, quantùm ad tria, quæ in aſſumptione requiruntur. Primò, quantùm ad ſimilitudinem vnibilium: in humana enim natura inuenitur expreſſior ſimilitudo diuina, quam in aliqua creatura irrationali: quia homo, ſecundum quòd habet mentem, ad imaginem Dei factus dicitur: cùm in creaturis irrationalibus non niſi ſimilitudo veſtigij inueniatur. Et etiam quantùm ad quædam in ea eſt ſimilitudo diuina magis quàm in Angelica natura, vt poſt dicetur. Secundo, quantùm ad terminum aſſumptionis: terminatur enim aſſumptio ad vnitatem perſonę, perſonalitas autem non inuenitur in creaturis irrationalibus: cùm perſona ſit rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, vt Boet. dicit; In angelis verò eſt quidem perſona, ſed non ſecundùm originē diſtincta: cum vnus angelus ab alio non trahat originem: in humana verò natura eſt perſona diſtincta, etiam ſecundùm originem, & ideo conuenientiſsimè humana natura in vnitatem diuinæ perſonæ aſſumitur: quæ diſtinguuntur ſecundùm relationem originis. Tertiò, quantùm ad finem aſſumptionis. Si enim perfectio vniuerſi dicatur aſſumptionis finis præcipuus, vt quidam dicunt) nulla natura particularis aſſumi potuiſſet: per quam ità vniuerſum perfici poſſet; ſicut per aſſumptionem humanę naturæ. Tum quia homo eſt vltima creaturarum, quaſi vltimò creatus, cuius natura aſſumpta vltimum eſt coniunctum primo principio per modum

cir

circuli; quæ eſt figura perfecta: ex eò, quòd additamentum
non recipit. Tum etiam quia in homine quodam modo om
nes naturæ confluunt, quia cum omnibus creaturis aliquid
commune habet, vt dicit Greg. Vnde, homine vnito quo-
dammodo omnis creatura vnita eſt. Si vero finis aſſumptio
nis ponatur liberatio à peccato: ſic etiam ſola humana natu
ra congruè aſſumi potuit: quia in creatura irrationali pecca-
tum non erat; in angelica verò erat quidem peccatum, ſed
irremediabile, in homine verò erat remediabile. Et ideo ſo-
lam humanam naturam congruum fuit aſſumere: & ſic ea re-
parata, creatura irrationalis, quæ propter ipſius peccatum
quodam modo deteriorata dicitur, ſecundùm quòd in vſum
hominis cedit: reſtaurata eſt. D. Thò. loco proximè cit. in
corp. art. Et in ſolutione primi argumenti ſecundę quæſtiuc.
inquit. Angelica natura eſt Deo ſimilior, quàm humana,
ſi natura diuina in ſe abſolutè conſideretur. Si autem conſi-
deretur, ſecundum quòd eſt in perſonis per relationes ori-
ginis diſtinctis, ſic magis conuenit cum homine, vt dictum
eſt. Similiter etiam ſi conſideretur, ſecundũ quod eſt exẽ- 11
plar totius creaturæ. In homine enim inuenitur ſimilitudo
cum qualibet creatura, vt dictum eſt, non autem in Angelo.
Similiter etiam ſi conſideretur inquantum gubernat vniuer-
ſum: Sicut enim Deus totus eſt in qualibet parte vniuerſi
per eſſentiam, præſentiam, et potentiam, ſic, & anima in qua
libet parte corporis. Hæc ille. Veruntamen ex dictis eiuſ-
dem 3.p.q.4.a.1.ad.1. poſſumus ſuſtinere creaturam irrà-
tionalem inaſſumptibilem. Quod Henri. Quol.13.q.5.ex
preſsè fatetur, & D. Bon. cit. d. q.1. Etiam ſecundum Alb. An
gelus non eſt Deo vnibilis.

10 ¶ *Filius decenter incarnatus eſt.*] Quatuor ſunt propria
ipſius filij ſcilicet, quòd filius eſt, quòd verbum eſt, quòd
imago eſt, quod media, in Trinitate perſona: Vt imago cõ
ueniẽtiã habet cũ eo, qui repaãndus erat, ſcilicet, cũ homine,
qui ad imaginẽ Dei factus eſt. Gen. 1. Vnde decuit, vt imago
imaginem aſſumeret, increata creatã. Secundum autẽ quòd

filius

adexemplar diuinum, & in eſſe deducta. Homo ergo gerit in ſe ſimilitudinem diuinam expreſſam. Et hæc expreſſio poteſt eſſe quantùm ad potentiam, vel quantùm ad eſſentiam, & naturam. Quantùm ad potentiam, ſicut dicit Auguſtinus. Quòd in ſuperiori parte animę, ſcilicet, mente eſt, homo imago Trinitatis, quantùm, ſcilicet, ad potentias, quæ ſunt intelligentia, memoria, & voluntas. Secundùm hoc dico, quòd homo eſt ęquè imago Trinitatis totius. Vel, poteſt eſſe illa expreſſio quantùm ad eſſentiam, & naturam: & ſecundum hoc non dicitur homo æquè eſſe imago totius Trinitatis, ſed mágis filij, quia homo ſecundùm eſſentiā eſt, ens ab alio, & ab eo alius. Habet ergo poteſtatē producendi ex ſe perſonam. Pater enim eſt ens non ab alio, à quo alius; Spiritus Sanctus eſt ens ab alio, vel alijs: non tamen ab ipſo alius: filius eſt ens ab alio, & à quo alius. Homo igitur ſecundum proprietatem perſonæ non configuratur patri: in quo non inuenitur, quòd ſit ens ab alio, ſimiliter nec Spiritui Sancto: quia non inuenitur quod ab ipſo Sancto Spiritu ſit alius: ſed hoc totum inuenitur in filio. Et ideo magis competit, quòd ſit vnio ſecundùm configurationem ad proprietatē perſonæ filij, quàm ſecundùm configurationem ad proprietatem perſonæ alterius. Hæc ille.

12 ¶ *Non potuit homo, nec debuit per angelum reparari.*] Si homo reparetur, oportet, quòd reſtituatur ad dignitatem illam, quam habiturus erat ante peccatum, ſi non peccaſſet: ſed ſi reparetur per angelum, non poteſt reſtitui ad illam dignitatem, ergo per angelum nec potuit, nec debuit reparari. Quòd autem non poſſet reſtitui ad illam dignitatem, quam habiturus erat, ſi non peccaſſet, ſi reparetur per angelum, patet, quoniam ſi non peccaſſet, eſſet æqualis angelis Dei in cælo, quia homo factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Gen. 1. Si autem reparetur per angelum, nullo modo poterit peruenire ad illā dignitatem, quòd ſit ęqualis angelis; quoniā ratione ſuæ reparationis debet homo ſeruitiū ei, per quē reparatus eſt. Alex. cit. part. q. 1. m. 6. a. 1.

R ¶ Di

13 ¶ *Diuina eſſentia habet rationem ideæ reſpectu creaturarum.*] Ad cognoſcendum, An diuina eſſentia, quæ eſt primũ & principale obiectũ intellectus diuini, habeat rationem ideæ reſpectu creaturarum, obſeruandum eſt, quod, quædam ſunt perfectiones communes Deo, & creaturis, vt eſſe, viuere, cognoſcere, quædam ſunt ſolùm in Deo, vt eſſe omnipotentem, infinitum, & huiuſmodi, nec fiat vis modo, vtrùm dicant perfectiones, an non: quia certum eſt, quòd ſunt quædam diuinæ conditiones, & hoc ſufficit pro nunc. Alia ſunt, quæ ſolùm inueniuntur in creaturis, vt illa, quæ dicuntur per oppoſitum ad prędicta, vt eſſe finitũ, creatum, & præter hæc, omnia, quæ dicuntur quiditates rerum creaturarum, vt leo, bos, & huiuſmodi, vel perfectiones earum ꝓ eo modo, quo eis conueniunt, vt ſentire, vel ratiocinari, & huiuſmodi, quæ dicunt perfectionem modo, quo conuenit creaturis. Si ergo conſideretur eſſentia diuina, & creatura quantùm ad conditiones quę hinc, & inde dicuntur per oppoſitum, ſic eſſentia diuina nõ poteſt habere rationem ideę, nec creatura rationem ideati, cuius ratio eſt, quia illa, quæ non poſſunt ſe habere ſicut imitabile, & imitatiuũ, non poſſunt ſe habere ſicut idea, & ideatum, ſed eſſentia diuina & creatura conſideratæ quantùm ad conditiones, in quibus ſibi opponuntur, vt ſunt finitum & infinitum, creatum, & increatum, non poſſunt ſe habere, vt imitabile, & imitatiuum, ergo non poſſunt ſe habere, vt idea, & ideatum. Vtraque propoſitio patet ex rationibus terminorum, quia cauſſa prędicati includitur in ſubiecto. Si autem conſideretur Deus, & creatura quantùm ad perfectiones eis communes, vt ſunt eſſe, viuere, & cognoſcere, intellectus, & voluntas: ſic in diuina eſſentia bene inuenitur ratio imitabilis, & in creatura ratio imitatiui. Omnia enim, quæ ſunt, imitantur eſſentiam diuinam, quo ad eſſe, & omnia viuentia, quoad viuere, & omnia cognoſcentia quoad cognoſcere, & omnia intellectiua, quoad intelligere, & velle. Et hoc modo eſſentia habet rationem ideæ reſpectu creaturarum, & creaturę habent rationem

tionem ideatorum, vel Ideabilium. Et ſecundum hunc ſenſum dicitur Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Dur. 1. d. 36. q. 3. nu. 20. & 21. Subdit nihilominus, inter eſſentiam diuinam, & creaturas, non eſſe perfectam rationem ideæ, & ideati, quoniam creaturę imperfectæ imitantur diuinam eſſentiam, etiam quoad perfectiones hinc inde communes. Quantùm verò ad quiditates & perfectiones &c. Res habere diuinam eſſentiã pro Idea non videtur poſſibile, quia huiuſmodi perfectiones nullo modo ſunt in Deo formaliter, ſed tantùm virtualiter, & obiectiuè: Hæc ille. Cæterùm Ioa. Capre. cit. diſt. ad arg. contra Tert. Conc. dicit, quòd diuina eſſentia habet rationem Ideæ, non ſolùm quantùm ad perfectiones ſibi communes & creaturis, ſed etiam quoad illas, quę in ſolis creaturis reperiuntur formaliter, cuiuſmodi ſunt quiditates creaturarũ. Sufficit enim, quòd Idea ſit talis ſecundùm repręſentationẽ, qualis eſt res ideata in propria natura, non autẽ eſt neceſſe, quòd ſit eiuſdem naturæ cum ideato formaliter.

14 ¶ *A principio de neceſſitate ſalutis fuit credere Trinitatem explicitè.* In veteri Teſtamento multipliciter expreſſa eſt Trinitas perſonarũ, ſicut ſtatim in principio Gen. dicitur ad expreſſionem Trinitatis. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Ergo à principio de neceſſitate ſalutis fuit credere Trinitatem explicitè. D. Tho. 22. q. 2. a. 8. in cont. Subdit, myſterium Incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt ſine fide Trinitatis: quia in myſterio Incarnationis Chriſti hoc continetur, quòd filius Dei carnem aſſumpſerit, quòd per gratiam ſpiritus ſancti mundum renouauerit. Et iterùm, quòd de Spiritu Sancto conceptus fuerit: & ideo eodem modo, quo myſteriũ Incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit explicitè creditum à maioribus; implicitè autem, & quaſi obumbratè à minoribus; ità etiam, & myſterium Trinitatis. Et ideo etiam poſt tempus gratiæ diuulgatæ tenentur omnes ad explicatè credendum myſterium Trinitatis: & omnes, qui renaſcuntur in Chriſto, hoc

adipiſcuntur per inuocationem Trinitatis, ſecundùm illud Matth. VI. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritu ſancti. Hæc ille.

15 ¶ *Anima rationalis immortalis eſt.*] Potentiæ, ſeu vires illæ, in quibus conſiſtit imago: cuiuſmodi ſunt memoria, intelligentia, & voluntas, ſunt non organicę: at ſenium, & corruptio accidit potentijs, & virtutibus animæ ſolùm propter organa: iuxtà illud Philoſophi: Si ſenex haberet oculũ pueri, videret ſicut puer. Quo fit, vt virtutes animæ non organicæ non poſſint ſeneſcere, nec corrũpi. Ratione ergo potentiarum non organicarum, ſecundùm quas facta eſt anima ad imaginem Dei, manifeſtè concluditur, quòd ſit immortalis, & quòd non poſſit ſeneſcere, nec corrumpi. Aegid. 2. d. 19. q. 1. a. 1. dub. 1. later.

16 ¶ *In Anima eſt pluralitas potentiarum.*] Anima rationalis ad imaginem condita eſt ipſius creatoris: ſed in Creatore eſt vnitas eſſentię, & virtutis, & differentia perſonalis: ergo in anima præter vnitatẽ eſſentię erit aliqua pluralitas; & non niſi virium, ergo anima habet pluralitatem virium, aut virtutum. Alex. 2. p. q. 65. m. 2. a. 1. lege ſequentem.

17 ¶ *Potentiæ animæ ſunt idem eſſentiæ animæ, diſtinctæ tamen inter ſe realiter re relatiua.*] Doctor ſubt. 2. d. 16. q. vnic. recitata Henrici Gandau. opinione, ſubdit. Hæc opinio videtur conſona rationi imaginis, quæ eſt in anima; nam ſicut in diuinis eſt vna eſſentia, & diſtinctio perſonalis per tres res relatiuas: ſic in imagine creata erit vna eſſentia cum tribus potentijs re relatiua diſtinctis. Reſpondet poſtea, quòd neceſſe eſt imaginem creatam deficere ab increata: & illud, in quo deficit, eſt, quia principium operandi, & diſtinguendi non poteſt eſſe relatio. Hæc ille. Ric. verò 1. Sent. d. 3. part. 2. a. 2. q. 1. ità arguit, In anima eſt imago Dei: ergo oportet, quòd ibi ſit ſubſtantię vnitas, & potentiarum trinitas: ergo oportet, quòd potentię dicant aliquam eſſentiam ſuper eſſentiam animæ; ſed talis eſſentia non poteſt eſſe niſi accidens. Ergo potentię animæ ſunt ac-

ciden-

cidentia. Reſpondet, immo ſecundùm iſtám opinionem, quæ dicit potentias animæ non eſſe accidentia, nec addere aliquam rem abſolutam ſuper animæ eſſentiam; ſed tantum modo reſpectus ad actus, & obiecta, expreſſius ſignatur imago in anima, quàm ſecundùm aliam; quia in ſumma Trinitate perſona cum eſſentia non dicit niſi proprietatem relatiuam: vt pater cum eſſentia proprietatē paternitatis, filius proprietatem filiationis. Spiritus Sanctus proprietatem Spirationis dictę paſſiuę. Et tamen, quia vna proprietas non eſt alia, vna perſona non eſt alia. Cum ergo pono, quòd potentia memorandi in anima, quę reſpondet patri, non addit ſuper eſſentiam, niſi proprietatem relatiuam, nec potentia intelligendi, quę reſpondet filio, addit ſuper eſſentiam, niſi proprietatem relatiuam: nec ſimiliter voluntas, quæ reſpondet Spiritui Sancto, addit ſuper eſſentiam, niſi proprietatem relatiuam; & per diſtinctionem iſtarum relatiuarum proprietatum dico vnam potentiam non eſſe aliam; & eſſentiam, & illam proprietatem includi in ratione potentię; multò expreſſiùs aſſignò rationem imaginis in anima, quā, ſi ponerem illas potentias ſecundùm aliquid abſolutum differre, & ſubſtantiam non cadere in rationem potentię. Hæc ille. Hac de re varię ſunt Doctorum opiniones. Vna Henrici, & Ric. quæ dicta eſt, videlicet, potentię ſunt idem realiter cum eſſentia animę, nec addunt aliquid ſuper eſſentiam, niſi ſolum reſpectum ad actum, V. g. voluntas eſt eſſentia animæ, & dicitur potentia ex reſpectu, quem habet ad actum volendi, & ſic de alijs. Altera verò, quæ eſt Petri de Aluernia, referente Tho. Argentin. 1. Sent. d. 3. q. 2. a. 2. ponit, quòd anima reſpectu illarum operationum, quibus corpori non communicat, eſt ſua potentia; ſed reſpectu illarum, quibus corpori communicat, differt realiter à ſua potentia. Tertia D. Bon. cit. diſt. q. 3. habet, quòd potentiæ animæ ſunt proprietates ipſi animæ conſubſtantiales, emanantes immediatè ab eſſentia animę, quę eo ipſo, quod emanant ab anima, non ſunt ipſa anima, tamen quia immediatè emanāt

ab ipſa, non declinant in aliud genus, ſed ſunt in eodem genere cum ipſa anima per reductionem; ità quòd non ſunt idem omnino per eſſentiã, nec tantùm differunt, quòd ſint alterius generis; datq; exemplum de re, & ſimilitudine eius, res nanque non habet tantam identitatem cum ſimilitudine ſua, vt ſint vnum numero, nec tantam diuerſitatem, vt differant numero, ſimilitudo quippe Antonij non tantùm diſtat ab Antonio, ſicut Petrus. Quarta eſt Doct. ſubt. 2. d. 16. Potentię animę non diſtinguuntur realiter, nec inter ſe, nec ab eſſentia, quoniam nulla ratio ad oppoſitum cogit, & pluralitas non eſt ſine ratione cogente ponenda: diſtinguuntur autem formaliter, quaſi paſſiones ab ea profluentes, ponitque exemplum de ente, & paſſionibus eius. Sunt enim perfectiones abſolutę idem realiter ipſi animæ, per quas ipſa eſt operatiua. Quinta eſt D. Tho. 1. p. q. 77. a. 1. Potentiæ diſtinguuntur realiter ab anima, ſunt enim verè qualitates, & in ſecunda ſpecie; anima verò ſubſtantia. Parum, aut nihil refert ad veritatem fidei, vtram harum teneamus, ſed quemadmodum Deus ipſe, cùm ſit vna res ſimpliciſſima, tamen quia infinitas vires habet, & infinita operatur, infinita ſortitur nomina, & ſicut vnus, & idem homo propter varia officia, varia ſortitur nomina, dicitur enim pater, quia filium habet, Rex, quia regnum, Comes, quia comitatum &c. ità anima pro varietate officiorum varijs nominibus appellatur, dum viuificat corpus, anima eſt (& ſunt verba Iſid. lib. ij. Etymolog. cap. 1.) dum vult, animus eſt, dum ſcit, mens eſt; dum recolit, memoria eſt, dum rectum iudicat, ratio eſt, dum ſpirat, ſpiritus eſt.

18 ¶ *Intellectus agens eſt aliquid ipſius animæ, à Deo immediatè, & non ab aliqua ſubſtantia ſeparata, ſeu Angelo cauſſatus.* Quidam dixerunt hunc intellectum eſſe infimum ſubſtantiarum ſeparatarum, quę ſuo lumine continuantur cum animabus noſtris, ſed hoc multipliciter repugnat veritati fidei. Primò quidem, quia, cùm iſtud lumen intellectuale ad naturam animæ pertineat, ab illo ſolo eſt, à quo animę natura

ra creatur. Solus autem Deus eſt Creator animæ, non autẽ aliqua ſubſtantia ſeparata, quam Angelum dicimus. Vnde ſignificanter dicitur, Gen. 1. Quòd ipſe Deus in faciem hominis ſpirauit ſpiraculum vitę. Vnde relinquitur, quòd lumen intellectus agentis nõ cauſſatur in anima ab aliqua alia ſubſtantia ſeparata, ſed immediatè à Deo. Secundò, vltima perfectio vnius cuiuſq; agentis eſt, quod poſſit pertingere ad ſuum principium. Vltima autem perfectio, ſiue beatitudo hominis eſt ſecundùm intellectualem operationem, vt etiam philoſophus dicit 4. Eth. Si ergo principiũ, & cauſſa intellectualitatis hominum eſſet aliqua alia ſubſtãtia ſeparata, oporteret, quod vltima hominis beatitudo eſſet conſtituta in illa ſubſtantia creata. Fides autem recta ponit vltimã beatitudinem hominis eſſe in ſolo Deo, ſecundùm illud Ioa. 17. Hęc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum verũ Deũ, &c. & in huiuſmodi beatitudinis participatione homines eſſe Angelis æquales, vt habetur Luc. 20. Tertiò, ſi homo participaret lumen intelligibile ab Angelo, ſequeretur, quòd homo ſecundùm mentem non eſſet ad imaginem ipſius Dei, ſed ad imaginem Angelorum, contrà id, quod dicitur Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, id eſt, ad communem Trinitatis imaginem, non ad imaginem Angelorum. Vnde dicimus, quòd lumen intellectus agentis, de quo Ariſt. loquitur, eſt nobis immediatè impreſſum a Deo: & ſecundùm quòd diſcernimus verum a falſo, & bonum à malo. Et de hoc dicitur in Pſal. Multi dicũt, quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, per quod nobis bona oſtenduntur. Sic igitur, id, quod facit in nobis intelligibilia actu per modum luminis participati, eſt aliquid animæ, & multiplicatur ſecundùm multitudinem animarum, & hominũ. Illud verò, quod facit intelligibilia per modum ſolis illuminantis, eſt vnum ſeparatum, quod eſt Deus. Vnde Auguſtinus dicit in primo Soliloq. Promittit ratio ſe demõſtraturam Deum meę menti, vt oculis ſol demonſtratur; Nam mentis quaſi oculi ſunt

ſenſus animæ. Diſciplinarum autem quæq; certiſsima talia ſunt, qualia illa, quæ ſole illuſtrantur, vt videri poſſint: Deus autem eſt ipſe, qui illuſtrat. D. Tho. de ſpiritu. Sub. a. 10. incorp.

19 ¶ *Adam fuit creatus in gratia gratum faciente.*] Gratianus de pœnit. d. 2. can. Tolle charitatē, probat, quòd Adam in charitate fuit creatus, cùm creatus fuerit ad imaginem, & ſimilitudinem diuinam; Etenim imago, vt exponit Auguſt. eſt in naturalibus, ſimilitudo verò in gratuitis: ergo creatus fuit in gratia gratum faciente, ſine qua Charitas eſſe non poteſt. Ioan. de Turr. Crem. loco cit. De hac re diuerſæ ſunt doctorum opiniones; quidam dicunt, quòd homo in primo ſtatu gratiam non habuit gratum facientem, Aliqui diſtinguunt ſtatum Innocentiæ in duos ſtatus; Dicunt enim, quòd homo in principio creationis ſuæ creatus eſt ſine gratia, in naturalibus tantùm, poſtmodum verò ante peccatum, conſecutus eſt gratiam. Alij, ex quibus eſt D. Tho. & diſcipuli, propoſitam concluſionem tuentur. Ego Eccleſ. 7. ſuper illud, Deus creauit hominē rectum, &c. Ita explicabo meam mentem, videlicet, quòd, & ſi probabilius ſit dicere, Angelum non fuiſſe in gratia gratum faciente creatum; attamen de homine oppoſitum opinari magis probabile eſt.

20 ¶ *Omnia animalia ſunt homini naturaliter ſubiecta.*] Hoc apparet ex tribus; primò ex ipſo naturæ proceſſu. Sicut enim in generatione rerum intelligitur quidam ordo, quo proceditur de imperfecto ad perfectum, nam materia eſt propter formam, & forma imperfecta eſt propter perfectiorem, ità etiam eſt in vſu rerum naturalium. Nam imperfectiora cedunt in vſum perfectorum. Plantæ enim vtuntur terra ad ſui nutrimentum, animalia vero plantis, & homines plantis, & animalibus. Vnde naturaliter homo dominatur animalibus. Et propter hoc Philoſophus dicit in 1. Polit. Quòd venatio ſilueſtrium animalium eſt iuſta, & naturalis, quia per eam homo vendicat ſibi, quod eſt natu-

naturaliter ſuum. Secūdò, apparet hoc ex ordine diuinæ prouidentiæ, quæ ſemper inferiora per ſuperiora gubernat: vnde cùm homo ſit ſupra cætera animalia, vt potè ad imaginem Dei factus, conuenienter eius gubernationi alia animalia ſubduntur. Tertiò, apparet idem ex proprietate hominis, & aliorum animalium. In alijs enim animalibus inuenitur ſecundùm æſtimationem naturalem quædam participatio prudentię ad aliquos particulares actus, in homine autem vniuerſalis prudentia, quę eſt ratio omnium agibilium. Omne autem, quod eſt per participationem, ſubditur ei, quod eſt per eſſentiam, & vniuerſaliter. Vndè patet, quòd eſt naturalis ſubiectio aliorū animaliū ad hominē. D. Tho. 1. p. q. 96. a. 1. in corp. Nota diſcrimen inter ſubiectionē, & obedientiā. Subiectio enim, & animaliū homini, & viriū inferiorū rationi, eſt naturalis, obedientia verò vtrorumq; erat ſupernaturalis. Gratia enim perficiebat naturam, & quod natura ſubiecerat, gratia obſequens reddebat: Vtrobiq; obedientia perdita per peccatum, quia ſupernaturalis, ſubiectio naturalis remanſit cum pugna. Caiet. ibi.

21 ¶*Rerum exteriorum poſſeſſio naturalis eſt homini.*] Res exterior poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo, quantū ad eius naturam, quæ non ſubiacet humanæ poteſtati, ſed ſolùm diuinę, cui omnia ad nutum obediunt. Alio modo, quantùm ad vſum ipſius rei, & ſic habet homo naturale dominium exteriorum rerum: quia per rationem, & voluntatem poteſt vti exterioribus rebus ad ſuam voluntatem, quaſi propter ſe factis. Semper enim imperfectiora ſunt propter perfectiora, vt ſuprà habitum eſt. Ex hac ratione philoſophus probat 1. Polit. quòd poſſeſſio rerum exteriorum eſt homini naturalis. Hoc autem naturale dominium ſuper cæteras creaturas, quod competit homini ſecundum rationem, in qua imago Dei conſiſtit, manifeſtatur in ipſa hominis creatione. Gen. 1. vbi dicitur, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, &c. D. Tho. 2. 2. q. 66. a. 1.

Homo

22 ¶ *Homo dominium habet naturale non ſolum in omnes terræ fructus, verum etiam quodam pacto in elementa, cæleſteſq; orbes, qui velut tectum ſunt ſui domicilij.*] De terrenorum dominio patet Gen. 1. Faciamus hominem, &c. vt præſit, &c. Et rurſus. Creſcite, & multiplicamini. & dominamini piſcibus maris, &c. Illud enim dominium non cenſetur poſitiuū diuinum, ſed naturale. Hęc enim iura, & dominiorum genera non differunt ratione auctoris: nam hac de cauſſa omnia dominia dicerentur diuina: cùm omnis poteſtas à Domino Deo ſit: ſed differunt per hoc, quod naturale eſt naturę debitum: alterum verò ſuper naturam adhibitum, & dominium rerum congruit homini priori modo. Nam quatenus homo corporeus eſt, debentur illi ea, quæ ad vitam eius ſunt neceſſaria. Hac enim ratione colligit Ariſt. omnia corporea eſſe facta propter hominem. Itaq;, quemadmodum, licet Deus per miraculum creauerit homines, nihilominus membra, & potentię naturales naturę ſuę debita ſunt: ſic illa collatio dominij rerum fuit explicatio quędam naturalis iuris, veluti debiti humanæ naturæ, ſuppoſita eius exiſtentia, quam ei per creationem gratis contulerat. Et pari ratione dominium habet quodam modo in cælos, qui ſunt veluti tecta ſuarum ædium: atq; in elementa: inq; ſolis calorē, & lucem, qua vtitur, & in alias influentias: atq; in pluuiam, & niuem, quæ illi naturali iure ſeruiunt ad vitam ſeruandā, atq; ad alimenta terrena ope paranda. Dictum eſt autem cum moderamine, dominium nos habere in cælos, & elementa: quia non poſſumus, aut illa conſumere, vt terræ naſcentia, aut eis vti, vt animalibus. Dominić. Sot. de Iu. & Iur. lib. 4. q. 2. a. 1. Dixerat paullò ſuperius dominium quadruplex eſſe, ſcilicet, naturale, diuinum, & humanum, quòd diuiditur in duo, ſcilicet in illud, quod de iure gentium oritur, & alterum, quod acquiritur iure ciuili: Etenim dominia iure aliquo introducta ſunt, Ius autem non eſt niſi naturale, & gentium, & ciuile, quibus, & diuinum additur poſitiuum, hoc eſt, quod non conuenit homini ex debito ſuæ

ſuæ naturæ: ſed eſt ei diuinitus ad naturam ſuperadditum. Hoc enim dicitur diuinum poſitiuum, contrà naturale diſtinctum, cuius etiam Deus auctor eſt. Hęc ille. Et ità omnia clara.

23 ¶ *Soli homini competit ſub lunarium dominium.*] Deus, cuius (vt ait pſal. 9. terra eſt, & plenitudo eius, iure creationis dominium gerit, ac principatum rerum omnium, quas ipſe condidit: vt habet Sapientis illa confeſſio: Dominus vniuerſorum tu es. Fuit quidem ab æterno, poteſtate Dominus; ab orbe tamen condito, vſu, & actu. Nam anteà nullæ erant res, quæ illi parerent. Eſt enim nefas, eouſq; abuti nomine (quòd quoſdam non depudet) vt dominium inter diuinas perſonas nominetur: quippe cùm nihil in Deo ſit eodem ipſo inferius, ſed quidquid in illo eſt, infinitum exiſtit. Neq; verò filius vllo pacto ſubijcitur patri, vt potè cui ſummè æqualis eſt: ob idq; tota Trinitas par habet dominium, idemq; abſolutum creaturarum, non ſolùm quantùm ad vſum, verùm & quantùm ad eorum naturas; vt putà, cui non modò pro ſuo arbitratu cunctis vti liceat, verum & earum naturas creare, annihilare, & præter naturæ leges alterare, vt ignem, ne calefaciat impedire: aquam abſq; igne calefacere: & tanquam Dominus vitæ, & mortis non ſolùm reliqua animalia, verùm & hominem vita priuare. Angeli autem dominium habent ſuarum tãtùm naturalium actionum: mundi verò huius non per inde atque homines. Quandoquidem propter ipſos, qui nullo egent corpore, nequaquam creatus eſt: ſed propter ſolos homines, quibus Angeli ſunt adminiſtratórij ſpiritus: tametſi ipſorum Hierarchiæ per ſuos principatus, ac Dominationes ſint diſtributę, alijq; adeò alijs imperent. Hoc autem perparum ad rem noſtram attinet. Deſcendamus ergo ad genus noſtrum, cui ſoli competere demonſtremus ſublunarium dominium. Primò, Dominus, niſi ineptiſſimè voce abutamur, ille ſolus eſt, in cuius facultate eſt ſitum, re ſic, aut aliter in ſuum commodum vti; hoc autem niſi per intellectum, ac voluntatem nemini

nemini congruit, ſolus ergo homo in terris dominij ratione fulget. At quò res clariùs eluceat, arguitur ſecundò, Dominium exterarum rerũ nemini, niſi hac ratione cõuenit, quòd ſit ipſe ſuarum actionum dominus. Dominium enim, quod quiſq; habet in ſuos actus, cauſſa eſt & radix eius, quod habet in alias res: eſt autem ſolus homo ſuarum actionum dominus (vt 1. 2. q. 1. auctor eſt S. Tho.) per intellectum, & voluntatem. Eadem ergo ratione ius illi ſoli conuenit, vt dominus ſit aliarum rerum. Minorem huius argumenti, prę ter S. Tho. vel vſus ipſe loquendi hominum demonſtrat; Dum enim quis mente capitur, dicitur non eſſe ſui ipſius dominus, ſed ſui impotens. Maior autem in ratione naturali poſita eſt. Etenim, qui ſui non eſt dominus, eſſe nequit aliorum; Sed & teſtimonio ſacræ Scripturæ, quæ interpres naturæ eſt, eadem concluſio tertiò comprobatur. Dixit enim Deus Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs. Hoc eſt, in hoc eum faciemus ad noſtram imaginem, vt reliquæ creaturarum vniuerſitati, quę noſtra caret imagine, Dominus conſtituatur: fieri autem hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, eſt fieri, intellectu, & voluntate liberum. Hæc enim eſt facies Dei, in reliquis nanq; creaturis veſtigium eius tantùm relictum eſt, ſicuti humani pedis relinquitur in puluere, per quòd eiuſdem hominis facies agnoſci nequit. Igitur, quia iſtæ duę potentiæ intellectus, & voluntas, communicatæ ſunt homini, per hoc conditus eſt ad imaginem Dei. Indeq; adeò ius ſortitus eſt dominandi in cęteras animantes rationis expertes. Eſt ergo homo hac ratione medius inter Deum, & bruta. Nam irrationale animal nullum habet dominium, Deus verò ſupremum, nempè, & quantùm ad vſus, & quantùm ad naturas rerum, ſed homo quantùm ad vſus, attamen quantùm ad naturam, minimè: vt potè quas mutare non poteſt, niſi applicando actiua paſſiuis. Dominic. Sot. lib. cit. q. 1. a. 2.

24 ¶ *Vnuſquiſque mortalium ius habet naturale, donandi, & quo-*

quomodocunque alienãdi res, quarũ verè, ac legitimè eſt domi nus.] Diximus, fundamentũ dominij rerũ naturale, ac diuinũ eſſe humanam rationem, ac libertatem. Enimuero, quia Deus hominem ad ſui imaginem condidit, hoc eſt, rationalẽ ac liberum, per quam rationem, ac voluntatem dominiũ habet ſuarum actionum, inde factus eſt rerum dominus, ſecundùm illud Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus, &c. qua vtiq; de cauſſa ſoli homini demonſtrauimus inter ſublunares creaturas competere, vt ſit rei alicuius dominus. Si ergo per voluntatem conſtituitur dominus, per eandem poteſt dominiũ ab ſe quodcunq; abdicare. Dominic. Sot. cit. lib. q. 5. a. 1. At tamen ſubdit aliam concluſionem, ſcilicet, eodem naturali iure nihil obſtante, lex poteſt, tum voluntatem domini cohibere, tum etiam ipſo inuito ſuorum dominio priuare. Eſt enim homo naturaliter animal ciuile: coaleſcere autem in vnum mortalium vita non poteſt, niſi à publica auctoritate in pace contineantur: quę quidem auctoritas tum cuſtos eſt reipub. tum & iuſtitiæ iudex. Ad legitimam verò cuſtodiã primùm neceſſarium eſt, vt ciuibus proſpiciat, ne antequam eorum libertas pleno iudicio rationis ducatur, ſua bona dilapident. Quamobrẽ prohibentur pupilli de ſuis bonis diſponere: ſic, vt eorum alienatio irrita ſit, & nulla. Secundò & neceſſarium eſt, ſumptus eidem Reipub. neceſſarios à ciuibus colligere. Nam iure naturæ partes ſunt propter totum. Ac demum, tanquam iudex, cuſtosq; iuſti, ad eam ſpectat maleficia vlciſci. Quare ſicuti vita, ità & bonis poteſt quemlibet ciuium expoliare. Vide ergo duas concluſiones, quæ primo aſpectu ſecum potius pugnare videntur, quam ſint eodem naturali iure parente progenitæ. Eſt, inquam, ius naturale, vt quiſque ſua voluntate poſſit de ſuis bonis diſponere; ſed tamen, quando voluntas poſſit ratione duce non errare. Hæc ille.

25 ¶ *Licet, quicquid Deo damus, ab ipſo receperimus damus tamen, vt noſtrum, cuius nos ipſe dominos fecit.*] Quamuis ho

mo

mo quicquid habet à Deo receperit, non tamen eo prorſus modo ſe habet reſpectu ipſius, quo ciuilis emptitiuſq́; ſeruus reſpectu heri: nã huiuſmodi ſeruus nõ eſt ſui iuris, nec liberum habet rerum ſuarum dominium, ſed omnia ſunt domini. Clementia verò & immenſa benignitas Dei, dum hominem ad ſuam imaginem creauit, rationem ei, & liberum arbitrium indidit, quo eſſet dominus ſuarum actionum, ac ſubinde ſuarum rerum. Sic enim legitur Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris &c. Et infrà. Replete terram, & dominamini piſcibus maris &c. Et ideo, licet quidquid Deo damus, ab ipſo receperimus, damus tamen vt noſtrum, cuius nos ipſe dominos fecit. Poſtquã enim Rex oppidum, aut prædium dono dedit ciui, poteſt poſtmodum ciuis, ſi aliquid debeat Regi, inde ſoluere. Dominic. Sot. 4 Sent. d. 19. q. 1. a. 2. Hinc ſoluitur illud argumentum. Seruus, quia totum, quod habet, domini eſt, non poteſt pro aliquo debito recompenſare: ſed nos ſerui Dei ſumus, & quicquid boni habemus, ab ipſo habemus: cum ergo ſatisfactio ſit recompenſatio offenſæ præteritę, videtur quòd Deo ſatisfacere non poſſimus. D. Tho. eod. lib. d. 15. art. 2. arg. 2.

26 ¶ *Beatitudo hominis in nulla re corporea conſiſtit.* Tam homo, quàm Angelus ad imaginem Dei fuit fabricatus, vt Gen. 1. legitur, ergo vltimus finis vtriq; eſt idem communis: beatitudo autem angeli eſſe nequit corporalis: ergo neque finis hominis. Dominic. Sot. 4. d. 49. q. 1. a. 1.

27 ¶ *Homini inest appetitus naturalis ad illam veram beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit.* Quòd homo ſit imago, & ſimilitudo Dei, eſt naturale: nam quando dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã, naturam ipſam noſtram deſignauit: ſimilitudo autem, & imago Dei certè non ſolùm capacitatem dicit Dei videndi, ſed naturalem etiam inclinationem: nam ſimile naturaliter appetit ſuum ſimile. Atq; hinc alia colligitur ratio. Appetitus naturalis hominis in nulla re mundi, quã obtineat, quieſcit,

ſcit; ſed ſemper in aliud fertur: quouſq; ad illum feliciſſimum Dei conſpectum perueniat, juxtà illud Auguſtini, 1. Conf. Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec perueniat ad te: ergo hoc manifeſtum indicium eſt, eundem appetitum naturalem in illum finem tendere: ſi quidem extrà illum non ſatiatur. Hac enim ratione probatur, quod materia omnem appetit formam: nempè, quia nulla ſatiatur. Niſi, quòd ille appetitus eſt vagus ad omnem formam: noſter verò eſt determinatus, & deſtinatus in rem aliquam. Dominic. Sot. cit. diſt. q. 2. a. 1. Compertiſſimum eſt, naturalem in nobis ineſſe appetitũ ad beatitudinem generaliter conſideratam; nempè ad bonum, quod homini optimum eſt: iuxtà illud philoſophi in fronte 1. Ethic. Bonum eſt, quod omnia appetunt. Sed ambiguitas eſt, vtrùm naturalis appetitus hominis in illam tendat beatitudinem veram, quæ eſt videre Deum. Et partem affirmatiuam aſſerit propoſita concluſio, quã & tenet Doct. Subt. in prolog. Sent, vbi ait, quòd Deus eſt finis naturalis hominis, & cit. diſt. 49. q. 9. quo loco ait, naturale deſiderium ferri ad videndum Deum. Et cum eodem ſentit Dur. q. 8. Partem verò negatiuam amplexus eſt Caiet. 1. p. q. 1. a. 1. & q. 12. a. 1. Ait quippè, quòd, ſi natura, & voluntas humana conſideretur in puris naturalibus lumine fidei deſtituta, non habet naturale deſiderium videndi Deum. Sed ſi conſideretur lumine fidei illuſtrata, præſuppoſita ſcilicet cognitione, quòd beatitudo conſiſtit in viſione Dei, naturaliter illam deſiderat. Fundamentum eius eſt hoc. Finis naturalis hominis eſt, quem naturaliter poteſt attingere: nequimus autem Deum naturaliter videre, ergo Deus viſus non eſt nobis naturalis, ſed ſupernaturalis finis: atq; adeò, neq; appetitus ipſius eſt nobis naturalis. Sed non bene deſinit finem naturalem, neq; appetitum naturalem. Eſt ergo appetitus naturalis, quem nobis natura inſeruit: & eo ipſo, quo creati ſumus ad imaginem Dei, inſitum habemus appetitum naturalem ad ipſum videndum. Atq; adeò finis natu

ralis

ralis eſt, quem naturaliter appetimus: licet conſecutio eius, & adeptio non ſit nobis naturalis. Hæc enim fuit noſtræ magnificatio naturæ, quòd ad illum finem fuerit condita, quem niſi per auxilium ſpeciale Dei, cōſequi non valeamus. Hæc ille.

28 ¶ *Homo poteſt ſuam conſequi beatitudinem.* Beatitudinis nomen adeptionem perfecti boni ſignificat: ergo quicunq; capax eſt perfecti boni ad eandem beatitudinis adeptionem peruenire poteſt: homo autem eſt illius capax: ergo poteſt illuc pertingere. Minor verò probatur, homo ſuapte natura ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, vt Gen. 1. legitur conditus eſt, imago autem, & ſimilitudo Dei capacitatem quandam, & aptitudinem deſignat eius eſſentiam cognoſcendi, amandiq; , ac perinde ea fruendi. Eſt enim ſimilitudo illa veluti cælatura in annulo aureo inſtar lapilli figuræ excauata, qui illic celandus eſt: ſic enim intellectus, & voluntas capaces ſunt, quibus Dei viſio, & amor imprimatur. Dominic. Sot. cit. diſt. & quæſt. a.2. Nihil aſſerit concluſio de viribus, quibus id poſſit, ſed abſolutè quod poſſit. Altera autem quæſtio eſt, vtrum homo ſuis viribus naturalibus valeat beatitudinem promereri, cuius negatiua pars, ceu Catholica veritas definitur aduerſus Pelagianos.

29 ¶ *Mundus in die iudicij purgandus eſt.*] Mundus propter hominem conditus eſt; Nam, vt Ariſt. 2. Phyſ. habet, licet mundum factum negauerit, cognouit tamen eſſe propter hominem. Vnde Gen. 1. poſt mundi fabricationem ait Dominus. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs terræ, & pſal. 8. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Locus autem debet locato proportionari: ergo quando homo ſecundùm corpus eſt ad ſtatum glorię aſſumendus, condecet, vt & mundi corpora in ſtatū meliorem mutentur, vt ſcilicet locus conuenientior ſit ad gloriam, & aſpectu pulchrior. Immunditics autem, quæ hominis gloriam impedit, eſt culpa. Nam, vt 1. Cho. 15. ait Paulus,

Corruptio incorruptelã non poſſidebit. Et Apoc. vlt. in ingreſſu ciuitatis gloriæ, foris (inquit) manēt venefici, impudici, homicidę &c. Quare homines, quouſq; & ab omni culpa, & ab omni reatu pœnæ inde relictę purgētur, gloriã non poſſidebunt. Creaturæ verò corporales homine inferiores, quãuis res non ſint, quæ culpa ſic infici poſſint, vt eam committant, tamen quatenus ſunt in hominis ſeruitium, quandam incongruitatem, atque indecentiam ex eorum culpis contrahunt: qua ideo indecentia, & ſordibus expurgari debent, vt glorię fulgore reſplendeant: quemadmodum Baſilicę, dũ aliqua fœditate polluũtur, non ſunt ſacris faciendis idoneæ, quouſq; luſtrentur. Dominic. Sot. cit. lib. d. 48. a. 1.

EXPOSITIO.

AD imaginem.) Sicut Auguſt. dicit in lib. 83. quæſt. Vbi eſt imago, continuò eſt & ſimilitudo, ſed vbi eſt ſimilitudo, non continuo eſt imago. Ex quo patet, quòd ſimilitudo eſt de ratione imaginis, & imago aliquid addit ſuprà rationem ſimilitudinis, ſcilicet, quod ſit ex alio expreſſum. Imago enim dicitur ex eò quòd agitur ad imitationem alterius. Vnde ouum, quantumcunq; ſit alteri ouo ſimile, & æquale, quia tamen non eſt expreſſum ex illo, non dicitur ad imaginem eius. Aequalitas autem non eſt de ratione imaginis: quia vt Auguſtin. ibidem dicit, vbi eſt imago, non continuò eſt ęqualitas, vt patet in imagine alicuius in ſpeculo relucente, eſt tamen de ratione perfectæ imaginis. Nam in perfecta imagine non deeſt aliquid imagini, quod inſit illi; de quo expreſſa eſt. Ergo quia in homine inuenitur aliqua Dei ſimilitudo, quę deducitur à Deo, ſicut ab exemplari, non tamen eſt ſimilitudo ſecundùm æqualitatē: quia in infinitum excedit exemplar hoc tale exemplatum; ideo in homine dicitur eſſe imago Dei, non tamen perfecta, ſed imperfecta. Et hoc ſignificat Scriptura cùm dicit, hominem factum ad imaginem Dei. Prępoſitio enim, ad, acceſſum quendam ſignificat, qui competit rei diſtanti. D.Tho.

1. p. q. 93. a. 1. Cæterùm, quoniam prædictę conditiones non ſufficiunt ad rationem imaginis, alioquin ſequeretur omnem creaturam eſſe ad imaginem Dei, ideo addit. a. 2. Non quęlibet ſimilitudo, etiam ſi ſit expreſſa ex altero, ſufficit ad rationem imaginis. Si enim ſimilitudo ſit ſecundùm genus tantùm, vel ſecundum aliquod accidens commune, non propter hoc dicetur aliquid eſſe ad imaginem alterius. Non enim poſſet dici, quòd vermis, qui oritur ex homine, ſit imago hominis propter ſimilitudinem generis. Neque iterùm poteſt dici, quòd ſi aliquid fiat album ad ſimilitudinem alterius, quòd propter hoc ſit ad eius imaginem, quia album eſt accidens commune pluribus ſpeciebus. Requiritur autem ad rationem imaginis, quòd ſit ſimilitudo ſecundùm ſpeciem: ſicut imago Regis eſt in filio ſuo: vel ad minus, ſecundùm aliquod accidens proprium ſpeciei, & præcipuè ſecundum figuram: ſicut hominis imago dicitur eſſe in cupro. Vnde ſignanter Hil. dicit, quòd imago eſt ſpecies indifferens. Manifeſtum eſt autem, quòd ſimilitudo ſpeciei attenditur ſecundùm vltimam differentiam. Aſſimilantur autem aliqua Deo, primò quidem, & maximè communiter, inquantum ſunt. Secundò verò inquantum viuunt. Tertiò verò, inquantum ſapiunt, vel intelligunt. Quę, vt Auguſtinus dicit in lib. 83. quęſt. ità ſunt Deo ſimilitudine proxima, vt in creaturis nihil ſit propinquius. Quia ergo homo factus eſt intellectualis naturæ, ideo ad imaginem Dei conditus dicitur. Hæc ille. Cùm autem dicitur, quòd Deus fecit hominem ad imaginem ſuam, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, quòd hæc prępoſitio, ad, deſignet terminum factionis: vt ſit ſenſus. Faciamus hominem taliter, vt in eo ſit imago noſtra. Alio modo, hæc præpoſitio, ad, poteſt deſignare cauſſam exemplarem: ſicut cùm dicitur, iſte liber eſt factus ad illum. Et ſic imago Dei eſt ipſa eſſentia diuina, quę abuſiuè imago dicitur, ſecundùm quòd imago ponitur pro exēplari: vel ſecundùm quòd quidam dicunt, diuina eſſentia dicitur imago: quia ſecundùm

eam

tam vna perſona etiam aliam imitatur. Idem loco cit. a. 5. ad. 4. Inuenitur autem ſimilitudo Dei per modum imaginis in homine, ſolùm ſecundùm mentem, ſecundùm verò alias partes eius, per modum veſtigij. Quod manifeſtè cognoſci poteſt, ſi attendatur modus, quo repræſentat veſtigium, & quo repræſentat imago. Imago enim repræſentat ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei, vt dictum eſt, veſtigium autem repræſentat per modum effectus, qui ſic repræſentat ſuam cauſſam, quod tamen ad ſpeciei ſimilitudinem non pertingit. Impreſſiones enim, quæ ex motu animalium relinquuntur, dicuntur veſtigia. Et ſimiliter cinis dicitur veſtigium ignis: & deſolatio terræ, veſtigiũ hoſtilis exercitus. Poteſt ergo huiuſmodi differentia attendi inter creaturas rationales, & alias creaturas, & quantùm ad hoc, quòd in creaturis rationalibus repræſentatur ſimilitudo diuinæ naturæ, & quantùm ad hoc, quòd in eis repræſentatur ſimilitudo Trinitatis increatæ. Nam quantùm ad ſimilitudinem diuinę naturæ pertinet, creaturæ rationales videtur quodam modo ad repræſentationem ſpeciei pertingere, in quantum imitantur Deum, non ſolùm in hoc, quod eſt, & viuit: ſed etiam in hoc, quòd intelligit, vt dictum eſt. Aliæ verò creaturæ non intelligunt, ſed apparet in eis quoddã veſtigium intellectus producentis, ſi earum diſpoſitio conſideretur. Similiter cùm increata Trinitas diſtinguatur ſecundùm proceſsionem verbi à dicente, & amoris ab vtroque, in creatura rationali, in qua inuenitur proceſſio verbi ſecundùm intellectum, & proceſſio amoris ſecundùm voluntatem, poteſt dici imago Trinitatis increatę per quandam repræſentationem ſpeciei. In alijs autẽ creaturis non inuenitur principium verbi, & verbum, & amor: ſed apparet in eis quoddam veſtigium, qòd hæc inueniantur in cauſſa producente. Nam hoc ipſum quòd creatura habet ſubſtantiam modificatam, & finitam, demonſtrat quòd ſit à quodam principio, ſpecies verò eius demonſtrat verbum facientis, ſicut forma domus demonſtrat conceptionem artificis. Ordo verò de-

monſtrat amorem producentis, quo effectus ordinatur ad bonum: ſicut vſus ędificij demonſtrat artificis voluntatem. Sic igitur in homine inuenitur Dei ſimilitudo per modum imaginis ſecundùm mentem, ſed ſecundum alias partes eius per modum veſtigij. Ipſe tamen homo dicitur imago Dei: non quia ipſe eſſentialiter ſit imago, ſed quia in eo eſt Dei imago impreſſa ſecundùm mentem: ſicut denarius dicitur imago Cæſaris, inquantum habet Cæſaris imaginem. Hæc D. Tho. vbi ſuprà a. 6. (& ſimilitudinem) Similitudo conſi deratur, vt præambulum ad imaginem inquantum eſt communius quã imago, vt dictum eſt; conſideratur etiam, vt ſubſequens ad imaginem, inquantum ſignificat quandam imaginis perfectionem. Dicimus enim imaginem alicuius eſſe ſimilem, vel non ſimilem ei, cuius eſt imago, in quantum perfectè, vel imperfectè repræſentat ipſum. Sic ergo ſimi litudo poteſt ab imagine diſtingui dupliciter; vno modo, prout eſt præambula ad ipſam, & in pluribus exiſtens. Et ſic ſimilitudo attenditur ſecundùm ea, quæ ſunt communio ra proprietatibus naturę intellectualis, ſecundùm quas pro priè attenditur imago. Et ſecundùm hoc dicitur in lib 83. q. quòd ſpiritus, ideſt, mens ad imaginem Dei nullo dubitante factus eſt. Cætera autem hominis, ſcilicet, quæ per tinent ad inferiores partes animæ, vel etiam ad ipſum corpus, ad ſimilitudinem facta eſſe aliqui volunt. Secundùm hoc etiam in lib. de quantitate animæ dicitur, quòd ſimilitudo Dei attenditur in anima, inquantũ eſt incorruptibilis. Nam corruptibile, & incorruptibile ſunt differentię entis communis. Alio modo, poteſt conſiderari ſimilitudo, ſecundùm quòd ſignificat imaginis expreſſionem, & perfectio nem: ſecundùm hoc Damaſ. dicit, quòd id, quod eſt ſecun dùm imaginem, intellectuale ſignificat, & arbitrio liberum, per ſe poteſtatiuum. Quod autẽ ſecundùm ſimilitudinem, virtutis, ſecundùm quòd homini poſſibile eſt, habere ſimili tudinem. Et ad idem refertur, quòd ſimilitudo dicitur, ad dilectionem virtutis pertinere. Non enim eſt virtus ſine di

lectio-

lectione virtutis. Et virtutes quædam naturaliter inſunt animę, ad minus ſecundùm quędam earum ſemina, ſecundùm quas poſſet attendi ſimilitudo naturalis. D. Tho. loco cit. a. 9.

NOTABILIA.

1 DICITVR filius imago, Coloſſ. 1. & Heb. 1. dicitur & homo, Gen. 1. Faciamus &c. Sed imago, prout dicitur de filio: tantùm ad patrem refertur, prout dicitur de homine, ad totam Trinitatem: ſecundùm enim memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quę ſunt in mente, dicitur homo eſſe ad imaginem Dei: vnde eſt imago Trinitatis, & vnitatis: & hoc ſignificatur per hoc, quod dicitur: Faciamus hominē &c. Filius verò non eſt imago vnitatis, & Trinitatis, ſed ſolùm patris; Quia ergo imago dicta de filio reſpectu patris non importat diſtinctionem eſſentialem: ſed ſolum modo perſonalem: ideo dicitur de filio, quòd eſt imago patris, non ad imaginem, vt dicit Auguſt. De homine verò dicitur, quod eſt imago, & ad imaginē, vt per hanc propoſitionem, ad, notetur diuerſitas imaginis, & ſeparatoriè cuius eſt imago. Alex. 1. p. q. 60. m. 3. a. 1.

2 Imago in diuinis accipitur duobus modis. Vno modo eſſentialiter; & ſecundùm hoc, imago dicit diuinam ęſſentiā, ad cuius imitationem exprimitur alterum: & hoc modo accipitur, faciamus hominem, &c. Alio modo accipitur notionaliter, & ſecundum hoc ſignificat perſonam filij, vt ſimilitudinem expreſſam ab altero, ſiue alterius: & attenditur expreſsio ſimilitudinis, non ſolùm quantùm ad ea, quæ dicuntur de patre eſſentialiter; vt potentia, ſapientia, bonitas, in quibus per omnia filius ſimilis eſt patri: immo quantum ad dignitatem, quæ dicitur de patre notionaliter, vt, ſicut pater habet perſonam de ſe procedentem per ſpirationem, ità filius, videlicet, ſpiritum ſanctum: & ſecundùm hoc imago ſolùm conuenit filio. Et hoc modo dicit Auguſtinus. Eò dicitur Verbum, quo imago, quia eadem notione dicitur

Verbum,& imago, ſcilicet,notione generationis, quæ eſt à patre. Alex. ead.q.62.m.2.

3 Solet ità argui,Inuidia eſt reſpectu ſuperioris, vel reſpectu paris,ne fiat ſuperior, ſed homo non fuit ſuperior natura dæmone, nec etiam omnino par: ergo cauſſa tentationis hominis non fuit ex inuidia: Reſp. quòd licet homo ſecundùm ſuam naturam fuiſſet inferior: tamen ratione ſtatus ſui fuit ſuperior: habuit enim rectitudinem naturalem,à qua rectitudine naturali cecidit diabolus: vnde quoad hoc inuidit ſuperiori; par etiam fuit quoad hoc,quòd habuit imaginẽ Dei naturaliter, & potuit aſcendere ad dignitatem, â qua cecidit ipſe diabolus, & ita potuit inuidere ei tanquam pari,ne fieret ſuperior. Alex.2.p.q.101.m.4.

4 Ex hoc,quòd homo eſt ad imaginem,& ſimilitudinẽ Dei, habet legem,qua intelligit, & ſibi conſcius, quid bonum, & quid malum, in eo enim,quòd eſt ad imaginem, habet cognitionem primæ veritatis, quæ Deus eſt; quia ſecundùm Auguſtinum imago attenditur in potentia cognoſcendi. Ex hoc verò, quòd eſt ad ſimilitudinem,eſt in potentia, & debito diligendi ſummam bonitatem: & propter hoc in lege naturę eſt,quòd per ipſam ordinetur homo ad Deum,& ità ad proximum. Alex.3.p.q.27.m.4.a.2. De hoc redibit ſermo Matth.7: ſuper illud: Quęcunque vultis, vt faciant vobis homines.

5 Solet ſic argui, De lege naturali eſt, vt,quod in nullius bonis eſt,occupanti concedatur, vnde comedere illud,quòd in nullius bonis eſt,ſimpliciter eſt licitũ; ergo coire cum illa, quæ nullius iuris eſt,ſimpliciter eſt licitum, ſcilicet, cum illa, quę abſoluta eſt à lege coniugij.Sed reſpõdetur, quòd prçfata præpoſitio non intelligitur de quibuſcunque rebus: non enim intelligitur de rebus naturali iure communibus,vt ſunt aqua,& aer,& littora:quę ſunt naturali iure publica,nec de rebus communibus iure humano, vt de rebus vniuerſitatis: vt ſunt in ciuitatibus theatra, ſtudia,&c. nec de rebus ſacris, & religioſis: quod enim diuini iuris eſt, in nullius bonis

nis eſt. Sed intelligitur ſolùm de rebus appropriabilibus: vt terra, quæ à nullo fuit poſſeſſa, & feræ, & aues, ſicut dicit lex humana, lib. 2. Inſtit. de rerum diuiſ. Vnde perſona rationalis excipitur, quæ ad Dei imaginem condita (Gen. 1. & ſui arbitrij, & poteſtatis. Eccl. 15. Reliquit eum in manu conſilij ſui) diuini iuris, & ſui eſt: Vnde non conceditur occupanti, niſi diuino iure, & propria voluntate interuenientein conſenſum coniugalem. Et ità non eſt ſimile de comeſtione rei, quæ in nullius bonis eſt, & de coitu cum ſoluta à lege coniugij. Quamuis enim ſit ſoluta, tamen eſt diuini iuris, ſicut templum ſanctum, quia ad imaginem Dei, ſui iuris, quia liberi arbitrij, & poteſtatis. Alex. 3. p. q. 35. m. 4.

6 Natura in ſua actione intendit aſſimilationem, & ſimiliter rationalis creatura, ſed differenter, quia intentio naturæ, cum agit, eſt aſsimilare in ſuam ſpeciem, ſicut ignis cùm agit, calefaciendo, in lignum, intendit illud aſſimilare ſibi in calore; & igneitate. Similiter rationalis creatura in ſua actione intendit aſſimilationem illam, de qua habetur 1. Ioa. 3. Cùm apparuerit ſimiles ei erimus: & hæc eſt aſsimilatio ad Deum: quæ eſt plena per cognitionem, & amorem ſummæ veritatis, & bonitatis. Intentio igitur naturæ in ſua actione eſt, aliud aſsimilare in ſua ſpecie; intentio autem rationalis creaturę in ſua actione eſt, nõ aſsimilare, ſed aſſimilari diuinę ſpeciei: quę aſsimilatio facit Dei formẽ. Finis autẽ intentus à natura in ſua actione eſt, aſſimilatio in virtute principij naturæ, & eius potẽtia actiua, quia in igne eſt virtus, per quã agit, & intendit alterũ ſibi aſsimilare in calore, & luce, & igneitate: ſed in rationali creatura non eſt aſsimilatio in Deũ in poteſtate actiua, ſed receptiua ſolũ. Quia ergo finis actionis naturę, quę dicitur aſsimilatio, eſt in poteſtate actiua, & virtute principij agentis: propter hoc natura per ſe poteſt in illum finem, ſine alia diſpoſitione noua. Sed quia aſsimilatio non eſt in rationali creatura, niſi ſolùm in potentia receptiuę, vel paſsiua, anima enim rationalis creata eſt in potẽtia receptiua ad ſimilitudinem Dei, Gen. 1. Formauit Deus homi-

nem ad imaginem,& ſimilitudinem ſuam,requiritur neceſſario, quòd ad hoc,quòd conſequatur finẽ intentum, ſcilicet, aſſimilationem ad Deum; quod recipiat aliquam diſpoſitionem nouam,non à ſe, ſed à Deo: hęc autem dicitur gratia. Vnde gratia nihil aliud eſt, quàm Dei ſimilitudo in actu. Hinc ſoluitur illud argumentum, voluntas eſt potentior reſpectu ſui actus,quàm natura,quia, ſicut dicit Damaſc. Voluntas eſt domina ſui actus: quia poteſt ipſum prohibere,vel educere: natura autem non. Vnde ignis, cùm calefaciat, & luceat per naturam: non poteſt prohibere, quin ipſe calefaciat, & luceat: immo hoc eſt ei ineuitabile. Sed ipſa natura poteſt dirigere per ſe,& ſine adiutorio ſuum actum ad finem, ad quem eſt: ergo & voluntas per ſe poterit dirigere actum ſuum in finem, ad quem eſt. Sed finis, ad quem eſt voluntas rationalis creaturæ, eſt ipſa beatitudo æterna: ergo per ſe, ſine adiutorio poteſt dirigere ſuos actus ad beatitudinem. Alex.3.p.q.61.m.1.

QVAESITA.

1 CVR poſtremò productus eſt homo? Triplex ratio ponitur, prima propter multitudinem partium eius. Nam corpus hominis inter corpora mixta eſt completiſſimum, idcirco, & compoſitũ ex membris, neruis, venis, viribus, qualitatibus, proportionibusq; diuerſis, & quanto compoſitius eſt, tantò poſterius. Secunda propter animę corporisq; diſtantiam: cùm enim diſtet anima a corpore, non ſolùm ſicut forma à materia, ſed etiam ſicut ſpirituale à corporali, & ſicut perpetuum à corruptibili, ideo magna diſtantia debuit interuenire inter productionem hominis, quantùm ad materiale principium, & coniunctionem partium eius: quatenus per diſtantiam temporis, intelligeretur diſtantia principiorum conſtituentium ipſum. Tertia propter totius cõpoſiti perfectionem: nempè, cum homo ſua dignitate, & cõplemento finis ſit corporalium omnium, ideo fuit poſt omnia producendus. Nam finis eſt vltimum in executio-

ne, & finit, complet, ac perficit media. Bon. 2. d. 15. quæſt. penult.

2 ¶*Cur in productione hominis modus loquendi mutatus eſt?*] In productione hominis mutatus eſt modus loquendi: prius enim in tertia perſona dictum fuit, fiat, nunc autem dicitur, faciamus, prius ſingulariter, nunc pluraliter. Quoniam, ſicut dicit Auguſtinus ſuper Gen. ad litt. non in hoc præeminet homo alijs rebus, quod Deus fecit ipſum hominem, quaſi alia ipſe non fecerit, cùm ſcriptum ſit, opera manuum tuarum ſunt cæli: & alibi, Aridam fundauerunt manus eius: ſed in hoc, quòd ad imaginem Dei factus eſt homo. Vtitur tamen ſcriptura in productione hominis ſpeciali modo loquēdi, ad oſtendendum quòd alia propter hominem facta ſunt. Ea enim, quæ principaliter intendimus, cum maiori deliberatione, & ſtudio conſueuimus facere. Neque intelligendum eſt. Deum Angelis dixiſſe, faciamus hominem, vt quidam peruersè intellexerunt. Sed hoc dicitur ad ſignandam pluralitatē diuinarū perſonarum: quarū imago expreſſius inuenitur in homine. D. Tho. 1. p. q. 91. a. 4. In prima pſona loquitur, vt oſtēderet facere perſonā potētē loqui, ad ſuā ſimilitudinem. In alijs verò locutus eſt in tertia perſona, vt oſtenſio fiat conditionis eius rei, de qua fit ſermo, quæ non habet poteſtatem propriam loquendi. Præterea, dirigitur hic ſermo ad alias perſonas, vt oſtendatur, quod homo factus eſt ad imaginem Trinitatis, quod non eſt alterius creaturæ. Singulariter verò loquitur, non quòd ſolus pater fecerit alias creaturas, cùm indiuiſa ſint opera Trinitatis, ſed, vt oſtendatur habere quandam ſimilitudinem in eſſe, vt ab ente primo, quod indiuiſibile eſt in eſſentia, fiant entia, vel fiat vnum quodq; ens. Alex. 2. p. q. 55 m. 1.

3 Cum Angelus ſit ad imaginem Dei, & ſignaculum ſimilitudinis Dei, vt patuit. Quare in factura Angeli non eſt vſus eodem modo loquendi, vt cum cælum faceret, per quod intelligitur natura angelica in formis, vt dicit Auguſtinus, & cùm lucem faceret, per quā intelligitur natura angelica for-

 mata,

mata, dixiſſet. Faciamus cælum, & lucem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram? Quoniam, & ſi angelus ad imaginē Dei ſit in interioribus, hoc eſt, pertinentibus ad intellectualem naturam: tamen in exterioribus non eſt ad imaginem: homo autem in exterioribus, & in interioribus eſt ad imaginem. In interioribus, in memoria, intelligentia, & voluntate: in exterioribus autem, vt quodammodo ſit principium omnium, ſicut Deus. Eſt enim vt Rex, & dominus omniū: & omnia ſecundùm vſum referuntur ad ipſum: quod non competit Angelo, qui nullo talium vtitur: & ideo tali modo loquendi non eſt vſus in creatione angeli, quo eſt vſus in creatione hominis. Alb.2.p.q.64.

4 Cùm in omnibus creaturis etiam corporalibus veſtigium Trinitatis appareat, atq; per conſequens omnis creatura ad minus ad ſimilitudinem Dei facta ſit, ſicut, & homo, cur in factura cuiuslibet non eſt dictum, Faciamus hoc, & hoc ad ſimilitudinem noſtram? Quoniam veſtigium eſt ſimilitudo confuſa, non expreſſa, & ideo in alijs creaturis non poteſt dici, quòd fiant ad ſimilitudinem: quia ſimilitudo confuſa non eſt ſimilitudo: per hoc enim, quod additur (confuſa, cadit à ratione ſimilitudinis. Alb. eo loci.

5 Vlterius quęritur, ad quid additum eſt: Vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli: Si enim hoc aliquid eſt de ratione imaginis: tunc videtur, quòd per peccatum corrupta ſit imago Dei in homine: & hoc eſt falſum, quia in imagine pertranſit homo, vt dicit pſalmus. Et pius pater Abraham imaginē ſuam recognouit in inferno in diuite purpurato. Luc. 6. quando dixit, fili recordare, &c. Sed reſpondetur, quòd huiuſmodi dominatus, qui datur homini, magis facit ad decorem imaginis, quàm ad ſubſtantiam. Et quod dicitur, quòd in imagine pertranſit homo, intelligitur quantum ad ſubſtantiā imaginis, quam, & cognouit pius pater in diuite purpurato. Exteriora autem ad decorem imaginis facientia illa ceſſauerunt per peccatum: tamen dicit Auguſtinus, quòd in ſignū, quòd iſta fuerunt ſubiecta homini in ſtatu

tu innocentiæ, legimus etiam Leones, & alia ſæua animalia obediuiſſe quibuſdam ſanctis patribus. Dicit enim Greg. Nanz. quòd, Deus creauit hominem ad imaginem; ſicut pictores fingunt imagines Imperatorum, non ſolùm protrahēdo figuras linearum, ſed etiam complendo per decorem. Et hæc ſunt verba eius in lib. de reparat. lapſi. Homo totius creaturę dominus ad imaginem ſui conditoris effectus, nil aliud indicat; niſi quòd mox in eo regia natura formata ſit. Vt enim iuxtà humanam conſuetudinem, qui Principū imagines fingunt, non ſolùm impreſsionem formæ eius imitantur, verùm etiam amictu picturę regiam exprimunt dignitatem; ità vt etiam imago ipſa iam pro conſuetudine dicatur Imperator: ſic, & humana ſubſtantia, quoniam ad aliorum regimen condebatur: propter Regis vniuerſorum ſimilitudinem, veluti imago animata componitur, pro picturæ velamine, veſtita eſt virtute, pro ſceptro, beatitudine, & immortalitate ſuſtollitur, pro regali ſerto, iuſtitiæ corona decoratur. Alb. eo loci.

AD ARGVMENTA.

ad 1 DVPLEX eſt mutatio, ſcilicet, mutatio ad eſſe, & mutatio in eſſe. Similiter, duplex eſt immutabilitas, ad eſſe, & in eſſe. In eſſe autem diuino eſt immutabilitas ad eſſe, & in eſſe. Sed in omni creatura, eo quòd de nihilo eſt, & ità mutatur de non eſſe ad eſſe, eſt mutabilitas ad eſſe: vnde ſicut ens de nihilo à nulla creatura ſeparatur, ità nec iſta mutabilitas, quæ eſt ad eſſe. Mutabilitas autem in eſſe eſt duplex, ſcilicet, ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm accidens; mutabilitas in eſſe ſecundùm ſubſtantiā eſt, cùm mutatur creatura ab eſſe in non eſſe; & immutabilitatem contrariam huic mutabilitati habent creaturæ, quæ primò, & immediatè exeunt à Deo, ſicut angeli, & animę rationales, & etiam prima materia, prout eſt de primò creatis, habet eā: ſed in alijs, quæ conſequenter fiunt ex ipſa, eſt mutabilitas, & ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm accidens, ſicut in ele

elementis, & huiuſmodi. Mutabilitas autem in eſſe ſecundum accidens, eſt in creaturis perpetuis, ſicut anima, cùm mutatur ab vna affectione in aliam, vt a triſtitia in gaudium, ab iniuſtitia ad iuſtitiam. Solum autem illud ſimpliciter & vere eſt immutabile, quod non habet mutabilitatem ad eſſe, quę eſt à non eſſe in eſſe: nec mutabilitatē in eſſe ſecundùm ſubſtantiam, nec ſecundùm accidens: talis eſt diuina eſſentia ſolùm: & ideo proprium eſt ei eſſe immutabile verè, & ſimpliciter. Alex.

ad 2 Scientia non ponit cauſſalitatem, vel principium rerum, ſed ſolùm ſimilitudinem ad res omnes: & ideo cùm anima (ſicut dicit Auguſt.) ad ſimilitudinem totius ſapientiæ facta ſit, omnium ſit ſimilitudo in potentia per intellectum: ſcientia autem nihil aliud eſt, quàm aſſimilatio intellectus ad rem: ergo anima per naturam capax eſt omnium ſcientiæ. Omni potentia verò ponit cauſſalitatē, & principium rerum omnium: quod nullo modo poteſt conuenire habenti principium: talis eſt autem omnis creatura, & rationalis anima, ex quo euidens eſt, quòd nullo modo capax eſt omnipotentiæ. Alex. Vniuerſalitas poſſibilium Deo commenſuratur diuinæ eſſentiæ: quia ſecundùm hoc infinita poteſt, quia habet eſſe non limitatum: ſed vniuerſalitas eorum, quę ſcit ſcientia viſionis, non commenſuratur eſſentiæ eius, etiā ſi mundus duraret ſemper per hunc modum, quo nunc eſt: quia ſemper poſſet plura facere ſecundùm vnumquodque tempus, quàm quæ fecit, & plures ſpecies, & plura rerum genera, & plures mundos: & ideo quamuis omnium ſcientia, qua Deus ſcit ſcientia viſionis, ſit communicata animæ Chriſti: non tamen omnipotentia, qua poteſt omnia facere, ſibi cōmunicari potuit, ſicut nec eſſentia infinita. D. Tho. 3. d.14. a. vlt.

ad 3 Vide inferiùs cap. 9. Super illud: Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terrę.

ad 4 Quòd plures ſint mali, quàm boni in vniuerſo non eſt à Deo, ſed à libero arbitrio deficiente, quia, ſcilicet, liberum arbi-

arbitrium de ſe ſufficiens eſt ad cadendum, ſed non ad proficiendum ſine gratia: nam ex ipſa corruptione originalis culpę trahitur ad cadendum. Itaq; de ſe habet homo, quòd cadat per peccatum, ſed non quòd proficiat ſine gratia Dei miſerante: & ideo maior eſt multitudo malorum, quam bonorum: quia de ſe habent quòd ſunt mali; non ſolùm de ſe quòd ſint boni, vel electi. Ad exemplum ſuprà poſitum dicendum, quòd aliud eſt de ordine iuſtitiæ, aliud de ordine miſericordiæ; Si enim aliquis homo plures haberet homines in ſua poteſtate, qui ab ipſo recederent ex ſua propria peruerſitate, & non ex peruerſitate domini, & adhærerent aduerſario ipſius: nunquid iuſtum eſſet, quòd illos incarceraret? et ſi tamen illos de miſericordia poſſet dimittere: conſtat quòd ſic. Sed ſi ex peruerſitate domini ſui recederent: non eſſetità iuſtum. Ità dicimus hic. Quòd ſi homines ſunt mali, & recedentes à Deo: hoc eſt, ex propria ſua peruerſitate, & non à Deo. Vnde non eſt inconueniens, quòd maiòr pars mundi teneat illos, qui ſunt deputati carceri diuino. Ità enim cùm multiplicati ſunt in malitia ſua, & impietate, ipſa Dei prouidentia ordinat illorum impietates, & ex illis elicit bona. Neq; à Dei prouidentia eſt, quòd deturpetur ipſa imago Dei in malis hominibus; immo ab ipſis, quoniã à ſe eſt quòd cadunt, ſed ipſius prouidentiæ eſt ordinare illud malum, & ex illo elicere bonum. Alex.

ad 5 Aliter ſubſunt diuinę prouidentiæ ea, quæ ſunt liberi arbitrij, quàm naturalia. Nam, ſicut dicit Damaſc. duplex eſt prouidentia, vna eſt ſecundùm acceptionem, alia ſecundùm conceſſionem. Et dicit, quòd prouidentia ſecundùm acceptionem eſt, vbi non contingit eſſe reſiſtentiam, nec contradictionē: & hoc modo eſt de ipſis naturalibus, & quæ ſunt ordinata, nec aliter poſſunt eſſe: ſicut ſolem oriturum cras. Prouidentia autem ſecundùm conceſſionē eſt de ijs, vbi contingit eſſe reſiſtentiam, & contradictionem: & ſic eſt in libero arbitrio. Deus enim dedit liberum arbitrium, vt conſentiat, vel non conſentiat bono: & ipſi malo conſentiat,

ſi velit: & quicquid faciat, ſiue bonum, ſiue malum: ſemper ordinat ipſum prouidentia. Vnde voluntaria ſubſunt prouidentiæ ſecundùm conceſſionem: quia non cogit liberum arbitrium, licet ſub ipſa ſit, ſed permittit ei facere quicquid vult, ſed in ipſo bono ipſũ adiuuat inſtinctu gratiæ, in malo autem non, ſed tamen malum perpetratum ordinat. Igitur homo nullius ſubditur imperio, ſed ſuo motu diſpenſat ſe, quatenus non aufertur ei conſenſus, & libertas faciendi quicquid vult, nec cogitur a Deo ad hoc, vel illud faciendum, quicquid tamen faciat, ſemper ſubditur diuinæ prouidentiæ, quæ in bonum ipſum ordinat, & adiuuat in bonum per gratiam: in malo autem non, ſed ſolùm ordinat illud malum. Alex.

ad 6 Cùm poſſeſsiuum notet differentiam poſſidentis ad poſſeſſum ſecundum eſſentiam, in diuiniſq; nullo modo ſit accipere differentias ſecundùm eſſentiam, concedendum, pronomina poſſeſſiua per maximam improprietatem dici indiuinis, tamẽ ſecundùm gradus improprietatis. Maximè enim impropriè dicuntur de eſſentia reſpectu ſui, vt Iſa. 1. Solemnitates veſtras odiuit anima mea: improprijſsimè ponitur (mea) nulla enim eſt differentia inter animam Dei, & Deũ: anima enim Dei eſt ipſa voluntas, quæ eſt ipſe Deus. Minus verò impropriè dicuntur de perſona reſpectu perſonæ: inter quas non eſt differentia ſubſtantialitatis, quamuis perſonalitatis: vt cum dicitur Matth. 3. Hic eſt filius meus dilectus, & quod dico (meus) inſinuat diuinę generationis proprietatẽ. Minimè verò impropriè cùm dicuntur de eſſentia, ſiue perſona reſpectu creaturæ. Quod contingit duobus modis; aliquando, vt notetur auctoritas gubernationis, vel creationis, vt Ioa. 17. Omnia mea tua ſunt. Mea eſt terra. aliquãdo, vt notetur gratia recreationis, vt Luc. ij. Filij mei mecũ ſunt in cubili. Alex. A grammatico plus attenditur modus, quàm res, propter hoc, omne, quocunque modo habitum ab aliquo, poſſeſſum eſt. Habet autem ſubſtantiam, vt quod eſt: eſſentiam, vt qua eſt: ſapientiam, vt qua ſapit: potentiam, vt qua

qua poteſt : voluntatem , vt qua vult : ideo in deſignationibus talium pronominibus vtimur poſſeſsiuis, ſicut illud eſt, Ioa. 7. mea doctrina nõ eſt mea,& in multis alijs locis. Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram. Et in talibus,licet non ſit diſcretio realis inter habentem,& habitum : tamen, quantùm ad modum ſignificandi, diſcretio eſt, aliter enim deſignatur habens,& aliter habitũ, & talis diſcretio modi ſufficit ad locutionem grammaticam. Alb. 1.p.q.58.m.1.

ad 7 Deus eſt nomen operationis quantùm ad illud , à quo imponitur, impoſitum quippe eſt ab operatione fouendi, videndi , vel conſumendi : per quas operationes à creatura mundi cognoſcitur ſempiterna virtus eius, & diuinitas : ſed eſt nomen naturæ quantùm ad illud, ad quod imponitur ſignificandum,non enim ſignificat operationem, ſed ipſam diuinam naturam in quantum huiuſmodi:& ad illam ſignificandam impoſitum eſt. Operatio quoq; diuina ſignificatur dupliciter, adiectiuè, ſiue verbaliter : quia verba ſignificant in adiacentia ; & ideo propter pluralitatem perſonarum pluraliter ſignificatur, cum dicitur, Faciamus hominem ad imaginem. Aliquando verò ſubſtantiue,& nominaliter, non per modum adiacentis : quæ quidem operatio eſt eadem,quòd diuina ſubſtantia,& ideo non recipit pluralitatem. Alex.

ad 8 Vtroq; modo,ſcilicet, natura,& gratia dicitur rationalis creatura filius Dei : Etenim dicitur filius Dei inquantum eſt capax Dei: hoc autem eſt,in quantum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei eſt : & in quantum capax Dei eſt , poteſt participare Deum, & in quantum poteſt participare Deum,poteſt eſſe Deus participatione , non natura : & ideo ratione prædictę capacitatis, rationalis creatura filius Dei appellatur . Alex.

ad 9 Creatura rationalis dicitur imago, eò quòd Dei capax; iſta capacitas, ſiue potentia per peccatum corrupta eſt in diabolo ; nec eſt recreabilis diabolus, neç penitentiæ ſuſceptabilis, vt dicit Damaſ. ideo non eſt filius Dei , ſed fuit ; quo

in

non eſt imago in eo, vt eſt ad Deum participandum: ſed fuit à principio creationis. Similiter dicendum de damnatis. De alijs malis dicendũ, quòd ſimpliciter ſunt filij Diaboli: ſecundùm quid autem filij Dei, eò quòd in ipſis poteſtas eſt ad recreationem: & ita capacitas, licet diminutá: & itá eò modo filij, quo capaces. Alex.

ad Imago dicitur dupliciter: propriè, ſcilicet, quod ad imi-
10 tationem alterius eſt, & impropriè: & hoc dupliciter. Vnò modo, ad cuius imitationem alterum eſt expreſſum: alio modo, ſecundùm quod in imitatione ſunt aliqua. Primo modo, dicitur quaſi paſsiuè, ſcilicet, forma expreſſa ad imitationem alterius: ſecundo modo, quaſi actiuè, ſcilicet, forma ad cuius expreſsionem eſt alia. Tertiò, quaſi relatiuè, ſcilicet, reſpectus imitationis aliquorum in aliqua forma. Secũdùm primum modum, eſſentia diuina non poteſt dici imago, ſed filius Dei imago patris, & homo imago Dei ſecundùm ſuum modũ. Secundùm alium modum, eſſentia diuina in perſonis dicitur imago hominis: quia ad imitationẽ eius expreſsiſſimè eſt homo. Secundùm tertium modum, dicitur eſſentia imago perſonarum: quia ſecundùm ipſam ſunt in omnimoda imitatione eſſentiæ, & virtutis; & tunc ſignificatur eſſentia diuina, vt relatio, vel, vt forma reſpectiua; quemadmodum ſignificatur per hoc nomen, ſimilitudo, Nec ſequitur ex hoc, quòd ſit alteritas, vel diuerſitas eſſentiæ ad perſonas: ſed quod alius modus, vel aliter intelligendi eſſentiam, & perſonas. Nota ergo, quòd cùm dicitur eſſentia imago trium perſonarum; connotatur relatio, vel reſpectus intrinſecus perſonarum in æqualitate eſſentiæ. Vnde Beda ſuper Gen. Faciamus hominem ad imaginẽ &c. In eo, quod dicitur Faciamus: vna operatio trium perſonarum exprimitur: In eo, quod, ad imaginem: vna, & ęqualis ſubſtantia Trinitatis. Secundùm verò, quòd dicitur imago ad hominem, notatur reſpectus extrinſecus: & connotatur reſpectus creaturæ imitantis expreſsè Deum, ſecundùm quod poſſibile eſt. Et eſt exemplum huius, cùm dicitur,

Iſti

Iſti ſunt ſimiles: notatur intrinſeca relatio: & cùm dicitur, Iſti ſunt ſimiles illi, notatur extrinſeca. Ad illud verò, quod quærit, An imago dicta de eſſentia, ſignificet eſſentiam, aut etiam eſſentiam in perſonis, dicendum, quòd imago impro priè ſignificat eſſentiam; minus tamen propriè ſignificat eſſentiam in perſonis. Et ratio huius eſt: quia imago notat pluralitatem, & dicit reſpectum, qui reſpectus plurium eſt, quia ex parte eſſentię inquantũ huiuſmodi nulla pluralitas eſt, niſi conſideretur in perſonis: & tunc pluralitas perſonarum eſt veritas, ſecundùm quam ſignificatur imitatio ex parte eſſentiæ: propter quam imago minus propriè ſumpta ſignificat eſſentiam in perſonis: magis verò impropriè poſſet ſignificare eſſentiam. Vnde ſecundùm quendam modum, abſtractis perſonis, intelligemus hominem ad imaginẽ Dei ſecundum eſſe, viuere, & ſapere, nec intelligemus ex parte eſſentiæ pluralitatem, vel diuerſitatem ſubſtantiæ; nec diſtinctionem perſonarum ſecundùm hunc modum: ſed multiplicitatem virtutis (non dico multitudinem) quia multiplicitas virtutis dicitur reſpectu effectuum. Eſt enim regula: Quanto aliquid ſimplicius in eſſentia, tantò multiplicius in virtute: ſicut patet: imaginatio ſimplicior eſt in eſſentia ſenſu exteriori, & multiplicior in virtute: ratio, imaginatione: & intellectus, ratione. Secundùm hoc ergo diceretur, quòd imago connotaret multiplicitatem. Item, quęritur, ſecundùm quòd imago dicit eſſentiam, ad cuius imitationem fit aliud, quid præcisè ſit imago? nunquid erit eſſentia ſecundùm rationem exemplaritatis? Contra: ſi hoc, ergo quæcunq; ſunt ad exemplar, erunt ad imaginem: ſed omnes creaturæ ſunt ad exemplar: ergo omnes creaturæ ſunt ad imaginem, ergo ipſis poterit conuenire iſtud: faciamus ad imaginem &c. Quod negant omnes. Reſpon. Imago dicit diuinam eſſentiam in tribus perſonis, vt exemplar ad imitationem expreſſam: & hęc eſt plena, & præciſa ratio imaginis: ſecundùm quòd conuenit diuinę eſſentiæ in tribus perſonis. Additur autem ſuper rationem exemplaris, re

 ſpe-

ſpectus imitationis expreſſæ: qui quidem reſpectus erit in creatura, ſcilicet, in anima rationali comparatione Dei: & connotatus in ſignificatione imaginis; ſecundùm quod deſignat diuinam eſſentiam in tribus perſonis. Alex.

ad 11 Imago eſt expreſſa ſimilitudo. Hæc attendi poteſt ratione potentiæ præſidentis, & ratione finis creaturarum, & ſecundum hoc intelligitur auctoritas Auguſtini: Nulli creaturæ dedit; vt eſſet ad imaginem niſi homini: De eo enim dictum eſt, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli. Poteſt quoq; attendi ratione proprietatis in cognoſcẽdo creaturas, ratione ſimplicitatis eſſentię, ratione capacitatis in cognoſcendo Deum, & ratione immortalitatis, & ità imago vtriq; conuenit, homini, ſcilicet, & Angelo. Alex. Vel, Auguſt. excludit à Dei imagine alias inferiores creaturas intellectu carentes, non autem Angelos. D. Tho. 1. p. q. 93. a. 3. ad 1. Vel, Auguſt. hoc dicit propter aliquã proprietatem repræſentationis, quam Deus dedit homini, non alij ſpirituali creaturæ, vel corporali: non propter rationem imaginis principalem, quæ conſequitur omnem naturam rationalem. Bon. 2. d. 16. q. 3.

ad 12 Imago propriè dicitur ſpecies indifferens; ſicut dicit Hilar. & ideo ad hoc, quòd aliquis ſit imago, duo exiguntur, ſcilicet, quòd ſit ſpecies, & quòd ſit indifferens ab eo, cuius eſt imago in eſſentia. Quia ergo nulla creatura eſt eadem in eſſentia cum Deo, ideo propriè nulla creatura dicitur imago, ſed ſolus filius. Alio tamen modo communiùs dicitur imago, quod eſt ab alio, & quod eſt eius ſimilitudo, ſcilicet Dei, ſecundùm quòd poſſibile eſt in creatura, & ſecundùm hoc imago eſt ſimilitudo, ſed non è conuerſo. Hoc modo accipiendo imaginem dicunt Sancti, quòd Angelus, aut anima eſt imago Dei, verius tamen, & magis propriè, & angelus, & anima dicuntur ad imaginem. Alex. Cùm vnum ſit ens indiuiſum: eo modo dicitur ſpecies indifferens, quo vna. Vnum autem dicitur aliquid, non ſolùm numero, aut ſpecie, aut genere: ſed etiam ſecundùm analo-

giam, vel proportionem quandam. Et ſic eſt vnitas, vel conuenientia creaturæ ad Deum, & ſpecies indifferens Dei, & hominis. D. Tho. loc. cit. a. 1. ad 3. Aliquorum poteſt eſſe ſpecies indifferens dupliciter. Vno modo, participando eandem naturam ſecundùm ſpeciem, ſicut filius ſimillimus patri dicitur imago patris. Et hoc modo in creatura non eſt imago Dei. Alio modo, dicitur aliquid imago alterius, non quidem participando eandem naturam ſecundùm ſpeciem, ſed alteram, ſpeciei tamen demonſtratiuam, ſicut imago Herculis dicitur aliquid ſculptum in lapide, vel pictum in pariete, quod licet ſit alterius naturæ, tamen Herculem repræſentat: & hoc modo in creaturis inuenitur imago Trinitatis, & ſpecies indifferens, ſicut intendit Hilarius. Dur. 1. d. 3. p. 2. q. 1.

ad 13 Triplex eſt libertas. Prima eſt à coactione, ſiue neceſſitate, ſecunda à peccato, de quà 2. Cho. 3. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas; & Ioa. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Tertia eſt libertas à miſeria, de qua Rom. 8. Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorum Dei. Secunda, & tertia libertas non æquè in homine, & in angelo: ſed maxima eſt in angelo bono, minor in homine bono, minima in homine malo, nulla in dæmone. Vnde Ber. lib. de lib. arb. Diuinæ ſimilitudinis ſummum gradum tenent angeli boni, nos infimum, Adam medium, dæmon nullum. Et nota, quòd dicit ſimilitudinis, non dicit imaginis, quia ſimilitudo magis attenditur penes gratuita: & ideo nulla eſt in dæmonibus: imago magis penes naturalia: & ideo ſaltem in aliquo gradu remanet in dæmonibus. Sed prima libertas, quæ eſt a coactione, eſt æquè in homine, & in Angelo tam bono, quàm malo. Cùm autem dicebatur, libertas ſequitur rationem imaginis. Reſp. quòd licet in canone Scripturæ inueniatur de homine, quòd ſit ad imaginem; & non de angelo expreſsè; nihilominus inuenitur ibi ſecundùm beatum Greg. implicitè in ratione ſignaculi ſimilitudinis. Ezech. 28. Et imago vno modo æquè

eſt in homine, & Angelo, prout attenditur penes memoriã, intelligentiam, & voluntatem, & hoc modo conſequitur libertas rationem imaginis. Alex. Aduertendũ, quòd quemadmodum Angelus (vt in conc. 7. dictum eſt, ſimpliciter eſt magis ad imaginem Dei, quàm homo; ità libertas à coactione eſt magis in angelo, quàm in homine. Manifeſtè hoc docet D. Tho. 2. d. 25. a. 4. Omnis proprietas (inquit) quæ conſequitur naturam aliquam, quantò natura illa nobiliùs inuenitur in aliquo, tanto etiã proprietas illa perfectiùs participatur ab eo: ſecundùm quem modum homo dicitur minus intelligens, quàm angelus; & ità etiam libertas à neceſſaria coactione nobiliùs inuenitur in Deo, quàm in angelo, & in vno angelo, quàm in alio; & in angelo, quàm in homine. Et in ſolutione 2. In quibus inuenitur natura vna ęqualiter, inuenitur etiam æqualiter illud, quod conſequitur naturam illam, ſed natura intellectiua non inuenitur æqualiter in Deo, Angelo, & homine: vndè nec etiam libertas à coactione ęqualiter in omnibus eſt. Et in ſolutione tertij. Quamuis negatio per ſe nõ recipiat magis, & minus: tamen per accidens intenditur, & remittitur, ſcilicet, per intenſionem, & remiſſionem ſuæ cauſſæ: ſicut dicuntur maiores tenebræ, quantò eſt maius obſtaculũ lucis: vnde etiam, ſecundùm quòd cauſſa libertatis, quæ eſt natura intellectiua, inuenitur nobilior, & minus nobilis, ſecundùm hoc etiã ipſa libertas intenditur quodãmodo, & remittitur. Hæc ille. Cæterũ Alb. 2. p. q. 16. m. 3. concordat Alexandro.

ad 14 Argumentum non concludit angelum non illuminare hominem, ſed imaginem ſimilitudinis, quæ fit per dilectionẽ, vel cognitionem gratuitam, non dari mediãte Angelo. Alex. Homines autem illuminari ab Angelis non ſolùm de credendis, ſed etiam de agendis docent omnes, præcipuè D. Thomas 1. p. q. 111. a. 1.

ad 15 Angelos habere poteſtatem cuſtodiendi animas, & eas cuſtodire nemo ambigit. Quod obijcitur de imagine, quæ eſt in homine ratione potentię, Præſit piſcibus, &c. non ſit ſer-

mo ibi niſi de poteſtate hominis ſuper corporales creaturas, vt patet ex textu. Vnde iſta potentia, quæ eſt in homine, ſecundùm quòd eſt ad imaginẽ Dei, non dicitur, quia poſſit ſuper Angelum, ſed ſuper rationales creaturas: idcirco non obſtat, quin Angelus habeat aliquam poteſtatem ſuper eum. Si autem iſta potentia eſſet talis, quòd per eam poſſet ſe homo cuſtodire, & regere, non habens indigentiam, vt cuſtodiatur, valeret ratio iſta. Sed non ſic eſt, quia homo ſemper indiget, dum eſt in via. Cum additur, Inter imaginem & illud, cuius eſt imago, nihil eſt medium. Nihil vtique eſt medium, quoad perfectionem vltimam; Eſt tamẽ aliquod medium præparans, & diſponens eandem imaginem adhuc informem ad ſuam vltimam perfectionẽ. Alex.

ad 16 Colligitur reſponſio ex Auguſt. libro de decem chordis, aliter, inquit eſt imago tua in filio tuo, aliter in ſpeculo. In ſpeculo imago tua nõ eſt illud, quod tu: in filio verò eſt imago tua ſecundùm æqualitatem ſubſtantiæ. In ſpeculo autẽ quantum longe eſt à ſubſtantia tua, & tamen eſt imago tua: quamuis non talis, ſicut in filio tuo ſecundùm ſubſtantiam. Sic in creatura, non eſt hæc imago Dei, quę eſt in filio: quia hæc eſt, quod pater, id eſt, verbum Dei, per quod facta ſunt omnia. Sicut enim in nummo aliter eſt imago Imperatoris: & aliter eſt in filio: ſic, & tu nummus Dei es, ex hoc melior, quia cum intellectu, & cum quadam vita nummus Dei es, vt ſcias etiam cuius imaginem geras, & ad cuius imaginem factus ſis: nam nummus neſcit ſe habere imaginem Imperatoris. Alex.

ad 17 Conceditur liberum arbitrium commune eſſe creatori, & creaturę: non tamen dicitur vniuocè, nec omnino æquiuocè, ſed analogicè, ſcilicet, per prius, & poſterius. Per prius enim dicitur de creatore, per poſterius de creatura. Alex. Vtrùm autem ſecundùm fidem, & ſecundùm rationem naturalem ſit neceſſariò aſſerendum, liberum arbitrium propriè, & abſque metaphora eſſe in Deo, ità prorſus, vt ipſe Deus ſit dominus ſuarum actionum, & poſsit non habere

actionem, quam habet, & habere, quam non habet, alibi manifeſtum fiet. Nunc ſatis ſit nouiſſe affirmatiuam partem aſſerendam eſſe.

ad 18 Sicut in emanatione æterna perſonæ à perſona, prima emanatio eſt per maximam conformitatem, ſic eſt in emanatione creaturarum: quia Angelus, ſiue natura angelica eſt de primis exeuntibus in eſſe à primo, vt vult Beda, qui inter omnes creaturas maximè deiformis eſt. Quare homo non ſit ſimiliter de primis, ratio iſta adducatur. Homo primus introducendus erat in mundum: vt ibi refectus, & educatus transferretur in patriam. Vnde ad inſtar hominis prudentis inuitãtis aliquem ad refectionem, qui præparat domum ſuam, & alia neceſſaria, antequam introducat pranſorem, ſic fecit Dominus, ne homo ad momentum indigeret, præparauit illi, quæ erant neceſſaria ad refectionem, & educationẽ, & poſt introduxit eum in locum, vbi erat reficiendus, & educandus. Vel poteſt dici, quòd in diuinis perſonis ſumma requiritur germanitas, propter hoc requiritur, quòd Spiritus ſanctus, qui eſt tertia perſona ordine naturæ procedat à patre, & filio. Ad quòd ſequitur, quòd ſit aliqua conformitas notionalis inter patrem, & filium, quæ non eſt inter patrem, & Spiritum ſanctum: propter quod filius dicitur imago, non Spiritus ſanctus. Huiuſmodi autem germanitas nõ reperitur inter creatorem, & creaturas: propter quod non requiritur ordo ille in creatione, qui requiritur in emanatione perſonarum in creatarum. Alex.

ad 19 Non eſt ſimile de Angelo, & de anima rationali: anima enim rationalis, ratione, qua eſt perfectio corporis, & ſenſibus corporalibus, & organis indiget ad hoc. quòd perueniat ad ſui perfectionem in cognoſcendo, quibus non indiget Angelus, ideo non eſt ità expedita ad aſſequendum perfectionem ſuam quantùm ad ſcientiam, ſicut eſt Angelus. Quando enim eſt defectus aliquis ex parte organi, propter quem non eſt expeditum ad coöperandum illis, quę requirũtur ad habendam ſcientiam, ſiue perfectionem ſcientiæ, oportet ipſam

ſam animam deficere ab illa perfectione. Rurſum, natura angelica eſt plena formis, anima tanquam tabula raſa. Natura angelica eſt deiformis ratione comprehenſionis inſtantaneç, & collationis, anima autem non ſic, immo intelligit, & confert cum continuo, & tempore. Cùm autem ſubiungitur, quòd anima vnitur corpori vt perficiatur, propter quod ex coniunctione cum corpore nõ debet aliquo modo impediri à ſua perfectione. Dicendum, quòd perfectio animæ dependet à corpore, quodam modo, quantum ad ſatisfactionem appetitus ipſius, nullo enim modo poteſt omnino appetitui animæ ſatisfieri, niſi in coniunctione cum corpore, vt habetur ab Auguſt. ſuper Gen. ad litt. Et quantum ad hoc ſtatim perficitur in coniunctione. Dependet etiam quantum ad virtutem, & ſcientiam, & quantum ad hoc non ſtatim perficitur in coniunctione, ſed per proceſſum tẽporis aſſequitur huius perfectionem, adminiculo, & cooperatione corporis. Alex. De hac quæſtione, An paruuli in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent perfecti in ſcientia, variæ ſunt opiniones. Quidam dicunt, quòd non fuiſſent nati cum perfectione ſciẽtiæ, nec quantum ad vſum, nec quantùm ad habitum, ſed proceſſu temporis, ſcientiam acquiſiuiſſent, inueniendo, vel addiſcendo ſine omni difficultate: nec fuiſſet in illis ignorantia, ſed neſciẽtia, quam Dio. etiam in Angelis ponit. D. Tho. 1. p. q. iij. a. 1. & Doct. ſubt. 2. d. 20. q. 3. Alij, vt refert. D. Tho. cit. d. 20. q. 2. a. 2. dicunt, quod corpora illorum, mox poſt natiuitatem, habuiſſent vires, & robur ad exercitia corporalia, & intellectus ipſorum ſtatim fuiſſet repletus ſcientia, & perfectum habuiſſent vſum rationis, & voluntatis. Alijs videtur, quòd ſicut pueri in baptiſmo virtutes recipiũt quantùm ad habitus, non quantum ad vſum, conſimiliter paruuli in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent perfecti in ſcientia naturalium rerum quantum ad habitum, ſed non quantũ ad vſum, quem per proceſſum tẽporis obtinuiſſent. Ric. cit. diſt. a. 2. q. 4. Et Pet. Tarant. apud Dio. ead. diſt. q. 3. Alex. verò videtur cõcedere, quòd habuiſſent ſcientiam quo ad habitũ,

citum macula veniale peccatum. Et poteſt poni tale exemplum. Aliquando enim in tantum denigratur aliqua imago depicta, vt videri non poſſit, aliquando verò ita obſcuratur, vt plenè non poſſit decerni: & ideo ponit beatus Greg. talē differentiam inter veniale, & mortale, quod veniale obſcurat, mortale obtenebrat. Alex. Veniale non eſt macula ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, D. Tho. 1. ſecundæ q. 89. a. 1. Sicut in corpore contingit eſſe maculam dupliciter; vno modo, per omnimodam priuationem eius, quod ad decorem exigitur, vt coloris, aut debitæ membrorum proportionis, & altero, per ſuper inductionem alicuius impedientis decorē, putà, luti, aut pulueris; ità etiam animæ inducitur macula, vno modo, per priuationem decoris gratiæ per peccatū mortale, atq; altero, per inclinationem affectus inordinatam ad aliquod temporale citrà expulſionem gratiæ, quod fit per peccatum veniale. Dominic. Sot. 4. d. 15. q. 3. a. 2.

Eſt imago Dei in potentia, & in actu. Imago Dei, in potentia, eſt ipſa anima per naturam: imago verò Dei in actu, eſt ipſa anima per gratiam, & non aliter, quam per gratiam: quia ipſa gratia eſt ſimilitudo Dei in actu; & illud, quod trahit imaginem de potentia in actum, eſt gratia, quæ facit de ſimili potentia actu ſimile, & ideo venit inter imaginem & illud, cuius eſt, vt actu aſſimilet. Et iterum, illa propoſitio, Inter imaginem & illud, cuius eſt imago, ſi aliquid additur, &c. falſa eſt, vbi illud, quod additur, eſt perfectio alterius; Gratia verò eſt perfectio imaginis, trahens ipſam de potentia in actum. Et ideo ponit, & facit ſimilitudinem eius ad illud, cuius eſt. Alex. Exiſtimauit Alex. gratiam vnionis eſſe gratiam habitualem, ex qua eleuata natura humana, copulata eſt Verbo diuino perſonaliter, diciturq; gratia vnionis, quia diſponit ad vnionem. A qua ſententia non multum abhorret D. Bon. in tertio d. 2. q. 2. immo neque D. Tho. ead. diſt. 2. q. 2. a. 2. Cæterùm idem D. Tho. 3. p. q. 17. a. 13. docet, quòd vnio humanæ naturæ ad diuinam perſonam præcedit gratiam habitualem in Chriſto: non ordine temporis,

ſed naturę, & intellectus,& q. 6.a.6. dicit, Gratia vnionis eſt ipſum eſſe perſonale, quod gratis diuinitus datur humanæ naturæ in perſona verbi, quod quidē eſt terminus aſſumptionis, gratia autē habitualis eſt effectus conſequens vnionem. Quod plenius explicabitur Ioa. 1.ſuper illud; Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à patre. Ibi palam fiet, nulla ratione concedendum eſſe, quòd vnio hypoſtatica ſit facta mediante gratia habituali: atque conſequenter repudiabitur opinio Bieli in 3. d.1.q. 1. dicentis, quòd vnio hypoſtatica facta eſt mediante gratia habituali, quæ eſt in Chriſti anima, tanquam in ſubiecto; & ille habitus gratiæ dicitur gratia vnionis, per quem humanitas copulatur verbo diuino, ſicut duæ tabulæ copulantur glutino.

Ad 24 Omnibus exhibendus eſt honor pro ſtatu, & tempore, quia omnes ad imaginem facti ſunt, vt dicit Damaſc. Et hæc eſt ratio communis, quare honor omnibus debet exhiberi loco, & tempore. Sed notandum, quòd in imagine, quæ eſt homo, intelligitur quòd eſt per naturam, intelligitur etiam in ea, quòd eſt per gratiam: quę reducit ipſam imaginem in plenam conformitatem Dei: quia gratia ipſa eſt dei formitas. Ex parte igitur naturæ non eſt differentia adorationis: vnde quantùm ad hoc eſt ęqualitas in omnibus. Sed reſpiciendo poſſibilitatem ad gratiam, vel actum; qui eſt per gratiam, quę actu eſt in imagine, non eſt ità. Si enim in ſtatu eſt gratiæ, & habet gratiam actu, habet bonum excellens in ſe, ratione cuius debetur ei honor: quilibet enim talis in aliquo vno excellit; licet non habeat omnia dona: & ratione illius vnius cantatur de quolibet confeſſore. Non eſt inuentus ſimilis illi. Et ſic reſpiciendo actum gratiæ in habente, ratione cuius ſemper excellit, adorandus eſt homo, & vnus magis alio. Similiter reſpiciendo poſſibilitatem ad gratiam in homine, licet actu ſit extra gratiam; tamen adhuc poſſibilis ad tantam gratiam, & ad maiorem, quàm aliquis habens gratiam actu: & reſpiciendo poſſibilitatē hanc in imagine in maiori excellentia: ità etiam reſpiciendo hoc;

maior

maior honor poteſt impendi vni, quàm alij. Alex.

ad Homo non poteſt adorari latria, tamen poteſt eſſe ma
25 teria adorationis latriæ, in quantum eſt imago ducens ad Deum, cuius eſt imago: & ideo adoratio duliæ debetur ei, ſecundùm quòd dicit Ioa. Dama. in lib. 4 A principio Deus hominem ſecundùm propriam imaginem fecit; cuius igitur gratia nos ad inuicem adoramus, niſi quòd ſecundùm imaginem Dei facti ſumus? Vt enim ait magnus in diuinis Baſilius, honor imaginis ad prototypon peruenit, id eſt, exemplar: Prototypon autẽ eſt illud, quod imago repræſentat.

ad Malus Prælatus, inquantùm prælatus, magis debet ho-
26 norari, quàm bonus ſubditus, quia magis eſt in participatione debiti honoris. Quia eſt honor gratuitus debitus ex neceſſitate: & eſt honor gratuitus non debitus ex neceſſitate. Primus honor debetur prælato inquantùm prælatus, quia in quantùm huiuſmodi vice Chriſti eſt: Vnde Rom. 13. dicit Apoſtolus de ipſo prælato, Quòd Dei miniſter eſt. Honor autem gratuitus, non debitus ex neceſſitate, debetur bono ſubdito: & ideo magis tenemur ad honorem maiorem prælati, inquantum prælatus eſt.

ad Vnitas eſſentiæ in tribus perſonis eſt imago, ad quam fa
27 ctus eſt homo. Ad id, quod contrà hoc obijcitur, dicendum: quòd imago dupliciter dicitur, exemplar, ſcilicet, & exemplatum: ſiue prototypus, & typus, vt dicit Damaſc. Exemplar quidem, & prototypus non oportet, quòd aliquid habeat ante ſe, quod imitetur. Et ſic imago eſt eſſentia vna in tribus perſonis. Imago autem, vt exemplatum, eſt anima rationalis in tribus potentijs, & hæc oportet habere aliquid ante ſe, quod imitetur. Alb. Quidam dixerunt in homine eſſe ſolùm imaginem Filij; ſed hoc improbat Auguſt. in 12. de Trin. Primò quidem per hoc; quòd cum ſecundum æqualitatem eſſentiæ filius ſit patri ſimilis, nec eſſe eſt, ſi homo ſit factus ad ſimilitudinem filij; quòd ſit factus ad ſimilitudinem patris. Secundò, quia ſi homo eſſet factus ſolùm ad imaginem filij, non diceret Pater: faciamus homi-

nem

nem ad imaginem,& ſimilitudinem noſtrã, ſed tuam. Cùm ergo dicitur, Ad imaginem Dei fecit illum, non eſt intelligendum, quòd Pater fecit hominem ſolùm ad imaginem filij, qui eſt Deus (vt quidam expoſuerunt) ſed intelligendum eſt, quòd Trinitas Deus fecit hominem ad imaginem ſuam, id eſt, totius Trinitatis. D.Tho. 1.p.q.93.a.5.ad.4.

ad 28 Cùm dicitur, Faciamus hominē, &c. verbum faciamus, copulat facere, vt eſt actus egrediens de ſubſtantia, quæ eſt hypoſtaſis. Agere enim, & pati, quod, ſicut dicit Priſcianus, ſubſtantiæ eſt proprium, vt de qua egreditur actus, & vt in qua recipitur paſſio, non intelligitur de ſubſtantia, quæ eſt vſia, vel vſioſis, ſed de ſubſtantia, quæ eſt hypoſtaſis, quæ propriè agit, vel patitur. Iccircò, cùm plures ſint hypoſtaſes in diuinis, neceſſe eſt, ꝙ pluraliter conſignificetur actus, vt eſt egrediens de ipſis: quia ſicut dicit Hila. Profeſsio conſortij tollit ſingularis, & ſolitarij intelligentiam. Quia tamē vna eſt eſſentia, qua agunt tres, & faciunt, ideo ſubiungitur, ad imaginem, &c. ſingulariter. Alb.

ad 29 Imago, & ſimilitudo poſſunt ſupponere quid creatum, & quid increatũ. Increatum, ſecundùm quòd ſupponunt eſſentiam diuinam ſub ratione mentis, & intelligentiæ, & voluntatis, ſiue amoris, quæ veriſſimè, & eſſentialiter in Deo ſunt. Et mens, quę ſui ex ſe generat notitiam, attribuitur patri: Intelligentia, quę notitia eſt genita à mente, attribuitur filio: & voluntas, ſiue amor, qui à mente procedit in notitiam, ſiue intellectum: & è conuerſo ad mentem, attribuitur Spiritui Sancto: hæc enim tria increatum quid ſupponunt in Deo. Non tamen propter hoc poteſt dici homo factus ad eſſentiam: quia diuerſus modus ſignificandi eſt in imagine, & ſimilitudine, & eſſentia. Et ſi ſic arguatur, factus eſt homo ad id, quod eſt eſſentia diuina: ergo factus eſt ad eſſentiam diuinam: incidit fallacia accidentis: eò quòd, ſicut dicit Ariſto. in 2. Elenchorum, non neceſſe eſt idem prædicato, vel quaſi prędicato, & accidenti, vel quaſi accidenti ineſſe. Et bene concedendum eſt: quod non ſupponit perſonam

nam filij, qui eſt imago patris. Nec ſequitur, imago eſt eſſentia diuina: imago Trinitatis eſt in anima; ergo eſſentia diuina eſt in anima. Non enim in anima eſt per eſſentiam, ſed per exemplum exemplatum ab hoc exemplari, quod eſt eſſentia diuina, ſignificata ab eſſentia diuina ſub ratione mentis, intelligentię, & voluntatis. Et quia hoc non intellexit hæreſis, meritò condemnata eſt. Poteſt etiam ſupponere quid creatum: ſed ſecundùm hoc ſupponit rationem imaginis creatæ, & formam, qua abſtrahitur à mente, intelligentia, & voluntate creantis. Et eſt ſenſus: Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem, hoc eſt, faciamus eum ad rationem, & formã, qua mente, & intelligentia, & voluntate repræſentare poſſit, & imitari vnitatẽ eſſentiæ in tribus perſonis, & diſtinctionem perſonarum in vnitate eſſentiæ. Et ſic non ſequitur, quòd aliquid factum ſit ante hominem ſecundùm naturam, ad quod factus ſit: ſed quòd aliquid ſit ante eum ſecundùm rationem, & hoc verum eſt: quia ratio facti eſt ante factum ſecundùm rationem intelligentiæ. Concordat Alex. 2. p. q. 55. m. 3.

ad 30 Sicut dicit Auguſt. imago Dei eſt homo in potentia cognoſcendi, ſed ſimilitudo eſt in potentia diligendi, ſecundùm quòd dilectio eſt in omni virtute, ſicut dicit Auguſtin. in libro de moribus eccleſiæ, quòd virtus nihil aliud eſt, quã ordo amoris: & ſic patet, quòd non nugatoriè additur. Et hoc eſt quod dicitur Eccl. 17. Deus de terra creauit hominẽ, & ſecundùm imaginẽ ſuam fecit illum: Et iterum, conuertit illum in ipſam, & ſecundùm ſe veſtiuit illum virtute. Alb.

ad 31 Nec propriè æquiuocè, nec propriè vniuocè, ſed per analogiam, & tali inquam analogia, quę nihil vnũ ponit in vtroque: ſed potius ponit totum in vno, & in alio ponit ab illo, & ad illud eſſe: & ſic homo eſt imago. Neq; Auguſt. vult dicere, quòd homo ſit opus artis, ſed quòd imitationis ratio ſit in eo in diuerſitate eſſentiæ, in filio autem non: Alb.

32 Homo dicitur eſſe ad imaginem Dei, non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm id, quo homo excellit alia animalia: Vn-

de

de ſequitur Gen. 1. poſtquã dictum eſt, Faciamus hominem, ad imaginẽ, & ſimilitudinem noſtrã, vt præſit piſcibus maris &c. Excellit autẽ homo omnia animalia quantùm ad rationẽ & intellectum: vnde ſecundũ intellectũ, & rationem, quę ſunt incorporea, homo eſt ad imaginem Dei. D. Tho.

ad 33 Similitudo creaturę ad Deum eſt imperfecta: quia etiam nec idem ſecundùm genus repræſentat, ſed ſecundum aliqualem analogiam. D. Tho. De hac quæſtione, vtrùm nomina, quę dicuntur de Deo, & creaturis, dicantur vniuocè de ipſis, ſententia D. Tho. eſt, quòd non dicuntur vniuocè, nec purè æquiuocè, ſed analogicè. Doctor verò ſubtilis 1. d. 3. q. 2. & d. 8. q. 2. & 3. opinatur aliqua nomina Deo, & creaturis communia vniuoca eſſe. Sed omnia eius argumenta tantum conuincunt, quòd nomina, quę propriè dicuntur de Deo, & creaturis, non ſunt purè ęquiuoca, ſed eidem conceptui formali ſubordinantur. De hoc Caiet. diffusè.

ad 34 In hoc ipſo magis ad ſimilitudinem Dei accedit anima intellectiua, quàm creaturæ inferiores, quòd perfectam bonitatem cõſequi poteſt, licet per multa, & diuerſa, in quo deficit à ſuperioribus. Etenim, quemadmodum inquit philoſophus 2. de Cæ. quę ſunt in rebus infima, non poſſunt conſequi perfectã bonitatẽ, ſed aliquam imperfectam cõſequuntur paucis motibus. Superiora verò ijs, adipiſcuntur perfectã bonitatem motibus multis. His autem ſuperiora ſunt, quæ adipiſcuntur perfectã bonitatẽ motibus paucis. Sũma verò perfectio inuenitur in his, quę abſq; motu perfectã poſſidet bonitatem. Sicut infimè eſt ad ſanitatem diſpoſitus, qui non poteſt perfectam conſequi ſanitatem, ſed aliquam modicam conſequitur paucis remedijs, melius autẽ diſpoſitus eſt, qui poteſt perfectã conſequi ſanitatẽ, ſed remedijs multis: adhuc melius, qui remedijs paucis: optimè autem, qui abſque remedio perfectam ſanitatem habet. Dicendum eſt ergo, quòd res, quæ ſunt infrà hominem, quædam particularia bona conſequuntur: & ideò quaſdam paucas, & determinatas operationes habent, & virtutes. Homo autem poteſt cõſe-

qui vniuerſalem, & perfectam bonitatem, quia poteſt adipiſci beatitudinem; eſt tamen in vltimo gradu, ſecundùm naturam eorum, quibus competit beatitudo; ideo multis, & diuerſis operationibus, & virtutibus indiget anima humana. Angelis verò minor diuerſitas potētiarum cōpetit. In Deo verò non eſt aliqua potentia, vel actio, præter eius eſſentiā. Eſt & alia ratio, quare anima humana abundat diuerſitate potentiarum, videlicet, quia eſt in confinio ſpiritualium, & corporalium creaturarum, & ideo concurrunt in ipſa virtutes vtrarumq; creaturarum. D. Tho.

ad Si in anima noſtra eſſet perfecta imago Dei, ſicut filius eſt
35 perfecta imago patris, ſtatim mens noſtra intelligeret Deū. Eſt autem imago imperfecta, vnde non conſequitur, quòd Deus ſit primum, quod à mente humana cognoſcitur. D. Tho. De hoc opportunus ſermo redibit ſuper illud Rom. 1. Inuiſibilia Dei. &c.

ad Procedit ratio de ſimilitudine naturæ, ex cuius appetitu
36 homo non peccauit. Duplex nanq; eſt ſimilitudo, vna omnimodæ æquiparantiæ; & hanc ſimilitudinem primi parentes non appetierunt, quia talis ſimilitudo ad Deum non cadit in apprehenſione, præcipuè ſapientis. Alia autem eſt ſimilitudo imitationis, qualis poſſibilis eſt creaturæ ad Deū inquantū, videlicet, participat aliquid de ſimilitudine ipſius ſecundùm ſuum modū. Dion. enim dicit in 9. cap. de diu. nom. Eadem ſimilia ſunt Deo, & diſſimilia; hęc quidem ſecundùm contingentem imitationem, hæc autē ſecundùm quòd cauſata minus habent à cauſſa. Quodlibet autem bonum in creatura exiſtens eſt quædam participata ſimilitudo primi boni: & ideo ex hoc, quod homo appetijt aliquod ſpirituale bonum ſuprà ſuam menſuram, vt dictum eſt, conſequens eſt, quòd appetierit diuinam ſimilitudinem inordinatè. Conſiderandū tamen eſt, quòd appetitus eſt propriè rei non habitæ. Bonum autem ſpirituale, ſecundùm quòd creatura rationalis diuinam participat ſimilitudinem, poteſt ſecundùm tria attendi. Primò quidem, ſecundùm ip- 37

ſum eſſe naturę, & talis ſimilitudo ab ipſo creationis princi-pio fuit impreſſa & homini, de quo dicitur Gen. 1. Quòd Deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: & Angelo, de quo dicitur Ezech. 28. Tu ſignaculum ſimilitudinis. Secundò verò, quantùm ad cognitionem: & hanc etiam ſimilitudinem in ſui creatione angelus accepit, vnde in pręmiſſis verbis, cùm dictum eſſet, Tu ſignaculum ſimilitudinis, ſtatim ſubditur, plenus ſapientia. Sed primus homo in ſua creatione iſtam ſimilitudinem nondum adeptus erat, ſed ſolùm in potentia. Tertiò, quantùm ad poteſtatem operandi, & hanc ſimilitudinem nondum erant in actu aſſecuti neq; angelus, neque homo in ipſo creationis principio, quia vtrique reſtabat aliquid agendum, quò ad beatitudinem perueniret. Et ideo cùm vterq;, ſcilicet, diabolus, & primus homo inordinatè diuinam ſimilitudinem appetierit, neuter eorum peccauit appetendo ſimilitudinem naturæ. Sed primus homo peccauit principaliter appetendo ſimilitudinem Dei, quantùm ad ſcientiam boni, & mali, ſicut ſerpens ei ſuggeſſit, vt ſcilicet, per virtutem propriæ naturę determinaret ſibi quid eſſet bonum, & quid malum agendum, vel etiam, vt per ſeipſum præcognoſceret quid ſibi boni, vel mali eſſet futurum: & ſecundariò peccauit appetendo ſimilitudinem Dei quantùm ad propriam poteſtatem operandi, vt ſcilicet, virtute proprię naturæ operaretur ad beatitudinem conſequendam. Vnde Auguſt. dicit ij. Super Gen. ad litteram, quòd menti mulieris inhæſit amor propriæ poteſtatis. Sed diabolus peccauit appetendo ſimilitudinem Dei quantùm ad poteſtatem. Vnde Auguſt. dicit in lib. de vera Religione, quòd magis voluit ſua potentia frui, quàm Dei. Veruntamen quantùm ad aliquid, vterque Deo æquiparari appetijt: inquantum, ſcilicet, ad aliquid vterque ſibi inniti voluit, contempto diuinæ regulæ ordine. D. Tho.

ad Vbi eſt ipſa res per ſui præſentiam, non requiritur eius
37 imago ad hoc, quòd ſuppleat locum rei. Sicut vbi eſt Imperator

rator, milites non venerantur eius imaginem. Sed tamen requiritur cùm præſentia rei imago ipſius, vt perficiatur ex ipſa rei pręſentia, ſicut imago in cæra perficitur per impreſſionem ſigilli, & imago hominis reſultat in ſpeculo per eius præſentiam. Vnde ad perficiendam mentem humanã, neceſſarium fuit, quòd eam ſibi Verbum Dei vniuerit. D. Tho. Quòd filius Dei aſſumpſerit mentem humanam, ſiue intellectum, eſt concluſio de fide: Sed vtrùm Verbum Diuinum potuerit eſſe in Chriſto loco animæ, & intellectus, ideſt, vtrùm potuerit ſupplere vicem animæ, & intellectus, Capreolus in 3. d. 5. q. 2. & d. 14. q. 1. tenet quòd non: & adhibet efficacem rationem. Nam Deus non poteſt ſupplere cauſſalitatem cauſſæ formalis, non enim poteſt facere albũ ſine albedine, ergo non poteſt facere hominem ſine anima rationali. Anima ſi quidẽ rationalis eſt cauſſa formalis hominis. Ex quo apparet, conſequentiam non valere. Eſſentia diuina vnitur intellectui beato in ratione ſpeciei intelligibilis, vt eſt communis opinio Theologorum, quam explicat D. Tho. 1. p. q. 12. a. 2. ad 3. Ergo poteſt vniri corpori in ratione vitę, & animæ. Nam ſpecies concurrit ad intellectionem, vt principium effectiuum, & ideo Deus poteſt ſupplere vicem ſpeciei, ſed anima, & vita concurrunt formaliter, & ideo non tenet ſimilitudo. Bart. Med. 3. p. q. 2. a. 3:

ad Creaturę rationali debetur reuerentia propter ſeipſam:
38 & ideo, ſi creaturę rationali, in qua eſt imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ, poſſet eſſe erroris occaſio, vt ſcilicet, motus adorãtis ſiſteret in homine, inquantum eſt res quędam, & non ferretur in Deum, cuius eſt imago. Quod non poteſt contingere de imagine ſculpta, vel picta in materia ſenſibili. D. Tho. Ex quo habetur ſolutio alterius argumẽti. Coniunctior multò fuit beata Virgo Chriſto, quàm Crux, quã pręſepe, quàm ſepulchrũ. Si quidem portauit illum nouem menſibus in vtero, tanquam in tabernaculo; lactauit eum ſuis vberibus. Et profectò maior erat coniunctio diuinæ prolis cũ Maria, quàm veſtis cum Chriſto. Si ergo Cru-

cem, præſepe, ſepulchrum, & veſtē Chriſti cultu latriæ adoramus; multò magis matrem Chriſti. At, ſicut occaſio erroris vitandi facit, vt creatura rationalis non adoretur, vt imago Dei, conſimili ratione, vt res coniuncta Chriſto, ſcilicet, ne motus adorationis ſiſtat in rationali creatura ſecundùm ſe. Quocirca, ſicut perſonam Chriſti non niſi latria adoramus, ad euitandum errorem recurrentium ad Chriſtum, vt puram creaturam, ità perſonam beatæ Mariæ ſola hyperdulia veneramur ad cauendum errorem eorum, qui latriam terminarent ad beatam Virginem ſecundùm ſe. Non enim populus rudis tantùm penetraret, vt adoraret latria Chriſtum in beata Virgine; & ſeorſum adoraret hyperdulia ipſam ſecundum ſe beatam Virginem, ſine qua diſcretione error accideret. Et ideò ſimpliciter dicitur, quod non eſt adoranda latria, ſed hyperdulia. Caiet. eo loci, art. 5. Quomodo autem honorificentior, & illuſtrior cultus abſolutè impēdatur beatę Virgini, cùm adoratur hyperdulia, propter excellentiſsimas eius virtutes, quàm ſi adoraretur latrię cultu, ex coniunctione ad Chriſtū, declarabitur Luc. ij. ſuper illud. Beatus venter, &c.

ad 38 Similitudo Dei, quæ conuenit homini ſecundùm ſua naturalia, eſt alia ab illa, qua homo aſsimilatur Deo per gratiā; Nec eſt inconueniens, vt homo in pluribus Deo aſsimiletur: eò quod ſecundùm quemlibet gradum bonitatis ſuperadditum noua ſimilitudo in creaturis ad Deum conſurgat. D. Tho.

ad 39 Sicut non eſſet ſapiens, qui theſaurum in loco mundo cōſeruabilem in immundo reponeret, ità eſſet valde inſipiens, qui theſaurum non aliter conſeruabilem, non etiam in immūdo loco collocaret: & præcipuè ſi emundandi theſaurū poſſibilitas remaneret. Dico etiam, quòd anima habet talē naturam, vt tali corpori vniatur, vnde ſi tali corpori nō vniretur, oporteret, quòd, vel omnino anima nō crearetur, vel, quòd alterius naturę eſſet: & ſi alterius naturę eſſet, hæc natura non eſſet: Vnde conſtat, quod hanc naturam conſeruari

ri impoſſibile eſt, niſi per hunc modum. D. Tho. Ex quo ſoluitur aliud argumentum; Infectio ſpiritualis eſt peior, quàm corporalis: ſed conſulitur infectis lepra corporali, vt à coitu abſtineant, ne filios infectos generent: ergo, & multò fortiùs, Deus inſtituere debuit: vt homines à carnali opere ceſſarent: ex quò, per coitum genitos maculam originalis culpæ contrahere neceſſe eſt. Nam lepra eſt corruptio illius boni, quod principia naturæ conſequitur, & ſanari non poteſt: ſed originalis infectio eſt corruptio illius boni, quod principia naturæ non ſequitur, & curabilis eſt: & ideo non eſt ſimilis ratio de vtroque. Idem ibi ad 3.

ad 41 Filiatio per adoptionem addit ſuprà filiationē per creationem, ſicut perfectum ſuprà diminutum: & ſicut gratia ſuprà naturam. Vnde per creationem homo non efficitur filius naturalis, neque adoptiuus: ſed tantùm dicitur filius creatione: creaturæ autem irrationales nullo modo. De ratione quippe filiationis eſt, vt filius producatur in ſimilitudinem ſpeciei ipſius generantis: homo autem, in quantū per creationem producitur in participatione intellectûs, producitur quaſi in ſimilitudinem ſpeciei ipſius Dei: quia vltimū eorum, ſecundùm quæ natura creata participat ſimilitudinem naturæ increatæ, eſt intellectualitas, & ideo ſola rationalis creatura dicitur ad imaginem: vnde ſola rationalis creatura per creationem filiationis nomen adipiſcitur. Sed adoptio requirit, vt adoptato ius acquiratur in hæreditatem adoptantis, hæreditas autem ipſius Dei eſt ipſa ſua beatitudo, cuius non eſt capax niſi ipſa rationalis creatura: nec ipſi acquiritur ius ex ipſa creatione, ſed ex dono ſpiritus ſancti. Et ideo patet, quòd creatio irrationalibus creaturis nec adoptionem, nec filiationem dat; creaturę autem rationali dat quidem filiationem, ſed non adoptionem. D. Tho.

ad 42 Secundùm hoc homo eſt beatitudinis particeps, quòd ad imaginem Dei conſiſtit. Imago autem Dei primò, & principaliter in mente conſiſtit, ſed per quandam deriuationem

etiam in corpore hominis quædam repræſentatio imaginis inuenitur, ſecundùm quòd oportet corpus animę eſſe proportionatum, vt etiam patet ex ijs, quę Magiſter dicit in 2. Sent. d. 16. Vnde etiam beatitudo, vel gloria primò, & principaliter eſt in mente: ſed per quandam redundantiam deriuatur etiam ad corpus, vt beatitudo hominis ſecundùm corpus dicatur, quòd imperium animæ Deo coniunctæ perfectè exequitur, Vnde ſicut diſpoſitiones, quæ ſunt in anima beata ad perfectam operationem, qua Deo coniungitur, dicuntur animæ dotes: ità diſpoſitiones, quæ ſunt in corpore glorioſo, ex quibus corpus efficitur perfectæ animę ſubiectum, dicuntur corporis dotes. D. Tho.

ad 43 Eequalitas non eſt de ratione imaginis abſolutè, ſed perfectę; qualis Dei imago non eſt creatura, ſed filius, vnde ratio non ſequitur. Quemadmodum enim Deus glorioſus quicquam facere non poteſt, quod ab ipſo non ſit creatum, ita non poteſt cuiquam creaturæ communicare, vt eius conſeruatione non indigeat. D. Tho.

Ad 44 Non ſequitur ratio, quia cũ dicitur homo factus ad imaginẽ, imago accipitur abſtractiuè: cũ dicitur imago Dei, imago accipitur concretiuè: quia eſt imagine Dei inſignitus, ſicut tabula, in qua depicta eſt imago, & imago poteſt dici, & ad imaginem: ſic & in propoſito. D. Bon.

ad 45 Scriptura non determinat conditionem naturæ angelicæ expreſsè, ideo non eſt mirum, ſi non determinat eius modum, nec dicit eam ad imaginem Dei eſſe factam. Si autem quæras, quare non determinat, dictum eſt ſupra. D. Bon.

ad 46 Alterum eorum eſt dictum per recapitulationem, vel primum eſt dictum per anticipationem: melius tamen eſt dicere, quòd ſcriptura illud recapitulet, vt addat, D. Bon. Inferius de hoc diſſeretur.

ad 47 Moyſes loquebatur populo rudi, ideo nullam mentionẽ fecit de Angelis: quia non poterat ille populus tranſcendere corporalia. Propter quod dicere poſſumus, quòd ſicut ſub figura cæli Empyrei tradidit Moyſes creationem ange-

lorum

lorum, & ſicut ſub figura productionis lucis tradidit conuer ſionem bonorum angelorum ad Deum, & ſub figura tenebrarum auerſionem malorum: ſic ſub figura hominis facti ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, dedit intelligere, quòd etiã angeli ad Dei imaginem, & ſimilitudinem ſunt creati: immo multò magis, loquendo de homine facto ad imaginem Dei, dedit intelligere angelos, quia homo non dicitur factus ad imaginem, niſi ratione animæ intellectiuæ, in qua, & per quam homo cõmunicat cũ Angelis, & natura intellectualis magis viget in Angelo, quàm in homine. Aegid.

ad 48 Imago poteſt tolli per peccatum, & poteſt nõ tolli. Quia quantùm ad potentias, vel vires nunquam tollitur, ſemper enim remanent vires illæ, in quibus conſiſtit imago, videlicet, memoria, intelligentia, vel intellectus, & voluntas. Sed quantùm ad ipſos actus bonos poteſt tolli, quia poteſt anima per memoriam, intelligentiam, & voluntatem verſari, nõ circà actus bonos, ſed circà actus malos: quod, cùm ſit, potiſsimè attribuendum eſt voluntati, cuius eſt applicare vires, & potentias ad actus ſuos bonos, & ordinatos, vel malos, & inordinatos. Vel poſſumus dicere, quòd eſt imago creationis naturalis, & eſt imago recreationis, & ſimilitudinis gratuitę. Prima non poteſt tolli, quia ſemper manet natura. Propter quod de illa poteſt intelligi. In imagine pertranſijt homo. Sed ſecunda poteſt tolli, quia nõ ſemper manet gratia. Propter quod de hac poteſt intelligi, quod dicitur, imaginem eorum ad nihilum rediges. Aegid.

ad 49 Ad tantillam cognitionem eius, quod quid eſt de Deo, deuenire, & ſi ſummè difficile ſit, eſſe tamen poſsibile concedendum eſt. Quoniam ſic eſt in natura omnium rerũ: quod naturaliter ordinatum ad aliquam operationem, debet habere à natura organa, & inſtrumenta, per quæ poteſt in operationem ſuam procedere, aliter enim eſſet fruſtra, quod nõ eſt ponere in aliqua rerum naturalium. Vnde dicit philoſophus 2. Cæl. & mun. Quod extrà rationem eſt, vt natura poſuerit ſtellas mobiles, & non præparauerit eis inſtrumen-

ta motus. Et natura quidem non abſque cauſſa aliquid vâcuum poſuit. Homo autem ordinatur ad ſpeculandū Deū, tanquam ad eius operationem optimam, & perfectiſsimam, circà optimum, & perfectiſsimum ſpeculabile, quia in tali operatione conſiſtit eius finalis beatitudo, ſecundùm philoſophum, in x. Ethi. Propter quod determinat etiam Auguſtinus, 14. de Trin. in princip. Quòd non dicitur anima imago Dei ex eò, quòd capax eſt per intelligentiam, memoriã, & voluntatem ſui ipſius, aut alicuius rei mutabilis, ſed ex eò quòd ipſius Dei capax eſt. Speculatio autem talis non eſt circà Deum, niſi in quantum Deus eſt obiectum intellectualis cognitionis. Obiectum autem intellectualis cognitionis circà quodcunque non eſt, niſi, quòd quid eſt in eo; Ergo Deus ſecundùm ſuam eſſentiã, & quòd quid eſt in eo eſt obiectum ſpeculationis, & intellectualis operationis in homine, ad quam ordinatur. Debet igitur homo habere in ſe organum, per quod poteſt in ſpeculationem eſſentię, & quiditatis Dei per intellectualem operationem procedere, aliter enim ipſe eſſet fruſtra. Illud autem organum non eſt, niſi potentia intellectualis in eo, per quam quiditatem, & eſſentiam Dei poteſt cognoſcere. Abſolutè igitur concedendū, quòd quiditas Dei, & eſſentia ab homine eſt cognoſcibilis, non ſolùm in futuro, ſed & in præſenti. Henr. Quantum autem, & quomodo cognoſcibile eſt de Deo quòd quid eſt in præſenti, videbitur ſuper illud 1. Thym. 6. Qui habitat lucem inacceſsibilem. Quia creatura magis eſt non ſimilis, quam ſimilis, ideo per creaturas non poſſumus cognoſcere perfectè, quid Deus eſt. Vnde, qui non habet aliam cognitionem de Deo, quàm per creaturas, ita cognoſcit Deum, quòd tamē quid eſt Deus magis latet ipſum, quã ſit cognitum ab eo. Ric. 1. d. 3. a. 2. q. 1. ad. 5.

Cùm dicitur, res poteſt cognoſci in ſua imagine, verita-
ad tem habet, quando imago cognoſcitur ſub ratione, qua il-
50 lius rei imago eſt. Quamuis autem poſſimus cognoſcere in
anima noſtra id, quod eſt imago: non tamen ipſam poſſu-

mus

mus cognoſcere per creaturas ſub ratione, qua eſt imago ſummæ Trinitatis, & Vnitatis. Nec ſimile eſt de veſtigio, quoniam ratio veſtigij eſt ratio confuſa, ratio imaginis eſt ratio diſtincta: ratio enim veſtigij eſt in creatura reſpectu Dei quantùm ad communia: ratio imaginis reſpicit propria. Ric. Vel, ratio procederet, ſi imago Dei eſſet in homine perfectè repræſentans Deum. Sed ſicut Auguſtinus dicit, is. de Trin. maxima eſt differentia huius Trinitatis, quæ eſt in nobis, ad Trinitatem diuinam. Et ideo (vt ipſe ibidem dicit) Trinitatem, quæ in nobis eſt, videmus potius, quàm credimus, Deum verò eſſe Trinitatem credimus potius, quàm videmus. Diuus Thomas, prima parte, quæſt. 93. art. 5. ad 3. Impoſſibile eſſe, ratione naturali veritatem myſterij Trinitatis oſtendere, eſt concluſio certa ſecundùm fidem: Similiter omnia argumenta, quę excogitari poſſunt contrà hoc diuiniſſimum myſterium, eſſe ſolubilia de fide eſt.

ad 51 Imago Trinitatis non eſt cõpletę in anima abſolutè conſiderata, niſi in radice: ſed, vt eſt ſub actibus ſuis cum vnitate ſuæ eſſentiæ, repræſentat Trinitatem: & ſic conſiſtit imago in tribus realiter diſtinctis, non autem in potentijs, quæ realiter non diſtinguuntur. Imago enim, vt eſt perpetua, ſolùm eſt virtualiter in anima, & formaliter, vt eſt ſub actibus. Igitur imago non conſiſtit in aliquibus tribus potentijs realiter diſtinctis, ſed cõſiſtit in aliquibus tribus realiter diſtinctis, puta, in actibus. Vbi ſciendum, quòd differt imago à veſtigio, quia imago repræſentat per modum totius primò, veſtigium autem primò reprę̨ſentat partem, licet arguitiuè repræſentet totum, vt patet de pede in puluere. Trinitas autem in diuinis eſt quaſi quoddam totum numerale, & ideo, quòd repræſentat ipſam totam, dicitur imago, ſed, quòd repræſentat quaſi partes, dicitur veſtigium. A
Anima autem repręſentat totam Trinitatem, inquantũ enim eſt vna eſſentia habens intellectum, & voluntatem, repræſentat diuinã eſſentiã, non ſic autem tres perſonas, quia eſ-

ſentia, & intellectus, & voluntas ſunt in qualibet perſona. Repræſentat autem tres perſonas, vt potentiæ ſunt ſub actibus ſuis, quia vnus actus eſt ab alio per modum originis, ſicut perſonæ inter ſe originantur. Sicut enim à patre Verbũ, & ab vtroque Spiritus Sanctus, ſic quodammodo à memoria actus intellectus, & velle ab vtroq; originatur. Doct. ſubt. Trinitatis imaginem primò attendi in rationali creatura ſecundùm actus, ſecundariò autem ſecundùm potentias, docet etiam D. Tho. 1. p.q.cit.a.7. Nihilominus concederet argumentum, quoniam docet potentias animæ ab eius eſſentia realiter differre, ead.q.77.a.1. Aegid. 2.d.24.q.2. a. 2. Ità arguit, ſecundùm communem modum loquendi, qui ſatis poteſt colligi ex verbis Auguſt. 10. de Trin. Imago Trinitatis eſt in anima, quia ſicut eſt ibi vna ſubſtantia, & tres perſonę, ità in anima eſt vna ſubſtantia, & tres potentiæ, & illæ tres potentiæ ſunt: memoria, intelligentia, & voluntas, ſed ſi hęc tria ſunt tres potentię, memoria eſt alia potentia, quàm intelligentia. Reſpondet. Imago dicitur, quòd eſt ad alterius imitationẽ; ſed non oportet, quòd iſta imitatio ſit quantùm ad omnia. Sufficit ergo, quòd in anima ſit imago Trinitatis, quia ſicut in Deo eſt vna ſubſtantia, & tres perſonæ, ſic in eadem anima eſt vna ſubſtantia, & tria aliqua, quæcunq; ſint illa, ſiue tres potentiæ, ſiuę tres vires habentes tria officia, ſecundùm quẽ modum vna, & eadem potentia poteſt dici plures vires, inquantum poteſt habere plura officia: vt idem intellectus poſſibilis eſt memoria, vt retinet, & conſeruat ſpecies, & eſt intelligentia, vt intelligit per ſpecies retentas, & conſeruatas. Hæc ille. Imago, quę eſt in anima, dicitur expreſſa ſimilitudo Trinitatis per comparationem ad ſimilitudinem veſtigij. D. Tho. 1. d.3.q.1.a.4.ad 2.

ad 52 Imago non conuenit propriè diuinis, prout tamen conuenit, dicitur perſonaliter, & non eſſentialiter. Primum patet, quia ſi eſſe imaginem conueniret diuinis propriè, aut cõueniret Deo reſpectu creaturę, aut vni perſonæ diuinæ reſpectu

ſpectu alterius. Non primo modo, quia imago eſt aliquid productum ad imitationem alterius, cuius eſt imago, ſed nihil diuinum eſt productum ad imitationem creaturę, ſed potius e conuerso creatura producta eſt ad imitationem diuinæ naturæ, ergo Deus non eſt imago creaturę, ſed potius creatura Dei eſt imago. Veruntamen, ſicut exemplar vocamus quandoq; nomine exempli (quamuis impropriè) ſic illud, cuius eſt imago, vocamus quandoq; nomine imaginis, & hoc modo ſumitur imago, Gen. 1. Et ab Auguſtino lib. de fide ad Petrum cùm dicit, vna eſt ſanctę Trinitatis diuinitas, & imago. Dur. Poſteà probat, quòd nec vna perſona poteſt propriè eſſe imago alterius perſonæ diuinę, quod non proſequor, quoniã opinio Dur. quòd hęc nomina, Verbum, & Imago, non propriè, ſed per quandam accommodationem tribuuntur filio, fundatur ſuper falſo. Imaginatur enim cit. lib. 1. d. 6. q. 2. & d. 27. q. 3. nu. 10. quòd filius non procedit per actũ intellectus, neq; ſpiritus ſanctus per actũ voluntatis, ſed vtraq; perſona procedit immediatè ex natura diuina fœcunda, habetq; natura fœcunditatẽ non ex eo, quod eſt intelligens, aut volens, ſed ex eò, quòd eſt infinita, ità quòd, circunſcriptis omnibus actibus intellectus, & voluntatis, adhuc eſſet in diuinis generatio filij, & proceſſio Spiritus Sancti, per actus cõpetentes naturæ, propter ſuam fœcunditatem. Sicut calor ignis, ſi eſſet intelligens, cauſſaret caliditatem ſibi ſimilem fœcunditate naturæ ſuæ, ſicut nunc facit, nec ad hoc aliquid cooperaretur ſuum intelligere, & velle. Sic natura diuina, licet ſit intelligens, & volens; ex infinitate ſua habet fœcunditatem, quòd virtute eius perſona ſit à perſona, ad quam tamen nihil Intelligere, & velle cooperatur. Quę opinio periculoſa eſt, & temeraria, quoniam omnes ſancti patres docent filium procedere per intellectum, & Spiritũ Sanctũ per voluntatẽ, & in ſacris litteris filius appellatur Verbum, & imago, tanquã nominibus proprijs, Vnde Ioa. c. 1. volens filij diuinitatem explicare, atq; à perſona patris ipsũ diſtinguere, dixit, In principio erat verbum.

bum. Si Verbum propriè, & imago, quia de ratione Verbi eſt ſimilitudo ſpeciei ad id, a quo procedit. Dico ergo ad argumentũ, quòd imago propriè dicitur in diuinis, & eſt nomẽ perſonale propriũ filio, vt dicetur, ſuper illud, Heb 1. Qui cũ ſit ſplendor gloriæ &c. Eſſentia autẽ diuina propriè dicitur exẽplar, impropriè verò imago, vt dictũ eſt ſuprà.

ad 53 Conſequentia nulla eſt, quoniam, & ſi in diuinis perſonis eſſet vera & propria locutio, non tamen haberet locum oratio, propter æqualitatem eſſentiæ, & perfectionis, in qua conueniunt. Secundò reſpondetur, quòd in perſonis diuinis non eſt propria, ſed metaphorica locutio. Et illa verba Gen. 1. Faciamus &c. non ponuntur ad explicandam locutionem in diuinis perſonis, ſed ad manifeſtandam pluralitatem perſonarum in vnitate eſſentiæ. Vtrum autem myſterium Trinitatis poſſit efficaciter probari ex veteri Teſtamento aduerſus iudęos, qui illud admitttunt, dicetur ſuper illud Matth. 22. Quid vobis videtur de Chriſto?

ad 54 In illa difficultate, vtrùm exiſtentia ſit perfectior quàm eſſentia, cuius eſt exiſtentia, opinatur Doct. ſubt. 4. ſent. d. 1. q. 1. cuius ſententiam ſequitur Ferrar. 1. cont. Gent. c. 28. quòd eſſe eſt imperfectiſsima omnium perfectionum. Alij verò ex Thomiſtis modernis aſſerunt, quod eſſe ſimpliciter loquendo eſt minima omnium perfectionũ, ſed ſecundùm quid excedit omnes alias perfectiones, ſcilicet, in eò, quòd eſt prima actualitas omnium aliarum perfectionum, quatenus per exiſtentiam cęterę perfectiones ſunt extra nihil. Et contendunt aliqualiter hoc probare, ex D. Tho. 1. cõtrà Gent. c. 28. Sed cæteri diſcipuli D. Tho. fatentur, quòd ſimpliciter loquendo, Eſſe eſt maior perfectio, quàm eſſentia, cuius eſt eſſe. Nam 1. p. q. 4. a. 1. habet, quòd ipſum eſſe eſt perfectiſſimum omnium, & comparatur ad eſſentiam, ſicut actus ad potentiam. Et de verit. q. 20. a. 2. ad. 3. habet, quòd ſi viuere, & eſſe conſiderentur ſeorſum, ità vt vnum non intret rationem alterius, tunc eſſe eſt maior perfectio, quàm viuere; At ſi viuere includat eſſe, nihil mirum, quòd

ſit maior perfectio, quàm eſſe, quod recipitur in non viuente. Itaq; verùm eſt, quòd perfectiſſimum eſt in homine id, in quo factus eſt ad imaginem Dei. Sed obſecro, quomodo factus eſt, niſi recipiendo eſſe minus limitatum, quàm beſtiæ, ſcilicet, receptum in natura rationali: (Alioquin nihil eſſet homo) quoniam eſſentia ſine exiſtentia nihil eſt, vt habet. D. Tho. de potent. q.3. a. 5.ad.2.

Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, Maſculum, & Fæminam creauit eos.

ARGVMENTA.

1 DICITVR, creauit, &c. maſculum, & fœminam, Ergo non tantùm conditus eſt Adam, ſed & Eua. Si verò Eua creata eſt, hoc non eſt, niſi ſecundùm animam; ſecũdùm enim corpus qualiter poſſet intelligi, vt ſimul fierent Adam, & Eua ſecundùm corpus, cùm vnum corpus, ſcilicet, Euę eſſet de coſta Adæ? Si enim erat de coſta formatum, tunc coſta præceſſit: quare Adam ante Euam eſt formatus: non ergo ſimul ſecundum corpus: ergo ſi erat ibi ſimultas, quod videtur per hoc, quòd ſub quadam indiſtinctione dicitur, erat anima Euæ condita in opere ſextæ diei. Alex. 2. p. q. 60.m.2.a.2.

2 Dignitas eſt ex parte animæ, quæ ad imaginem Dei eſt: æqualiter ſunt ad imaginem Dei tam anima viri, quàm anima mulieris, ergo æqualis dignitatis. Alb. 2. p.q. 82. m. 2.

3 Sexus maſculinus, & fœmininus pertinent ad corpus. imago verò Dei ad animam. Sed anima ſecundùm Augu. fuit facta ante corpus. Inconuenienter ergo cùm dixiſſet, Ad imaginem ſuam fecit illum, addidit, Maſculum, & fœminam creauit eos. D. Tho. 1.p.q.91.a.4.arg.5.

Gen.

4 Gen. 1. dicitur, Creauit Deus hominem &c. Maſculum &c. Sed diſtinctio maſculi, & fœminæ eſt ſecundùm corpus: ergo ſecundùm corpus attenditur Dei imago in homine, & non ſecundùm mentem tantùm. D. Tho. ead. q. 93. a. 6. arg. 2.

5 Gen. 1 habetur, Creauit Deus hominem &c. maſculum &c. Si igitur mulier creata eſt ad imaginem, & ad æqualitatem viri, ſicut innuit formatio eius de latere, & ratio etiam quare formata eſt, cùm dicitur, Faciamus adiutorium ſimile ſibi: videtur quòd in viro, & muliere æqualiter reperiatur ratio imaginis. D. Bon. 2. d. 16. a. 2. q. 2.

6 Gen. 1. dicitur, Maſculum, & Fœminā creauit; ſed, quod creatur, non fit de aliquo: ergo corpus mulieris non fuit factum de coſta viri. Ric. eod. d. 18. q. 1.

7 Gen. 1. dicitur, Creauit Deus hominem, & poſteà ſequitur, maſculum, & fœminam creauit eos: ſed hoc fuit antequam Adam eſſet tranſlatus in paradiſum, ergo mulier non fuit in paradiſo formata. Aegid. diſt. cit. dub. 1. litt.

CONCLVSIONES.

1 NON fuit creatus vterque ſexus in vno indiuiduo coniunctus.] Maſculum, & fœminam creauit eos, dixit pluraliter eos (vt Auguſt. dicit) ne intelligatur in vno indiuiduo vterq; ſexus fuiſſe coniunctus. D. Tho. 1. p. q. 93. a. 4. ad. 1.

Dicit, maſculum, & fœminam creauit eos, licet adhuc fœmina creata non ſit, ne fœmina, quæ ſeminaliter, & materialiter iam fuit in viro, expers credatur eſſe imaginis. Rurſus, ne in vno homine vterque ſexus reputaretur: ſicut, quos Androgynos vocant, pluraliter ſubiecit, fecit eos: quamuis mulier nondum à viro eſſet diuiſa, ſed materialiter præſeminata. Alb. 2. p. q. 64. circà fin.

2 ¶ *Anima eſt producta in eſſe per creationem.*] Dicitur Gen. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. Eſt autem homo ad imaginem Dei ſecundùm animam. Ergo anima

ma exiuit in eſſe per creationem. D. Tho. 1. p. q. 90. a. 2. Nec te moueat, quòd anima ſit in aliquo ſubiecto, quoniam creari eſt ex nihilo fieri, id eſt, vt magnus inquit Albertus, ex nihilo ſui fieri, & ideo nihil obſtat creationi ſimpliciter, & propriè, præſupponere ſubiectũ, modo nihil ſit eius, quod propriè fit: vt contingit in productione Animæ rationalis, quæ eſt forma ſubſiſtens. Caiet. eo loci.

3 ¶ *In ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio per coitum.*] Deus ante peccatum maſculum, & fœminã fecit, vt dicitur Gen. 1. & 2. Nihil autem eſt fruſtrà in operibus Dei. Ergo, etiã ſi homo non peccaſſet, fuiſſet coitus, ad quẽ diſtinctio ſexuũ ordinatur. D. Tho. ead. q. 98. a. 2. Quidam antiquorũ doctorum conſiderantes concupiſcentiæ fœditatem, quæ inuenitur in coitu in iſto ſtatu, poſuerunt, quòd in ſtatu innocentiæ non fuiſſet generatio per coitum. Vnde Greg. Nice. dicit in libro, quem fecit de homine, quòd in paradiſo aliter fuiſſet multiplicatum genus humanũ, ſicut multiplicati ſunt angeli, abſque concubitu, per operationem diuinæ virtutis. Et dicit, quòd Deus ante peccatum fecit maſculum, & fœminam, reſpiciens ad modum generationis, qui futurus erat poſt peccatum, cuius Deus præſcius erat. Sed hoc non dicitur rationabiliter. Ea enim, quæ ſunt naturalia homini, neque ſubtrahuntur, neq; dantur homini per peccatum. Manifeſtum eſt autem, quòd homini ſecundùm animalem vitã, quam etiam ante peccatum habebat, vt ſuprà dictum eſt, naturale eſt generare per coitum, ſicut & cæteris animalibus perfectis. Et hoc declarant naturalia mẽbra adhunc vſum deputata. Et ideo non eſt dicendum, quòd vſus horũ membrorum naturalium non fuiſſet ante peccatum, ſicut & cæterorum membrorũ. Sunt igitur in coitu duo conſideranda ſecundùm præſentem ſtatum. Vnum, quod naturæ eſt, ſcilicet, coniunctio maris & fœminæ ad generandum. In omni enim generatione requiritur virtus actiua, & paſſiua. Vnde cùm in omnibus, in quibus eſt diſtinctio ſexuum, virtus actiua ſit in mare, virtus verò paſſiua in fœmina, naturæ ordo

do exigit, vt ad generandum conueniant per coitum mas, & fœmina. Aliud autem, quod conſiderari poteſt, eſt quædam deformitas immoderatæ concupiſcentiæ, quæ in ſtatu Innocentię non fuiſſet, quando inferiores vires omnino rationi ſubdebantur. Vnde Auguſt. dicit in 14. de Ciui. Dei, Abſit, vt ſuſpicemur non potuiſſe prolem fieri ſine libidinis morbo. Sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cętera, & ſine ardore, & illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate animę, & corporis. D. Tho.

4 ¶ *In primo ſtatu fœminæ natæ fuiſſent.*] Sic natura proceſſiſſet in generando, ſicut eam Deus inſtituit, ſed deus inſtituit marem, & fœminã in natura humana, vt dicitur Gen. 1. & 2. Ergo etiam in ſtatu illo fuiſſent mares, & fœminæ generati. D. Tho. ead. q. 99. a. 2.

5 ¶ *In ſtatu innocentiæ tot fuiſſent generatæ fœminæ, quot mares.*] Natura ſic proceſſiſſet in generando, ſicut Deus eã inſtituit, ſed Deus non fecit primò plures viros, quàm mulieres, quia primò non fecit niſi vnum virum, & vnam mulierẽ: ergo videtur, quòd in proceſſu naturæ æqualiter viros, & mulieres multiplicaſſet. Ric. 2. d. 20. a. 2. q. 1. Modus autem, per quem hoc factum fuiſſet, ſic patere poteſt. Vis generatiua erat perfecte in obedientia voluntatis; & ideo, quando voluiſſent parentes conceptionem mulieris imperaſſent virtuti generatiuæ, & tunc decidiſſet ſemen minus calidum, & magis aptũ ad generationem fœminei ſexus: quod natura rę poſuiſſet in loco matricis magis apto ad fœminæ generationem. Quando autem voluiſſent generare maſculum, virtus generatiua obediens decidiſſet ſemen calidius, & virtuoſius, aptum ad maſculi generationem: quod natura repoſuiſſet in loco matricis magis apto maſculi formatione. Qui locus eſt in dextera parte matricis: dicẽte Auicena lib. 9. de Anim. cap. de cauſſa maſculinitatis, & feminitatis, quod ventriculus dexter eſt habilior ad faciendum maſculum, quàm ſiniſter, & hoc eſt, quia magis calidus. Hæc Ric. Concordat D. Bon. ead. q. 6. vbi & refert, aliquos exiſtimaſſe, quòd mulier

ſemper

ſemper geſnellos concepiſſet, dexterâ parte attrahête, quod eſt maioris virtutis de ſemine, ad generationem ſexus virilis, ſiniſtra verò, quòd eſt virtutis magis debilis, ad generationē ſexus fœminei. De quo, ſequenti textu, arg. 2.

QVAESITA.

1 PRopter quid dicitur, ad imaginem Dei creauit illũ, poſt quam dictum eſt, creauit Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuã hominẽ? Primò dixit pluraliter, Faciamus, &c. Vt exprimeretur Trinitas, nõ enim ad Angelos fiebat ſermo, quoniã nõ indiget Deus in creatione hominis adiutorio Angelorũ, pluſquam in creatione alterius creaturæ. Prætereà, ſequitur poſt, Faciamus ad imaginem noſtram: nulla autem eſt imago vna Dei, & angelorum. Prętereà, illud obuiat, quod ſequitur, creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. Non ergo cùm dicitur, Faciamus, vel noſtram, ad angelos fit ſermo, vt quidam hæretici dicunt: ſed trium perſonarum eſt ſermo. Secundò ſingulariter, vt exprimeretur vnitas eſſentiæ, vti imago reſpondet vnitati eſſentiæ in trinitate perſonarum. Sed vnitas eſſentiæ eſt in duplici ratione: inquantum eſt forma exemplaris, & in quantum eſt finis: & ideò exprimendo exemplarem, dixit, creauit Deus ad imaginẽ ſuam: exprimendo conuerſionem iterum ad ipſam tanquã finem, dicitur, ad imaginem Dei creauit illum. Et hoc eſt, quod dicitur Eccl. 17. Secundùm imaginem Dei fecit illum: & iterum conuertit illum in ipſam. Vbi loquitur de conditione primi hominis. Alex. 2. p. q. 55. m. 2. & 4. Non eſt nugatoria illa repetitio, quod enim primò dicit, notat imaginem in habitu in natura animæ creata, quod ſecundò addit, notat relationem eiuſdem imaginis ad Deum: ſicut ad exemplar ſecundum actum imitandi. Alb. 2. p. q. 64. quæſ. 6.

AD ARGVMENTA.

ad 1 SI ſecundùm rationem maris, & fœminę factus eſt homo in operibus ſex dierum, non tantùm Adam factus eſt

eſt ſecundùm animam, & corpus, ſed & Eua ſimiliter in opere ſextæ diei: ſed non ſimul in parte indiuiſibili diei illius, vt non ſit contrarium, quod dicitur conſequenter, quòd Eua formata eſt de latere viri: & quod dicitur in Eccleſiaſtico. Ex ipſo creauit adiutorium ſibi. Et ſic omnia illa dicerẽtur per recapitulationem quandam, vt maior fieret expreſſio. Cum enim fecit herbas, & plantas in opere tertiæ diei, 1
nonne tunc, & ligna paradiſi? ergo pari ratione de alijs. Vel poteſt dici, quòd Adã factus fuit in operibus ſextę diei tantum ſecundum corpus: quia Adam fuit ratio condendi humani generis: de latere enim eius facta eſt Eua: de ipſo autem, & Eua humanum genus: & ità fuit principium humani generis: propter hoc potuit includi in illis operibus, à quibus Deus requieuit condendo rationes rerum. Et ſecundum hoc reſpondendum eſſet ad hoc, quod dicitur. Maſculum, & fœminam fecit eos. ideſt, ſecundùm corpus Adæ materialiter: ex quo poſt formauit corpus Euæ. Vel, fecit hominem ad hoc, vt eſſet maſculus, & fęmina: & per illa genus humanum multiplicaretur. Aliqui dicebant, quòd anima vtriuſque erat in opere ſextæ diei, vt eſſet ſenſus. Maſculum, & fęminam fecit eos: ideſt, animas condidit ad imaginem ſuam tam maris, quàm fęminæ: corpora verò poſt formata: ſicut recitat ſcriptura. Sed tunc quæritur, quare nõ dictum eſt de Eua, ſicut de Adam? De Adam enim dicitur, quòd formauit hominem de limo terræ, & inſpirauit, &c. De Eua verò nihil dicitur, quò ad coniunctionem animæ cum corpore. Si verò anima Euæ eſſet per ſe primò creata, & poſt ſuo corpori coniuncta, videretur ſimiliter dicendũ: non autem ſimiliter eſt dictum, aliter ergo videtur ratio ex parte Euæ, & ex parte Adæ. Mihi veriſimilius videtur ſecundùm primùm modum deductum: ſaluo tamen iudicio melioris ſententiæ. Alex.

ad 2 Pro certo ſimpliciter loquendo; vir dignior eſt muliere: quia caput eſt, vt dicit Apoſtolus. Et Ariſt. in primo polit. dicit, quòd in communicatione, qua ſibi communicant vir,

& mulier, vir eſt ſicut principans: & mulier ſicut ſubiecta. Et ideo Salomon ait in prouerb. mulier, ſi principatum accipiat, ſubuertet virum ſuum. Secundum quid tamen poteſt aliqua mulier dignior eſſe aliquo viro: & quęlibet mulier eſt æqualis viro, ſecundùm quid. Ità intelligitur dictum Baſilij in Hexam. quòd æqualis fuerit dignitatis vir, & mulier: æquales enim erant in hoc, quòd æqualiter participabant gratiam innocentiæ, & æqualem ordinem habebant ad virtutem, & meritum; & hoc eſt, æquales eſſe ſecundùm quid, & non ſimpliciter. Hoc concludit argumentũ. Non enim ſequitur, ſunt æquales in hoc: ergo ſunt ſimpliciter ęquales. Alb. De hoc etiam inferiùs.

ad 3 Secundùm Auguſtinum: omnia opera ſex dierum ſimul ſunt facta. Vnde animam primi hominis, quã ponit ſimul factam cum angelis, non ponit factam ante ſextam diem, ſed in ipſo ſexto die ponit eſſe factam. & animam primi hominis in actu: & corpus eius ſecundùm rationes cauſſales. Alij verò Doctores ponunt & animam, & corpus factum ſexto die in actu. D. Tho.

ad 4 Sicut Auguſtinus dicit 12. de Trin. Quidam imaginem Trinitatis in homine poſuerunt, non ſecundùm vnum indiuiduum, ſed ſecundùm plura: dicentes, quòd vir Patris perſonam intimat: Filij verò perſonam, qui de viro ita proceſſit, vt de illo naſceretur, atque ita tertiam perſonam velut Spiritum Sanctum, dicunt eſſe mulierem: quæ ità de viro proceſſit, vt non ipſa eſſet filius, aut filia. Quod prima facie abſurdum videtur. Primò quidem, quia ſequeretur, quòd Spiritus Sanctus eſſet principium filij: ſicut mulier eſt principium prolis, quæ naſcitur de viro. Secundò, quia vnus homo, non eſſet niſi ad imaginẽ vnius perſonæ. Tertiò, quia ſecundùm hoc ſcriptura de imagine Dei in homine mentionem facere non debuiſſet, niſi producta iam prole. Et ideo dicendum eſt, quòd Scriptura poſtquàm dixerat. Ad imaginem Dei creauit illum: addidit, maſculum, & fœminam creauit eos: non vt imago Dei ſecundùm di-

ſtinctiones ſexuum attendatur; ſed quia imago Dei vtrique ſexui eſt communis, cùm ſit ſecundum mentem, in qua non eſt diſtinctio. Vnde Apoſtolus ad Colos. 3. poſtquam dixerat, ſecundum imaginem eius, qui creauit illum: ſubdit, vbi non eſt maſculus, & fœmina. D. Tho.

ad 5 Imago quantùm ad ſuũ eſſe, principaliter conſiſtit in anima, & eius potentijs: & in his potiſſimè, prout habent ad Deum conuerti. Et quantùm ad hoc, non eſt diſtinctio maſculi, & fœminæ, ſerui, & liberi: ideo imago quantùm ad id, quod eſt de complemento eius, & de eius eſſe, non magis reperitur in viro, quàm in muliere. Quantùm etiam ad bene eſſe, ſiue ad clariorem expreſſionem, conſiſtit magis in anima, ſecundùm quòd ad corpus habet ordinem, & habitudinem. Et quoniam ex parte corporis eſt ſexuũ diſtinctio; & ſecundùm ſexuum diſtinctionem maior eſt repræſentatio, ſiue quantùm ad rationem principiandi, quia vir eſt caput mulieris, & vir eſt principium mulieris, & non vir propter mulierem, ſed mulier propter virum: quantùm ad hunc vtique modum excellentiori modo reperitur imago in ſexu maſculino, quàm fœminino: non ratione eius, quod eſt de eſſe ipſius imaginis: ſed ratione eius, quod adiacet. D. Bon. Concordat. D. Tho. cit. q. a. 4. ad 1.

ad 6 Intelligitur allegatum verbum de viro, & muliere ratione partis nobilioris, quę eſt anima, non ratione corporis. Ric. Deus maſculum, & fœminam creauit, quia de materia antea creata fuerunt facti; tamen non fuit, nec oportuit, quòd materia aliqua de nouo crearetur, ſed fieri potuerũt, vel facti fuerunt de materia præiacente. Aduertendum tamen, quòd homo poteſt dici creatura plus quàm aliæ res; quia ſemper in generatione hominis, ſiue maſculi, ſiue fœminæ, fit noua creatio animæ. Littera tamen Gen. aliquando ſequitur ordinem hiſtoriæ, aliquando non ſequitur. Illa ergo littera, quæ videtur ſonare, quòd ſimul fuerunt producti vir, & mulier, non ſequitur ordinem hiſtoriæ. Maſculum ergo & fœminam creauit eos, ſed non ſimul, quia pri-

mò

mò creauit maſculum, & poſteà de coſta eius formauit fœ-
minam. Aegid. ead. diſt. q. 1. a. 3. in ſolut. 2.

ad Ex hoc verbo ortum habuit, vt videtur tangere Magiſter
7 in hiſtorijs, phantaſtica opinio quorundam iudæorũ, quòd
fuit alia mulier creata, antequam Eua. Sed hoc non poteſt
ſtare ſecundùm litterã Gen. Nam ante formationem Euæ
dictum eſt, quòd Adæ non inueniebatur ſimilis, ergo alia
mulier ante Euam formata non fuit, quia illa fuiſſet inuen-
ta ſimilis Adæ ante formationem Euę, quod eſt contrà Scri
pturam. Poſſumus ergo dicere, quòd in illa littera Gen. ali
quando aliqua dicuntur per recapitulationem. Nam cùm
ſexto die fuiſſet factus homo, vt habetur Gen. 1. Poſt eà
poſt ſeptimum diem, & poſt quietem diei, dictum eſt Gen.
2. Formauit Deus hominem de limo terrę, quod per reca-
pitulationem eſt dictum. Et ſicut in Geneſi aliquando di-
cuntur aliqua per recapitulationem, ſic dicuntur ibi aliqua ſe
cundùm anticipationem. Nam ſicut recapitulando dicun-
tur ibi aliqua, quæ ſunt facta ante: ſic anticipando dicun-
tur ibi aliqua, quæ ſunt facta poſt. Secundùm ergo quod
videtur ſonare littera Gen. homo fuit factus ſexta die, & fuit
factus extrà paradiſum, & non ſimul cum homine fuit for-
mata mulier. Quod ergo dicitur Gen. 1. maſculum, & fœ
minam fecit eos, dictum eſt hoc per anticipationem, quia
non ſimul fecit maſculum, & fœminam, ſed primò fecit ma
ſculum, poſteà ex eo fœminam fecit. Vel poſſumus, ſi vo
lumus etiam ſine anticipatione ſaluare litteram Gen. fa-
ciendo vim in verbo, cùm dicitur, maſculum & fœminam
creauit eos. Nam formando ſolum maſculum, creauit ma
ſculum, & fœminam. Nam de illa eadẽ materia iam crea-
ta, de qua fecit maſculum, ſequendo opinionem magiſtri,
non materiam nouam creando, nec aliam materiã creatam
ei dando, de illa materia viri, vt de coſta, formauit Deus
mulierem. Faciendo ergo vim in hoc verbo, creauit, ſimul
& in eadem materia, materialiter loquendo, fuerunt facti
vir, & mulier. Nam, & ſi omnia poſsint dici facta ſimul ma-

terialiter, non tamen omnia fuerunt facta ſimul quantũ ad eandem materiam, vel quantùm ad eandem partem materiæ. Sed de illa eadẽ materia, de qua fuit factus homo quantùm ad coſtam, fuit facta mulier, ſecundùm Magiſtrum, non per nouæ materiæ creationem, nec per alterius additionem, ſed per eiuſdem materię multiplicationem. Aegid.

Benedixitq; illis Deus, & ait, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.

ARGVMENTA.

1 NEMO ſanæ mentis (inquit Ber.) maiorem in vitijs, quàm in virtutibus eſſe delectationem æſtimat. In opere ergo naturæ vitiatæ, & peccati non eſt maior delectatio, quàm in opere naturæ integrę, & ſine peccato, quod erat etiam opus virtutis, ſcilicet, obedientiæ: dederat enim eis Dominus præceptum de opere multiplicationis Gen. 1. Creſcite, & multiplicamini: coitus in ſtatu naturę lapſę eſt opus naturę corruptæ, & cum peccato, ergo coniunctio maris, & fœminæ in ſtatu Innocentiæ fuiſſet cum maiori delectatione. Alex. 2.p.q.89. m.2.

2 In ſtatu innocentiæ ſicut quilibet comederet, ità quilibet prolem multiplicaret, cùm omnibus eſſet dictum, creſcite, & multiplicamini: ergo quilibet haberet vxorem: ſi ergo matrimonium requirit, quòd ſint duo in carne vna, tot eſſent viri, quot mulieres, nec plures, nec pauciores. Alex. ead. m.4.

3 Conditus fuit Adam in perfectione corporali, & complectione tanta, vltrà quàm non profeciſſet. Vnde ſtatim dictũ eſt, Creſcite, &c. A ſimili videtur de completione animæ, quantùm ad ea, quæ ſunt naturæ, ſiue in quę poteſt natura. Sicut enim conditus fuit in perfectione corporali, in quàm potuit

potuit natura in illo: itá, vt videtur, in perfectione animæ in quam potuit natura in illo: ergo non profeciſſet, nec per doctrinam, nec per inuentionem. Alex. ead. q. 92. m. 2. a. 2.

4 Ante inſtitutionem matrimonij inter Adam, & Euam, de quo habetur Gen. 2. dixit Dominus ad Adã, & Euam, Gen. 1. Creſcite, & multiplicamini. Ergo ex præcepto domini habuit Adam Euam, vt ſociã propagandæ ſobolis ante inſtitutionem matrimonij: ergo habuit eam, vt concubinam. Item, nullus faciens ſecundùm præceptum Domini peccat: Sed vir concubinarius, cum ſua concubina coiens propter prolẽ multiplicandam, facit ſecundum illud præceptum: Creſcite, & multiplicamini: ergo non peccat, ſed facit quod licitum eſt. Alex. 3 p. q. 35. m. 4.

5 Verùm eſt dictum Auguſtini, quòd cælibatus Ioannis nõ præfertur coniugio Abrahæ. Matrimonium quoque in paradiſo inſtitutum eſt, & benedictionem à Deo accepit, & pręceptum de generatione, & multiplicatione, quandò dixit, creſcite, & multiplicamini: Ex hoc infert Iouinianus matrimonium omnibus eſſe pręferendum. Alb. 2. p. q. 105. m. 3.

6 Quando dixit Gen. 1. Creſcite, &c. conſtat, quòd intellexit de multiplicatione ſecundùm numerum; ergo videtur, quòd proles non niſi per numerum, & non per meritum, ſit effectus matrimonij, ergo nec bonum: quia non eſt aliquid bonum matrimonij, niſi per hoc, quod efficit ipſum. Quando ergo proles computatur inter bona matrimonij, intelligitur quantum ad ſubſtantiã, non quantùm ad bonitatem ipſius prolis. Alb. 4. diſtin. 31. a. 10.

7 Matrimonium etiam quandoq; fuit in præcepto, cùm dictum eſt, Creſcite, & multiplicamini, ergo tunc non licuit cõtinere, cõſtat autẽ, quòd nullo modo præcepiſſet hoc Deus, niſi matrimonium vtilius fuiſſet tunc temporis, quàm continentia, ergo in ſimili, & pro ſimili cauſſa reciperet votum continentiæ diſpenſationem. Alb. eod. d. 38. a. 16.

8 Omne, quod contrariatur præcepto legis naturæ, eſt illicitum: ſed, ſicut præceptum legis naturæ ad conſeruationẽ

indiuidui eſt, quod tangitur Gen. 2. De omni ligno, quod eſt in paradiſo comede: ità etiam præceptum legis naturæ eſt ad conſeruationem ſpeciei, quod ponitur Gen. 1. Creſcite, & multiplicamini. Ergo ſicut peccaret, qui abſtineret ab omni cibo, vt potè, faciens contrà bonum indiuidui: ità etiã peccat, qui omnino abſtinet ab actu generationis, vt potò, faciens contra bonum ſpeciei. D. Tho. 22. q. 152. a. 2.

9 Inſtitutio ſacramenti debet eſſe à Deo, ſed ante peccatũ verba, quæ ad matrimonium pertinent, determinatè nõ ſunt dicta a Deo, ſed ab Adam: Illa autem verba, quæ Deus dixit: Creſcite, & multiplicamini, dicta ſunt etiam brutis, in quibus non eſt matrimonium, ergo matrimonium non fuit inſtitutum ante peccatum. D. Tho. 4. d. 26. q. 2. a. 2.

10 Virtutum vſus, cùm ſint de iure naturali, omni tempore licuerunt: ſed in ſtatu naturę conditę non licuiſſet virginitatem ſeruare: quia eſſet contrà præceptum, vt habetur Gen. 1. Creſcite, &c. ſimiliter nec tempore legis Moyſi, quando, qui non relinquebat ſemen ſuper terram, maledictioni legis ſubiacebat: ergo virginitas non eſt virtus. D. Tho. eod. diſt. 33. ar. 2.

11 Ei, quod non eſt ſecundùm omne tempus laudabile, non debetur præmium excellens: ſed virginitatem ſeruare non fuiſſet laudabile in ſtatu innocentiæ, cum tunc eſſet homini præceptum, Creſcite, &c. nec etiam tempore legis, quando ſteriles erant maledictæ: ergo virginitati aureola non debetur. D. Tho. eod. d. 49. q. 5. a. 3.

12 Legitur Gen. 1. & 9. præceptum primis parentibus datũ eſſe, Creſcite, &c. quod nõ eſt remotum, ſed magis videtur à Domino in Euangelio eſſe confirmatum, Matth. 19. vbi dicitur. Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, de coniunctione matrimonij loquens. Contrà autem hoc præceptũ expreſsè faciunt, qui perpetuam continentiam ſeruant. Videtur igitur non eſſe licitum perpetuam continentiam ſeruare. D. Tho. contrà Gent. l. 3. c. 136.

13 Adam ante peccatum vitam habuit immortalem, & tamẽ

cibis,

cibis, & venereis vti potuit in illo ſtatu, cùm ante peccatum illi ſit dictum, Creſcite,&c. & iterum, de omni ligno, quod eſt in paradiſo comedes. Ergo in reſurgentibus erit vſus venereorum. D. Tho. contrà Gent. l. 4. c. 83.

14 Dicitur Gen. 1. Creſcite,&c. & conſtat, quòd hoc dictũ eſt quantùm ad actum generatiuæ. Iuxtà hoc quæritur, vel mandatum iſtud obligat omnes, & ſic tranſgreſſi ſunt, quia non coierunt in ſtatu innocentiæ, vel non obligat, & ſic videtur, quòd poterant continuè ſeruare virginitatem. Item quæro, vtrùm illud mandatum maneat adhuc, quod ſi manet, ergo non licet alicui ſeruare virginitatem, quod eſt cõtrà Apoſt. qui dicit 1. Cho. 8. Volo vos omnes eſſe, ſicut ego ſum: loquitur de caſtitate. Si non obligat modò, quæro, quãdo reuocatum eſt. Videtur etiam, quòd modò ſint melioris conditionis homines, quàm tunc, quia modò poſſunt ſeruare virginitatem: tunc autem non poterant. D. Bon. 2. d. 20. cir. litt. dub. 3.

15 Cùm illud idem dictum ſit beſtijs, quæ non ſunt rationis capaces, ergo non fuit, vt præceptum datum. D. Bon. 4. d. 26. cir. litt. dub. 1. & q. 2.

16 Matrimonium fuit inſtitutum in ſtatu innocentiæ, in quo nullus erat defectus nec culpę, nec pœnæ: ergo non omnia ſacramenta nouę legis fuerunt inſtituta in remedium contrà aliquem defectum. Ric. 4. d. 2. q. 1.

17 Præceptum, quod dedit Deus homini ad conſeruationẽ indiuidui, quæ eſt per actum nutritiuæ, adhuc durat: ergo à ſimili, præceptum, quòd Deus dedit homini ad conſeruationem ſpeciei, quæ eſt per actum generatiuæ, adhuc obligat. Ric. eod. d. 26. a. 3. q. 3.

18 In illo ſtatu fuiſſent tot vnius ſexus, ſicut alterius, ſed non eſt probabile, quòd nunc ſaluentur tot de vno ſexu, ſicut de alio: ergo eędem perſonæ electę nunc, non fuiſſent tunc. Aſſumptum probatur, quia nulla perſona fuiſſet coniuncta cũ alia in linea aſcendente, vel deſcendente: quia hæc contrà naturam fuiſſent: vnde Adam, ſi nunç viueret, non poſſet con

trahere. Quælibet tamen perſona fuiſſet alij coniuncta per obligationem iſtius pręcepti. Creſcite, & multiplicamini. Et vnus etiam non fuiſſet coniunctus duabus: quia bigamia fuiſſet contra legẽ naturæ: ergo in linea laterali oportebat tot eſſe fœminas, quot viros. Doct. ſubt. 2. d. 20. q. 2.

19 Si Adam ex Eua ſolas fœminas generaſſet, & cognouiſſet, quòd Eua ex ſua complexione eſſet inhabilis ad generandũ maſculos, debuiſſet aſſumere in vxorẽ aliquã ex ſuis filiabus, vt maſculus aliquis naſceretur ad conſeruationẽ ſpeciei, alioquin, nec Deo pręcipiẽti, Creſcite, & multiplicamini, nec rationi naturali hoc indubitanter ſuadenti, ſatisfeciſſet, ergo Adã potuiſſet cõtrahere cũ filia. Caiet. 22. q. 154. ar. 9. in cal.

NOTABILIA.

1 DVplex benedictio, quædam actiua, & quædam paſſiua, actiua eſt, per quam aliquid datur à benedicẽte ipſi, qui benedicitur, & tali benedictione Deus benedicit creaturas, per quam benedictionem eis confert aliqua bona: Sicut Gen. 1. benedixitq; eis Deus, & ait, Creſcite, &c. Benedictio paſſiua eſt, per quam nihil accreſcit illi, qui benedicitur, ſed tantùm illi, qui benedicit, & iſto modo creaturæ benedicunt dominum, qui bonorum noſtrorum non eget. Vnde talis benedictio non eſt, niſi quidam laudandi modus. Benedictiones autem, quæ dantur a ſacerdotibus, ſeu à miniſtris Dei, reducũtur ad primũ modũ benedicendi in quantũ in perſona Dei, ſeu eiùs auctoritate hoc faciunt, ſeu imprecantur. Ioan. de Tur. Crem. d. 21. Can. Deniq;

2 Deus homini ante peccatum triplex dedit præceptum, vnum diſciplinę, pertinens ad profectum gratię, cum dixit, vt habetur Gen. 2. de ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Alterum pertinens ad conſeruationem naturæ, cùm dixit eodem cap. De omni ligno paradiſi cpmede. Alterũ pertinens ad multiplicationem indiuiduorum ſpeciei humanæ propter impletionem numeri electorum, cùm, vt habetur Gen. 1. dixit. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.

Quia

Quia tamen fuit præceptum affirmatiuum, non obligabat, niſi pro loco, & tempore: & ideo non fuerunt tranſgreſſores præcepti iſtius: quamuis nunquam in paradiſo fuerunt carnaliter copulati. Ratio autem quare non coierunt poteſt aſſignari triplex. Vna, ſatis citò poſt formationem mulieris facta eſt illa tranſgreſſio, propter quam de paradiſo eiecti ſunt. Alia, quia determinationem temporis, quo coire inciperent, expectabant ab auctoritate diuina. Tertia, quia nõdum erat in eis ſuperfluitas cibi tertia digeſtione digeſti, quæ eſt materia ſeminis. Primæ duæ rationes tanguntur ab Auguſt. 9. ſuper Gen. longè poſt principium. Ric. 4. d. 26. a. 3. q. 1. Concordat. D. Bon. 2. d. 20. cir. litt. dub. 7. Subditq́; , quòd præceptum diſciplinæ fuit negatiuum, vt facilior eſſet eius obſeruantia, & homo non poſſet de trãſgreſſione, vel commiſſione habere excuſationem.

3 Cùm duplex ſit ius diuinum, nempè poſitiuum, quòd naturæ ſuperponitur, vt ſunt ſacramentorum mandata, & fidei, aliud verò diuinum naturale: præceptum matrimonij non eſt prioris, ſed poſterioris generis. Deus enim non ſuprà naturam, ſed tanquã naturæ auctor, & parens illud poſuit, Creſcite &c. tanquam vim, inſtinctumq́; naturæ explicans. Quocirca licet Deus ipſe præceptũ illud non expreſſiſſet, natura nos ipſa obligaret. Tale etiam fuit & illud, Dominamini piſcibus maris &c. nam iure naturæ, per Deum conditæ, homo, quia rationalis eſt, ſuique adeò, ſuarumq́; actionum dominus, dominium ſubinde aliarum rerum obtinet. Dominic. Sot. 4. d. 26. q. 1. a. 2.

CONCLVSIONES.

1 RATIONES *ſeminales a Deo rebus inditæ ſunt.* Vt dicit Greg. Benedictiõ Dei dicitur bonorũ eius collatio, & eorumdẽ multiplicatio, cum ergo Deus legatur Gen. 1. ſua opera benedixiſſe: videtur, quòd eis dederit virtutes, quibus fieret eorum multiplicatio: hoc autẽ importat ratio ſeminalis,

minalis, ergo rationes ſeminales à Deo rebus inditæ ſunt. D. Tho. 2. d. 18. a. 2. De hoc abundantiùs dictum eſt ſuprà, ſuper illud, Germinet Terra. Conc. 4.

2 ¶ *Deus non fecit in vno indiuiduo vtrunque ſexum.*] Si in vno vtrunque ſexum feciſſet, ſicut eſt in ijs, quos hermaphroditos vocant, vt putarunt quidam Iudæorum, ſuperfluè additū fuiſſet, creſcite, & multiplicamini; quia ex tali differentia ſexus multiplicatio fieri non poteſt, cùm ſit monſtruoſus, & imperfectus. Alb. 2. p. q. 64.

3 ¶ *In ſtatu Innocentiæ fuiſſet generatio.*] Dicitur Gen. 1. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, huiuſmodi autem multiplicatio abſq; noua generatione fieri non potuiſſet: cum duo tantùm fuerint primitus inſtituti: ergo in primo ſtatu generatio fuiſſet. D. Tho. 1. p. q 98. a. 1. Augu. 14. de ciuit. Dei, tres modos ponit de generatione primorū parentum. Vt vnus modus ſit illud, creſcite, & multiplicamini &c. quod videtur pertinere ad benedictionem carnaliter, ſic intelligendo ſolùm pro tempore poſt peccatum. Vnde Auguſtinus contra ſic loquētes ait, quòd illa benedictio nuptiarum, vt coniugati creſcerent, & multiplicarentur, & replerent terram, quamuis & in delinquentibus manſerit, tamen antequam delinquerent data eſt, vt cognoſcerent procreationem filiorum ad gloriam connubij, non ad pœnam pertinere peccati. Ponit ſecundùm modum, videlicet, quòd hęc benedictio: Creſcite &c. intelligenda ſit ante peccatū, ſed ſpiritualiter, non carnaliter. Nam ſpiritualiter fuit multiplicatio ante peccatum. iuxtà illud Pſal. Multiplicabis in anima mea virtutē, ſic etiā ante peccatū fuit repletio terræ, quia cū anima repleat corpus, & corpus Adę fuerit formatū de terra, & corpus Euę de coſta, quę fuit formata de terra, & vtrūq; fuerit animatū, & ex hoc repletū anima, & in vtriuſq; anima fuiſſent multiplicatæ virtutes, id eſt, dona aliqua gratuita, vel gratis data, in eis verificatum fuit, quod multiplicati ſunt, & repleuerunt terram. Quòd ſi dicatur hoc pertinere ad donum nuptiarum. Etiam & hoc pro ſic dicenti-

bus

bus facere poteſt. Nam in vno, & eodem homine poſſumus ſaluare nuptias, & coniugium. Quia ſicut coniugium carnale dicit duo in carne vna, ſic coniugium ſpirituale poteſt dicere duo in vna mente, vel in vna perſona, prout Auguſt. 12. de Trin. narrat. Ergo ſecundùm dicta iſtorũ, tria attendenda ſunt in primis parentibus ſpiritualiter. Multiplicatio ſecundùm animam, vel ſecundùm virtutes animæ. Repletio terræ ſecundùm corpus, inquantum anima primorum parentum replebat ſuum corpus. Tertium eſt coniugium quantùm ad vtrunque. Anima ergo in eis multiplicabatur per virtutes, corpus replebatur per animam, vnũ alteri, id eſt, anima corpori, ſiue carni per coniugium copulabatur. Sed iſte ſecundus modus dicendi, quòd Creſcite &c. debeat ſic ſpiritualiter intelligi, & non carnaliter, ſtare non poteſt. Quia, vt idem Auguſt. ait, licet poſſimus ibi aſſignare ſpiritualem intellectum de multiplicatione, & de alijs, tamen litteralis ſenſus eſt, quòd ibi fuerunt duæ perſonæ, maſculus, & fœmina, & quòd per eorum copulam debebat eſſe generatio. Propter quod Auguſt. ibidem ait; Et apertè de vinculo coniugali, quo vterque ſexus ſibi inuicem conſtringitur, interrogatus Dominus de vxore, & viro dixit, Non legiſtis, quia ab initio fecit Deus maſculum, & fœminam: & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna; itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro. Ergo ab initio, antequam peccarent homines, ad litteram, ſecundùm dictum Domini erat hoc intelligendum carnaliter, quòd ſi etiam non peccaſſent, fuiſſent duo vna caro, vt ſicut fuerunt ambo vna caro origine, quia caro Euę fuit de carne Adę, ità fuiſſent vna caro coniunctione, per quam coniunctionem carnalem filios generaſſent. Aegid. 2. d. 20. q. 1. a. 2.

4 ¶ *In ſtatu Innocentiæ æqualis fieret multiplicatio virorum et mulierum.*] In paradiſo, vbi ſecundùm Auguſtinũ, fuiſſet torus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, nullus continuiſſet: ſed omnes matrimonio vſi fuiſſent: vt impleretur

præ-

præceptum Domini primis hominibns datum, Creſcite &c. Sed in ſtatu Innocētiæ nullus maſculus habuiſſet plures vxores, nec aliqua mulier plures viros, nec aliquis, aut aliqua mortem ſenſiſſet: ergo ſequitur, quòd tot mares naſcerentur, quot fœminæ. D. Tho. Quolib. 3. a. 25. In ſtatu innocentiæ, ſicut quilibet comederet, ità quilibet prolem multiplicaret, cum omnibus eſſet dictum, Creſcite, & multiplicamini. Ergo quilibet haberet vxorem: ſi ergo matrimonium requirit, quòd ſint duo in carne vna, tot eſſent viri, quot mulieres, nec plures, nec pauciores. D. Bon. 2. d. 20. q. 6. Bonum moris eſt bonum virtutis, quod potiſſimè inter coniuges conſiſtit, quando vna eſt vnius tantùm, & ſunt duo in carne vna. Sed, ſi vnus ſexus ſuperaſſet alium, vt ſi maſculi ſuperaſſent fœminas, eſſet ibi malum naturæ, id eſt, ſterilitas naturæ: quia non eſſet tanta fœcunditas filiorum. Si autem fœminæ ſuperaſſent maſculos, fuiſſet ibi, vel ſterilitas naturę, & hoc fuiſſet malum naturæ, ſi aliquæ fœminæ voluiſſent continere, & virginitatem ſeruare, cùm coniugium tunc præferetur virginitati, & eſſet in pręceptum, iuxta illud creſcite &c. vel fuiſſet ibi malum moris, id eſt, virtutis, quia oportuiſſet plures fœminas vni viro fuiſſe copulatas, quod fuiſſet cõtrà bonũ moris. Aegid. 2. d. 20. q. 2. a. 1.

5 ¶ *Matrimonium fuit à Deo inſtitutum.*] Gen. 1. dixit Deus, Creſcite, & multiplicamini, ſed illud crementum erat per vſum actus matrimonialis: ergo matrimonium fuit à Deo inſtitutum. D. Bon. 4. d. 26. q. 2. Non tamen tenet matrimonium inſtitutum per pręditcta verba. De quo in ſequenti concluſione.

6 ¶ *Prædicto verbo fuit matrimonium inſtitutum, et præceptum.*] Et ſi certum ſit, matrimonium inſtitutum fuiſſe in officium in ſtatu innocentiæ ante peccatum, & poſt lapſum hominis etiam illicò in remedium: attamen nondum ſatis inter ſcholaſticos conſtat, vtrùm à Deo immediatè, & quibus verbis fuerit inſtitutum. Magiſter quippe ſententiarum cit. diſt. inſinuare videtur illic fuiſſe inſtitutum, dum dixit

Adam,

Adã; hoc nunc os ex oſſibus, & caro de carnè mea; Quã-obrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhęrebit vxori ſuæ. Quem modùm ſequi videtur Scotus, dicens, quòd indiſſolubilem obligationẽ inſtituit Deus per illa verba Adæ. Propter hanc relinquet homo patrẽ, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. At Bonauent. ſuſtinet inſtitutum fuiſſe per inſtinctum internum ipſius Dei inſtigantis Adam, vt illa verba proferret. Ric. autem ead. diſt. a. 1. q. 3. ait, quòd facto inſtituit illud, cùm Euam ex coſta Adę produxit, ſed verbo, cum benedixit, dicens, Creſcite &c. D. Tho. ead. diſt. q. 1. a. 2. & quæſt. 2. a. 2. & communis opinio, quæ etiam eſt Magiſtri, ſi ſanè inſpiciatur, aiunt illo verbo Gen. 1. Creſcite &c. fuiſſe à Deo tùm inſtitutum, tùm etiam prę ceptum. Nam, & si poſt modum cap. 2. modus referatur eductionis Euæ de coſta viri, id tamen per recapitulationẽ (vt aiunt) fit nã quando dixit Creſcite &c. iam ambo erant producti. Probatur ità eſſe. Matrimonium ità eſt ad procreandum prolem neceſſarium, vt ad conſeruationem indiuidui alimenta, niſi quòd magis eſt vnicuique neceſſaria conſeruatio ſui indiuidui, quàm conſeruatio ſpeciei: ergo ſicut præceptum naturale eſt, vt homo ad ſuam ipſius conſeruationem alimentum ſumat, ità eſt illi pręceptum conſeruandæ ſpeciei: illud autem non alibi expreſſiùs habetur, quàm in illis verbis, Creſcite &c. Inſtitutione autẽ nulla alia opus erat, quàm ipſa pręceptione: ſic enim euchareſtiam inſtituit, Hoc facite in meam commemorationem, ergo illic fuit ſimul tum inſtitutum, tum etiam iuſſum. Præterea, cùm matrimonium non fuerit inſtitutum, niſi propter finem propagandæ ſpeciei; & illic illum finẽ Deus expreſſerit: illic certè Sacramentum tum inſtituit, tum ſimul pręcepit. Ob idq́; ſub forma benedictionis eandem inſtitutionem, & pręceptionem expreſſit: nam Deum nobis benedicere, benefacere eſt: quare quæcunque rerũ procreatio benedictio Dei cenſetur. Eſt præterea doctrina hæc Auguſtini 14. de Ciuit. Dei c. 22. vbi ait, Nos nullo modo dubitamus ſecundùm bene-

dictionem, Creſcite &c. donum eſſe, hoc eſt, inſtitutionem nuptiarum, quas Deus ante peccatũ hominis ab initio conſtituit, creando maſculum, & fœminam. Non quòd creatio illa fuerit inſtitutio Sacramenti, vt Ricardus cenſet, ſed quòd fuerint creati vt connubio copularentur. Et ſubdit. Adam autem Deo inſtigante inſtitutionem matrimonij ſpecificauit, & explicuit. Non quòd illa inſtigatio fuerit inſtitutio, vt Bonau. intellexit, ſed quod inſtigauit, vt inſtitutionem Dei explicaret, dicens. Hoc nunc os &c. Non enim opus habebat Deus inſtitutionem per verba Adæ facere. Sanè cùm longe eſſet decentius, vt ſuis ipſe verbis illud inſtitueret. Sed illis verbis Adam explicuit inſtitutionem, quam Deus facturus erat dicens, Creſcite &c. apparet enim quòd verba Adę anteceſſerint verbis Dei. Dominic. Sot. 4. d. 26. q. 1. a. 2.

7 ¶ *Præceptum illud ſemper ab orbe condito durat, durabitq; vſque in finem, ſub eodem tenore, & vigore.*] Verbum illud Gen. 1. Creſcite, & multiplicamini, formam præ ſe fert præcepti, quod nullibi legitur reuocatum, imò per Chriſtum, Matth. 19. apparet confirmatum; vbi ait; Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: ergo etiam nunc perſeuerat. Rurſum, præcepta naturæ irreuocabilia ſunt, quandiu ratio eadem iuris permanet: perſiſtit autem eadem ratio multiplicandæ ſpeciei, ſicut conſeruandi indiuidui: ergo, ſicut præceptum naturale alimenti ad conſeruandum indiuiduũ permanet, ità, & mandatum coniugij ad propagandam ſpeciem. Deinde, quia hoc eſt præceptum iuris naturæ ad propagandam ſpeciem: poſſet autem nunc etiam neceſſitas generationis accidere, ergo ſemper manet præceptum. Nam non eſt dicendum, quòd, quando ingrueret neceſsitas, tunc præceptum exurgeret, & quando illa ceſſaret, tunc præceptum ſopiretur. Enimuerò præceptum ſuccurrendi per eleemoſinam extrema patienti, non exurgit tunc nouum, quando illa neceſſitas occurrit, ſed ſemper manet tanquam præceptũ affirmatiuum, cuius natura eſt, vt obliget ſemper, ſed non

pro

pro ſemper. Ad huius autem maiorem explicationem notandum, præceptorum vim ex eorum fine eſſe perpendendã. Neceſſitas autem naturalis dupliciter homines inclinat, vno modo ad finem cuiuſq; particularem, vt conſeruatio indiuidui, & huiuſmodi neceſsitas obligat ſingulos ad ſumendum cibum, non ſemper, ſed quando, & vbi oportet: alia verò eſt neceſſitas non ſingulis, ſed toti reipub. incumbens, & hæc non obligat ſingulos, ſed rempub. in cõmuni, atq; ideò principes, qui eius ſunt adminiſtratores; vt neceſsitas agriculturæ, ædificatoriæ, atq; aliarum artium; non enim ſinguli tenentur eſſe agricultores, aut ædificatores, aut milites, &c. Sed vnuſquiſque ſuapte ſponte vnamquanque ſequitur artẽ. Sed ſi fortè contingeret, vt aliqua earum artium eſſet artificibus deſtituta, tunc princeps poſſet compellere eos, qui eſſent neceſſarij: pari ergo modo lex matrimonij nõ ſingulos, ſed collectim rempub. obligat. Vnde in initio conditi orbis, quia Adam erat tota reſpub. illi poſita eſt lex, qua quidem filios ſuos cogere etiam poterat, vt connubia inter ſe conciliarent, quouſque iuſta eſſet generis facta propagatio. Et pari lege, Noe ſuos filios, & nepotes potuit compellere. Quando verò illa neceſſitas nõ ingruit, prouidentia Dei, naturæq; inſtinctus, & voluptas ſufficit, vt non deſint, qui abſq; coactione rei vxoriæ operam impendant. Hinc colligitur præceptum matrimonij, licet ſemper duret in repub. nullatenus conſilio caſtitatis eſſe aduerſum. Dominic. Sot. eod. loco.

8 ¶ *Homines quandoque tenebantur de neceſſitate ſalutis contrahere matrimoniũ, at modernis temporibus, rebus ſtatibus prout ſtant, nullus tenetur.*]Quilibet de neceſſitate ſalutis, quãtũ in ſe eſt, tenetur obſeruare illud, quod Deus ſibi pręcipit: ſed Deus pręcepit primis hominibus, vt creſcerẽt, & multiplicarẽtur, dicẽs, Creſcite, &c. Et eodẽ modo præcepit Noe, & filijs Gen. 9. Ergo ſaltẽ Deus implicitè pcepit hominibus illorũ tẽporum contrahere matrimoniũ, quia nõ poterant ordinatè creſcere, niſi præuio matrimonio: nã crementũ hominum ſine matrimonio eſſet fornicarium, & per conſequens

in or-

inordinatum. Quòd autem modernis temporibus, &c. conſtat, quoniam ſicut de ſubuentione parentum habemus præceptum affirmatiuum, & nihilominus eo tempore, quo pater non indiget, filius non tenetur de facto patri ſubuenire: ſic quamuis de hominum multiplicatione, & per conſequẽs de contrahendo matrimonio Deus dederit præceptum affirmatiuum, tamen quia pro nunc tot homines ſunt, qui voluntariè matrimonium contrahunt, quòd mundus quaſi repletus eſt hominibus: ideo, qui volunt abſtinere, pro nunc nõ tenentur contrahere. Dico autem notanter, rebus ſe habentibus, vt nunc, quia poſſet contingere tanta mortalitas hominum, quòd illi pauci, qui viui manerent, propter conſeruationem humanæ ſpeciei, vel propter aliquam aliam imminentem neceſſitatem, tenerentur contrahere matrimonium, ſuppoſito quòd eſſent perſonę legitimæ ad contrahendũ. Si autem haberent impedimentum abſolubile per diſpenſationem Sedis Apoſtolicæ, tunc Sedes Apoſtolica huiuſmodi neceſſitate imminente, cùm talibus hominibus deberet diſpẽſare. Tho. Argent. cit. d. 26. a. 3. At Dur. cit. diſt. q. 2. poſtquam probauit matrimonium cadere ſub præcepto, & quòd illud pręceptum adhuc durat, & quòd ijs non obſtantibus licitũ eſt virginitatem, vel continentiam vouere, & ſeruare, ſubdit, ſed ponatur, quòd nullus ſecularium velit contrahere, aut, quòd omnes eſſent mortui exceptis religioſis, qui continentiam vouerunt, nunquid tunc religioſi nubere tenerentur: Poſſet dici, quòd ſic, cum votum, quod eſt voluntatis, 8
non poſsit præiudicare præcepto, quod eſt neceſsitatis. Vel poteſt dici, quòd cùm inclinatio naturalis ſit magis ad matrimonium, quàm ad continendum, quam inclinationẽ Deus naturæ indidit ad complendum numerum electorum, ſi hæc inclinatio in hominibus viuentibus deficeret, vel omnes homines præter religioſos morerentur, poſſet credi probabiliter, quòd completus eſſet numerus electorum, & quòd vltrà nullus obligaretur ad matrimonium. Hæc ille. Cæterum Dominic. Sot. loco ſuperùs cit. dicit, quauis de cauſſa periculum

culum immineret, ne genus humanum deperiret, eos, qui ſe voto caſtitatis obſtrinxere, ad matrimonium teneri, & cogi poſſe. Votum nanque ſemper includit conditionem illam: niſi ius naturę conſeruandi humanum genus obſtet, & quando ſit ceſſatio mundi futura, nō eſt in cognitione humana poſitum: horam quippe illam nemo ſcit, neque filius hominis.

9 ¶ *Actus coniugij poteſt exerceri ſine omni peccato.*] Deus nunquam præcepit aliquid, quòd debitis adhibitis circunſtantijs homo non poſſet implere ſine peccato, nam quando aliquis præcipit, quod ſine peccato impleri non poteſt, tunc peccatum iuſtè retorquetur in ipſum præcipientem, vnde cuilibet tali præceptori ait prophæta; Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto, ſed nullum peccatum iuſtè retorquetur in Deū. At Deus quandoq; præcepit hominibus carnaliter copulari, & iſte actus debitè circunſtationatur per ſacramentum, ſeu indiſſolubilitatem, per fidem, & prolis intentionem: ergo ijs aſſiſtentibus homo poteſt perficere actū carnalis copulæ abſq; omni peccato. Quod enim quandoq; præceperit Deus hominibus carnaliter copulari, patet Gen. 1. & 9. Creſcite &c. quicunque autem præcipit antecedens, ille præcipit neceſſarium conſequens, ſine quo non poteſt poni in eſſe huiuſmodi antecedens, at impoſſibile eſt via naturę homines creſcere, & multiplicari ſine actu carnalis copulæ. Argent. d. 31. a. 2.

10 ¶ *Actus coniugalis poteſt eſſe apud Deum meritorius gratiæ.*] Exercere actum illum, illo modo, & illo fine, quo directè cadit ſub pręcepto Dei, meritorium eſt, ſed actus matrimonialis directè cadit ſub pręcepto diuino, vt ordinatur ad bonum prolis. Gen. 1. & 9. vbi ponitur iſtud pręceptū, ſemper dicitur, Creſcite &c. Ergo actus coniugalis poteſt eſſe meritorius. Ioa. de tur. Crem. 32. q. 2. Can. Quicquid. Rurſum, eſt actus obedientię, iuxta illud Gen. 1. Creſcite &c. ergo ſi non alia vitietur praua circunſtantia, & fiat extrà charitatem, erit moraliter bonus, ſicut vbi, & quando

oportet comedere ad conſeruandam vitam, & ſi fiat ex charitate, erit ſimpliciter virtus, atque adeò apud Deum gratus, & meritorius. Immo verò non ſolum eſt obedientiæ officium, ſed etiam iuſtitiæ, ſi fiat ad reddendum coniugi debitum, iuxtà verbum Pauli, Vxori vir debitum reddat. Et inſuper eſſe poteſt virtus religionis, ſi fiat ad procreandos liberos in cultum Dei. Neque verò oportet, vt actu coniuges iſtos fines, dum congrediuntur, meditentur, ſed ſatis eſt virtualis relatio, vt potè, ſi nullam ſupponant malā circunſtantiam. Nam actus ipſe de ſe refertur in bonum honeſtum, vt ſit moraliter bonus, & ſi fiat ex caritate, vt ſit meritorius. Quòd ſi quis inde inferre contendat, conſulendū eſſe, vt crebrò coniuges amplexus illos frequentent, quandoquidem ſunt meritorij; negatur conſequentia: nam ità ſunt bona officia, vt tamen non ſint optima. Stat enim bonum eſſe aliquando comedere, & ſanctiùs abſtinere. Eodem modo dicit Paulus, quòd licet bonum ſit, vt non ſe defraudent, nihilominus melius eſt, vt communi conſenſu aliquando abſtineant, orationis gratia. Et eadem ratione propter alios honeſtos fines. Præterquā, quòd ad probitatem moralis actus oportet, vt ſuis ſit appendicibus, & circunſtantijs circunſeptus: & vna circunſtantiarum eſt quantitas, & modus; & ideo ſi frequentia modum exuperet, vt conſeruationi indiuidui noceat, virtutis lineam tranſgreditur. Dominic. Sot. cit. d. 26. a. 3.

31 ¶ *Matrimonium nunquam ſit abſq; benedictione.*] Licet perfectum matrimonium quandoq; poſſit fieri abſq; benedictione hominis, tamen nunquā fit abſq; benedictione Dei, quia dicitur de primis hominibus matrimonium contrahentibus, Benedixit eis Deus, dicens. Creſcite, & multiplicamini, à qua benedictione nullum legitimum matrimonium videtur eſſe excluſum. Tho. Argent. 4. d. 26. a. 1.

32 ¶ *Copula matrimonialis fuit ſub præcepto poſt peccatum.*] Sicut primis parentibus ante peccatum dictum eſt, Creſcite &c. ità hoc idem dictum eſt Noe, & filijs eius poſt diluuiū, vt

vt habetur Gen. 9. Item, magis fuit neceſſarium matrimonium poſt peccatum quàm ante, quia ante peccatũ non fuit niſi in officium, poſt peccatum verò, & in officium, & in remedium: ergo cum fuerit in pręcepto ante peccatum: multò fortiùs poſt peccatum. Ric. cit. d. 26. a. 3. q. 2. Subdit, matrimonium poſt peccatum fuit in officium, & in remedium. Quò ad primum, fuit in præcepto etiã poſt peccatum, quouſque facta fuit ſufficiens multiplicatio hominum ad cultum diuinum: & quòd tot fuerunt vacantes illi operi, quòd melius erat aliquos manere in caſtitate virginali, vel viduali, quàm omnes copulę matrimoniali intendere. Quo ad ſecundùm autem, nunquam fuit in præcepto: quia morbum carnalis coucupiſcentię efficatiùs poſſunt homines temperare per exercitium meditationum, & affectionum ſpiritualium, & deguſtationum cæleſtium; & macerationum corporum: quàm per matrimonialem concubitum. Sicut enim dicit Ber. in Epiſtola ad proprios parentes. Guſtato ſpiritu, neceſſe eſt deſipere carnem: affectanti cæleſtia, terrena non ſapiunt; æternis inhianti: faſtidio ſunt tranſitoria. Hæc ille. Sed quando cœperit eſſe in remedium lis eſt. Etenim aliqui ſuſpicari poſſent, non fuiſſe poſitum in remedium vſque poſt diluuium, quando eadem verba Gen. 9. Deus repetijt, Creſcite &c. Quibus obuiat, quòd remedium illico debet occurrere, dum morbus illo opus habet. Quare dum Adam primò genuit, iam vſus eſt matrimonio in remedium, quia ante peccauerat. Quo circa diſt. cit. Scotus, & Ricardus. a. 1. q. 3. aiunt, inſtitutum fuiſſe in remedium, cùm Deus dixit Euæ; In dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris. Et viro; Quia audiſti vocem vxoris tuæ &c. Attamen verba illa nullam videntur præferre imaginem inſtituendi matrimonij, ſed maledicendi eius conceptus, & partus. Dicendum ergo, illud ipſum præceptum anteà, natura integra, fuiſſe poſitum, vt cuicunq; ſtatui pro eius ratione ſeruiret: ſcilicet, ante peccatum, vbi nulla erat concupiſcentia, in officium, & poſt etiam in remedium.

Hinc ſit conſequens, poſt diluuium non eſſe poſitum aliud præceptum, quàm prius, ſed illud repetitum, & confirmatum per modum etiam benedictionis, propter neceſſitaté, quæ tunc ingruebat, ſicut prius, procreandi humanũ genus, quod aquis fuerat ſubmerſum. Dominic. Sot. cit. d. 26. a. 2.

13 ¶ *Seruitus non adimit ſeruis ius matrimonia contrahẽdi.*]
De hac ſequenti textu, in ſolutione quarti.

AD ARGVMENTA.

Ad 1. FVISSET equidem & tunc in coeundo delectatio, ſed non quanta nunc, quia nec immoderatę vt hic, ſed ordinatè ibi coiſſent. Etenim, ſicut equus laſciuus rupto freno velocius currit, & impetuoſius, quàm cum infrenatur, & detinetur à ſuo ſeſſore, licet non habeat maiorem virtutem: ſic & in propoſito intelligendum eſt ſe habere. Verumquidem eſt, quòd duplex eſt delectatio: carnalis, & ſpiritualis: maior autem eſt delectatio Spiritus in operibus virtutis, ſiue quæ fiunt motu virtutis, quàm in operibus peccati, ſiue quæ fiunt motu peccati. Et ſic bene poteſt concedi, quòd maior fuiſſet delectatio ſpiritus in coniũctione maris, & fœminæ in ſtatu primo, quàm in ſtatu moderno. Et hoc concludit argumentum. Alex. Quidam tamen opinantur, quòd in ſtatu Innocentiæ fuiſſet in actu carnalis copulę tanta delectatio, vel maior, ſicut modo. Ric. 2. d. 20. q. 3. ſoluit ad vtramque partem.

Ad 2. Alij ſentiunt, quòd plures genuiſſent filios, quàm filias, vltimò enim generati fuiſſent maſculi, neque aliqua mulier generaretur ab vltimis parentibus, ſed viri ſolummodo, vel ſaltem plures viri. Cùm autem dicitur, natura ſic proceſſiſſet in generando, quemadmodum eam Deus inſtituit. Dicendum, quòd hoc verum eſt ex parte generantium, non ex parte generatorum, ſicut enim Deus inſtituit æquales diuerſi ſexus ad multiplicandum conſimiles in ſpecie, ſimiliter proceſſiſſet natura in generando ęquales diuerſi ſexus, quoad vſque ſufficerent ad multiplicandum numerum electorum.

ctorum. Vnde natura proceſſiſſet in generando æquales diuerſi ſexus vſque ad vltimos generantes (vſque dico incluſiuè) ad illos tantùm ſpectabat illud præceptum; Creſcite &c. Rurſum (cùm dicitur) in illo ſtatu, ſicut quilibet comederet, ità quilibet generaret, falſum eſt: non enim intenderet quilibet ſaluari in alio, ſicut in ſe; cùm neceſſariũ eſſet, ſecundùm diuinam prouidentiam, & diſpoſitionẽ generationem ſtare: non enim generatio illius ſtatus proceſſiſſet in infinitum. Alex.

Ad 3 Non eſt ſimile de perfectione corporis quantùm ad ſtaturam, & de perfectione animæ quantùm ad ſcientiã, quia enim anima, ad ſimilitudinem totius ſapientiæ facta, omniũ in ſe ſimilitudinem gerit, vt dicit Auguſtinus de anima, & ſpiritu, nunquam peruenit ad ſtatum cognoſcendi, quantũ eſt de ſua natura, antequam omnia videat in eo, quẽ videndo, omnia videt. Alex. Sed mirabile videtur, & præinductis contrarium, quòd idem Alex. ead. q. 89. m. 3. habet. Ità enim arguit. Vis generatiua in paruulis, quantùm ad vſum, fuiſſet dilata tunc, id eſt, in ſtatu Innocentiæ, ſicut & nunc: nec eſſet impotentię tunc non poſſe generare antè tempus præfinitum à natura; ſicut nec nunc. Similiter videtur de vi motiua in alijs, & alijs membris. Tenens autem, quòd ſi primi parentes genuiſſent filios in ſtatu Innocentię; ſicut quorundam animalium fœtus, ſtatim cùm nati fuerint, habent vſus, & officia membrorum: & illi ſimiliter habuiſſent: vnde ſtatim gradi poſſent, & matres ſequi, & iuxtà congruẽtiam opportunitatis illius ſtatus aliqua officia membrorum exercere, reſpondet, quòd non eſt ſimile: virtus enim generatiua habet à natura determinatum tempus; & ſtatum exitus ſui in eſſe: quia antequam homo ſit perfectus ætate conuenienti, & virtute ſufficienti, non poteſt exire in actum generatiuæ. Vnde actus iſte non eſt niſi hominis perfecti. Vnde Philoſophus, vnumquodq; perfectum eſt, cùm attingit propriæ virtuti. Secundum autem philoſophum tunc dicitur aliquid attingere propriæ virtuti; quando producit in

eſſe tale, quale ipſum eſt. Et hoc inſinuatum eſt Gen. 1. cùm dicitur. Creſcite, & multiplicamini. Creſcere enim in vir tute, & ſtatura oportet primò: & poſt multiplicare ſibi con ſimile. Hæc ille. Quod minimè de Adam, & Eua verificari poteſt, ſed de eorum filijs ſolùm.

ad 4 Cùm ſi dicitur, ante inſtitutionẽ matrimonij dictũ eſt, Cre ſcite, &c. Reſpondetur dupliciter, quia, aut illud dictum eſt per anticipationem, vt determinaretur inſtitutio perfecta hu mani generis, & tunc nulla eſt obiectio. Aut diſtinguendum eſt, quod eſt inſtitutio matrimonij quantum ad rem, quæ determinatur, cùm dicitur. Maſculum, & fœminam creauit eos, & ſequitur, Creſcite, &c. Et quantùm ad ſacra mentum, cùm dictum eſt, Hoc nunc os ex oſſibus meis. Et quod præceptum eſt ante inſtitutionem matrimonij, Creſci te, &c. dictũ eſt, non quòd ante inſtitutionem fieret, ſed poſt. Rurſum, cùm obijcitur, fornicator facit ſecundùm illud pręceptum Dei. Creſcite, &c. dicendum, quòd ante multiplica tionem humani generis fuit pręceptum, non quibuſcunque, ſed coniugibus, vt Adam, & Euæ, qui fuerunt coniuncti per matrimonium, ſtatim poſt formationem Euæ de latere vi ri: vnde ſtatim dixit Adam: Hoc nunc os, &c. propter hoc relinquet homo patrem, & matrẽ, & adhærebit vxori ſuæ. Et Gen. 9. Noe, & filijs cum vxoribus ſuis. Poſt multiplicationem verò humani generis, & perfectionem in Incarna tione Chriſti non eſt pręceptũ, ſed indulgentia, 1. Cho. 6. Re uertimini in idipſum, & ſequitur. Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium. Alex. Recogita ſupradicta.

ad 5 Non prætulit Auguſtinus cælibatum Ioannis connubio Abrahę, quantùm ad vtilitatis æqualitatem in propagatione fidelium, quia tempus Abrahę non erat tempus reuelatæ gratiæ: & tunc propagatio religionis non fiebat, niſi cũ pro pagatione ſeminis: vt dicit Amb. quando, ſcilicet, nemo tenebatur ad religionis obſeruantiam, niſi qui fuit in domo Patriarchæ, & ideo vtile fuit tunc ſemen propagare; vt cum

ſemine

ſemine propagaretur religio: & hoc fiebat per nuptias. Tẽpus autem cælibatus Ioannis, fuit tempus reuelatæ gratiæ, quãdo,ſcilicet, per ſpirituale ſemen, id eſt, verbi Dei fiebat propagatio melius,quàm per carnalẽ copulam. Vnde quãtùm ad hoc æqualia ſunt: quia vtrunque ſuo tempore prôficiebat ad vtilitatem, & propagationem religionis. In ſtatu autem dignitatis inæqualia ſunt, & ideo Hiero.libro contrà Iouinianum inducit rationes Teophraſti philoſophi in libro, qui dicitur Aceolus, quibus probat,quòd philoſopho nõ eſt ducenda vxor: vt perſuadeat ſanctis virginibus propoſitum tenere, & nuptias non concupiſcére: eò quia magnum impedimentũ ſunt in ſpiritualibus.Alb.Sed dices. Non loquitur Alb. ad mentem Auguſtini, cuius verba ſunt; Non impar meritum eſt continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generauit. Ex quibus videtur colligi, quod virginitas Ioannis, & caſtitas coniugalis Abrahæ ſint æqualis dignitatis. Reſpondetur, meritum non ſolùm penſari ex genere actus, ſed magis ex animo operantis. Habuit autem animum Abrahã ſic diſpoſitum, vt paratus eſſet virginitatem ſeruare, ſi eſſet tẽpori congruũ: ex quò meritum continentię coniugalis in ipſo æquatur merito continentiæ virginitatis in Ioanne reſpectu præmij ſubſtantialis, non autem reſpectu præmij accidentalis. Vnde Auguſtinus dicit in libro, de bono Coniugali, quòd Ioannis cœlibatus, & Abrahæ connubium pro temporum diſtributione Chriſto militauerunt, ſed continentjam Ioannes in opere, Abraham vero in ſolo habitu habebat. Et licet virginitas ſit melior, quàm continentia coniugalis; poteſt tamen coniugatus melior eſſe, quàm virgo duplici ratione. Primò quidem ex parte caſtitatis, ſi,ſcilicet,ille,qui eſt coniugatus, habeat animum magis paratum ad virginitatem ſeruandam, ſi oporteret, quàm ille, qui eſt actu virgo. Vnde Auguſtinus inſtruit virginem in libro de bono coniugali, vt dicat, Ego non ſum melior, quàm Abraham: ſed melior eſt caſtitas cælibum, quàm caſtitas nuptiarum. Et rationem

poſteà ſubdit dicens. Quod enim nunc ego, melius ille egiſſet, ſi tunc agendum eſſet: quod autem illi egerunt, ſic ego non agerem, etiam ſi nunc agendum eſſet. Secundò, quia fortè ille, qui non eſt virgo, habet aliquam excellentiorem virtutem. Vnde Auguſtinus dicit in libro de virginitate. Vnde ſcit virgo, quamuis ſollicita, quę ſunt Domini, ne fortè propter aliquam ſibi incognitam infirmitatem non ſit matura martyrio: illa verò mulier, cui ſe præferre geſtiebat, iam poſſit bibere calicem Dominicæ paſſionis. D. Tho. 22. q. 152. a. 4. in ſolut. 1. & 2.

Ad 6 Coniugatorum non eſt deſtruere bonum effectum à matrimonio, cùm igitur Deut. 21. præcipiatur parentibus facere lapidari filium contumacem; ſequitur, quòd filius contumax non fuit bonum matrimonij; & idcirco oportet, quòd tantum bonum matrimonij ſit filius ſtans ſub bonitate religionis: etenim nunquã voluit Deus iniquorũ multiplicationem, ſed ſimul religionis propagationem, & multiplicationem: & ideo præcepit, vt creſcerent. Alb. Efficiuntur clariora ex obſeruatis à Doct. ſubt. eod. d. 26. vbi habet, hominem velle procreare prolem in ſpecie humana eſt actus rectè circunſtãtionabilis, & poſteà, prima circunſtantia, requiſita ad bonitatem moris iſtius actus, eſt circunſtantia finis: ſicut vniuerſaliter eſt in moralibus, & eſt iſta, Velle procreare prolem religioſè educandam ad ampliandum cultum diuinum. Cõfirmat auctoritate Auguſtini 9 ſuper Gen. Bonũ prolis (inquit) non dicitur ipſa proles: ſed ſpes, & deſideriũ, quo proles quęritur, vt religioſè educatur, vel informetur. Hæc ille.

Ad 7 Matrimonium fuit in pręcepto diuino, & in tali caſu adhuc poſſet licentia dari nubendi, quia in tali caſu eſſet votũ irrationabile promiſſum, non enim poteſt quis vouere quod eſt contrà præceptum diuinum, ſed ab homine hoc fieri non poteſt. Alb. Credidit Albertus, Neminem poſſe in voto cõtinentię diſpenſare, quoniam votum continentiæ non poteſt prætermitti ſine hoc, quod ad contrarium voti aliquis

delaba-

delabatur, quod nunquã licet. D. Tho. eadẽ diſt. a. 4. in corp. ſuſtinet oppoſitum, nec ratio Alberti valet, alioquin votum de abſtinendo aliqua die determinata à carnibus non reciperet diſpenſationem, aut votum de peregrinatione, quod eſt abſurdum. De hoc ſermo redibit ſuper illud, Eccl. 26. Nõ eſt digna ponderatio animæ continentis.

ad 8 Præceptum habet rationem debiti. Dupliciter autem aliquid eſt debitũ. Vno modo, vt impleatur ab vno, & hoc debitum ſine peccato præteriri non poteſt. Aliud autem eſt debitum implendum à multitudine. Multa enim ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ implenda vnus nõ ſufficit, ſed implentur à multitudine, dum vnus hoc, alius illud facit. Præceptum igitur legis naturę homini datum de comeſtione, neceſſe eſt, quòd ab vnoquoq; impleatur. Aliter enim indiuiduum conſeruari non poſſet. Sed præceptum datum de generatione reſpicit totam multitudinem hominum, cui neceſſarium eſt, non ſolùm, quòd multiplicetur corporaliter, ſed etiam quòd ſpiritualiter proficiat. Et ideo ſufficienter prouidetur humanę multitudini, ſi quidam carnali generationi operam dent: quidam verò, ab hac abſtinentes, contẽplationi diuinorũ vacent, ad totius humani generis pulchritudinem, & ſalutem. Sicut etiam in exercitu quidã caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladijs decertant, quę tamen omnia debita ſunt multitudini, ſed per vnũ impleri non poſſunt. D. Tho.

ad 9 Matrimonium ante peccatum inſtitutũ fuit à Deo in hoc, quòd homini mulierem in adiutorium de coſta formauit: & dixit eis, Creſcite &c. quod quamuis alijs animalibus dixit, non tamen per ea eodem modo implendum, ſicut per homines. Adam autem verba illa protulit à Deo inſpiratus, vt intelligeretur matrimonij inſtitutionem à Deo factam. D. Thom.

ad 10 Medium virtutis accipitur ſecundùm proportionem circunſtantiarum ad rationem rectam, & quia tempus eſt vna de circunſtantijs, non eſt inconueniens aliquid eſſe illicitum

vno tempore, quod eſt licitum, vel virtuoſum, ſi alio tempo re fiat: & ideò ſi in tempore, quo Deus ob multiplicationem generis humani, vel cultus diuini homines operi coniugali inſiſtere volebat; aliquis proprio motu incorruptionem ſeruaſſet, fuiſſet in extremo diminutionis, quia abſtinuiſſet à delectabili omni, quando non debuiſſet. Sed poſteà facta multiplicatione humani generis, vel colentium Deum ſufficienti, non peccaſſet virginitatem ſeruans, etiam in lege Moyſi, vel in ſtatu naturæ integræ, ſi homo non peccaſſet, nec feciſſet contrà pręceptum: quia multiplicatio poterat fieri per alios: ſed ſuprà præceptũ. D. Tho. Alex. quoq; 2. p. q. 143. m. 8. quærit, cùm fuit datum pręceptum hoc, Creſcite &c. Gen. 1. in ſtatu naturæ conditæ, & Gen. 9. in ſtatu naturæ corruptæ, eſſet tunc peccatum in virginitate permanere, & trãſgreſſio præcepti? Reſpondet, quòd non, ſed eſſet eleuatio vltrà præceptum: ſi enim iſte contineret, per alium fieret multiplicatio, vel poſſet fieri. Et etiam eſſet eleuatio per huiuſmodi continentiam vltrà eum, cui fit pręceptum: præceptum enim ratione infirmitatis fit, ad minus in ſtatu naturæ corruptæ. Hęc ille.

ad 11 Virginitati non debetur aureola, niſi inquantùm addit quandam excellentiam ſuper alios continentiæ gradus. Si autem Adam non peccaſſet, virginitas nullam perfectionem addidiſſet ſuprà continentiam coniugalem: quia fuiſſent tunc nuptiæ honorabiles, & torus immaculatus: nulla concupiſcentiæ fœditate exiſtente. Vnde virginitas tunc ſeruata non fuiſſet: nec ei tunc aureola deberetur. Sed mutata humanæ naturæ conditione, virginitas ſpecialem decorem habet, & ideo spęciale præmiũ ei redditur. Etiam tempore legis Moyſi, quando cultus Dei etiam per carnalẽ actũ propagandus erat, non erat omnino laudabile à cõmiſtione carnis abſtinere. Vnde nec tali ꝓpoſito ſpeciale præmiũ redderetur, niſi ex diuino proceſſiſſet inſtinctu: vt creditur de

ad Hieremia, & de Helia: quorũ coniugia non leguntur. D. Tho

12 Patet reſponſio per ea, quæ dicta ſunt. Præceptũ enim illud

illud reſpicit inclinationem naturalem, quæ eſt in hominibus ad conſeruandam ſpeciẽ per actum generationis, quod tamen non eſt neceſſariũ per omnes exequi, ſed per aliquos. Sicut autem non expedit cuilibet omni tempore actui generationis vacare, ità & ab eo omni tempore abſtinere, maximè quando erat neceſſaria multiplicatio generationis, vel propter hominum paucitatem, ſicut in principio, quando humanum genus cœpit multiplicari; ſiue propter paucitatem fidelis populi, quando oportebat ipſum per carnalẽ generationem multiplicari, vt fuit in veteri teſtamento. Et ideo conſilium de continentia perpetua obſeruanda reſeruatum eſt temporibus noui teſtamenti, quando ſpiritualis populus per ſpiritualem generationem multiplicatur. D. Tho. Alb. verò 4.d.26.a.10. inquit, Omne, quod pręcipitur aliqua de cauſſa, videtur, quòd non obliget cauſſa illa non exiſtente, ſed cùm dicitur, Creſcite & multiplicamini. ſi ſit incrementum, & multitudo, non habet cauſſam, & rationem pręceptum, ergo videtur, quod tunc non obliget: Et ſubdit, quòd fuit præceptum affirmatiuum ex cauſſa determinata factum: & omnem hominem obligat quando eſt eadẽ cauſſa; multitudine autẽ exiſtente non obligat. Hęc ille.

Ad 13 Efficaciam nullam habet, Adam enim perfectionẽ quandam habuit perſonalem, nondum tamen erat natura humana totaliter perfecta nondum multiplicato humano genere. Inſtitutus ergo fuit Adam in tali perfectione, quæ competebat principio totius humani generis: & ideo oportuit, quòd generaret ad multiplicationẽ humani generis, & per conſequens, quòd cibis vteretur. Sed in perfectione reſurgentium erit natura humana totaliter ad ſuã perfectionem perueniens, numero electorum iam completo, & ideo generatio locum non habebit, nec alimentorum vſus. Propter quod, & alia erit immortalitas, & incorruptio reſurgentiũ: & alia, quæ fuit in Adam. Reſurgentes enim ſic immortales erunt, & incorruptibiles, vt mori non poſſint, nec ex eorum corporibus aliquid reſolui. Adam autem ſic fuit im-

mor-

mortalis, vt poſſet non mori, ſi non peccaret, & poſſet mori, ſi peccaret. Et eius immortalitas ſic conſeruari poterat, non quòd nihil reſolueretur ab eius corpore: ſed, vt contrà reſolutionem humidi naturalis ei ſubueniri poſſet per ciborum aſſumptionem, ne ad corruptionem corpus eius perueniret. D. Tho.

ad Illud mandatum datum fuit viro, & mulieri in ſtatu In-
14 nocentiæ; ſed cùm eſſet mandatum affirmatiuum non obligabat ad ſemper, ſed pro loco, & tempore. Determinatio autem temporis dependebat ex reuelatione diuinæ voluntatis, quam quia Deus nondum eis reuelauerat: ideo dicit Magiſter, quod nondum iuſſerat. Ad illud, quod quæritur, vtrùm illud mandatum fuerit reuocatum. Dicendũ, quòd aliter obligabat tempore naturæ inſtitutę, aliter nunc; Tunc enim omnes obligabat, quia omnibus erat in officium: nunc autem non obligat omnes pro eo quòd ſunt multi, qui ſufficiunt illud implere, alijs conſilium virginitatis ſeruantibus. Hoc autem conſilium competit ſtatui naturæ lapſę: non autem naturæ conſtitutæ, quia tunc, cùm nulla eſſet pronitas, non eſſet maior virtus continere, quàm nubere, & omnes ad cultum Dei generarent: nunc autem, propter difficultatem, & arduitatem, omnino continere magnæ virtutis eſt, & dignitatis. D. Bon.

ad Illud verbum homini fuit benedictio, & præceptum. Be
15 nedictio, ratione potentiæ in generando. Præceptum, ratione capacitatis in ratiocinando. Beſtijs autem ſolùm fuit benedictio, quia non ſunt rationis capaces. Bon.

ad Iam dictum eſt, quòd matrimonium in ſtatu Innocentiæ
16 inſtitutum fuit ſolùm in officium procreandæ prolis. Illicò poſt hominis lapſum manſit idem matrimonium remedium contrà concupiſcentiam. In ſola noua lege cœpit habere rationem ſacramenti, hoc eſt, indicare myſterium deſponſationis Chriſti cum Eccleſia, atque tanquã eiuſdem Redemptoris inſtrumentum, gratiam ad idoneum eius vſum infundere. Sed aduertendum, Sacramentum bifariã accipi; vno

modo, ſecundùm propriam, ſed tamen nudam rationem ſacramenti, quæ eſt, eſſe ſignum rei ſacræ, quamuis gratiam non conferat, vt erant ſacramenta veteris legis. Et hoc pacto matrimonium etiam in lege naturæ erat ſacramentum, id eſt, myſterium, & ſignum ſignificans vnionem Chriſti, & Eccleſiæ futuram, per quam nos ſanctificamur. Et hoc eſt, quod ait Inno. in c. Gaudemus. de diuor. quod ſacramentum coniugij apud fideles, & infideles exiſtit. Non tamen erat ſacramentum nouæ legis, qui eſt ſecundus modus, ſcilicet, ratio perfecta ſacramenti. Ex his conſequitur, quòd matrimonium, antequam eſſet ſacramentum, quamuis eſſet perfectum perfectione naturali, vt per quod proles tum gigni poterat, tum naturalibus legibus imbui, & educari, non tamen erat omnino perfectum perfectione ſupranaturali, quæ conſiſtit in gratia Dei. Nam, & ſi poſſent tunc coniuges per conuerſionem in Deum gratiam obtinere, vt dignè poſſent filios procreare, non tamen illam gratiam virtute matrimonij nanciſcebantur ad eiuſmodi liberos, tanquã filios Dei adoptiuos, educandos. Quapropter perfectio matrimonij in lege naturæ erat materialis reſpectu perfectionis Euangelicæ, quæ, ceu ſuprema forma, ei complementum adhibet, Dominicus Sot. 4. d. 39. a. 1.

ad Conſeruatio indiuidui non poteſt ſuppleri per alium, quã
17 per ipſummet indiuiduum, ſed conſeruatio ſpeciei ſuppletur per multos, quamuis alij maneant in continentia viduali, & virginali. Si tamen redigeretur mundus ad ita paruũ numerum hominum, quòd quibuſdam caſtitatẽ ſeruantibus, alij non ſufficerent ad ſufficientem multiplicationem hominum ad cultum diuinum: tunc matrimonialis copula omnibus illi actui vacare potentibus eſſet præceptum. Tamen iã tot creduntur ſaluati: & ità ſunt homines per mundum multiplicati, quod, ſicut dicit Auguſtinus de bono coniugali ante medium, ſi omnes vellent continere ab omni concubitu, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, multò citius Ciuitas Dei compleretur, & accelerarctur termi-

V nus

nus ſeculi. Ric.

ad 18 Si volumus dicere, quòd æqualis eſt numerus ſaluandorum virorum, ſicut, & mulierum, ſolutum eſt argumentũ. Sed eſto, quòd non ſint æquales in numero, poteſt dici, vt videtur, quòd non fuiſſent in numero ęquali in ſtatu innocẽtiæ, per hunc modum, quòd maritus diù vixiſſet, & accepiſſet aliam vxorem ſua mortua: & ſic fuiſſent in ſtatu illo plures fœminæ. Vel, ſi è conuerſo: plures viri, Sed quia ſecundæ nuptiæ non ſunt modò multùm laudabiles, & multo minus tunc, ideo dico, quòd eadem perſona potuit eſſe mas, & fœmina: nam maſculus, & fœmina ſunt differentię accidentales, ita quòd huiuſmodi ſexus non variant ſpeciem ſecundùm Ariſt. 10. Metaph. Et ſicut ſexus muliebris non variat ſpeciem hominis, ſic nec hic ſexus hanc perſonam; & tunc, qui nunc eſt talis ſexus, potuit fuiſſe tunc alterius, vel è cõuerſo. Vel poteſt dici, quòd ſi tunc fuiſſent æquales, tamẽ nunc in participatione glorię ſunt in æquales numero; quia aliqua perſona eſt mortua mulier, quæ tamen reſurget vir. Et videtur, quod illud decẽs ſit: quia ille ſexus non requiritur, niſi propter imperfectionem: ideo non oportet iſtam perſonã reſurgere in illo ſexu, quia tunc omnis imperfectio tollitur: excepta beata Virgine, quæ gaudium immenſum, & gloriam habebit ex ſexu illo muliebri, propter ſpecialem rationem. D. Subt. De illa præpoſitione, Matrimonia in linea recta in infinitum prohibentur, tres extant opiniones. Prima affirmat, itá quòd, ſi Adam modò reſurgeret, cũ nulla poſſet matrimonium componere. Quare Enoch, qui in fine mundi cum Elia appariturus eſt, cum nulla contrahere fœmina poterit: quoniam Noe, ex quo omnes originem trahimus, eius fuit ſoboles: & cenſetur communis opinio. Altera eſt Caetani 22.q.154.a.9. tenet iure diuino ſolum prohiberi vnum gradum in linea recta, ſcilicet, parentum, & natorum. Tertia, quę eſt Dominici Sot.4.d.40.a.3. tenet, quòd etiam inter auum, & nepotem ius naturæ matrimonium cohibet: in infinitum verò huiuſmodi impedimentum progre-

di,

di, ridiculum eſt opinari. De altera verò, ſcilicet, Soli nunc electi fuiſſent in ſtatu innocentiæ nati. Doct. ſubt. partem affirmatiuam docet. Cùm verò dicitur, aliqui nunc electi ex reprobis nati ſunt. Reſpondet, quòd homo numero idẽ, non ſolùm quantum ad animam, ſed etiam quantum ad corpus organicum potuit eſſe filius diuerſorum, verbi gratia, Adæ, & Abrahæ, & per conſequens, qui modo eſt filius reprobi, potuit eſſe filius electi, vt filius Diocletiani potuit eſſe filius alterius. At D. Tho. Quolib. 5. a. 8. Impoſsibile arbitratur eundem filium naſci, ſiue ſit alius pater, ſiue ſit alia mater, quemadmodum non eſt idem ſigillum in numero, ſiue ſit alia cæra, ſiue ſit aliud corpus ſigilli, ex cuius impreſſione cæra ſigillatur, propterea tenet, quòd in ſtatu innocentiæ non omnes, qui nunc ſunt electi, nati fuiſſent, & multi, qui nunc ſunt damnandi, nati eſſent, licet tunc non damnarentur. Nam multi filij vnius patris, ex pluribus vxoribus nati, ſaluantur, vt patet de filijs Iacob, multi etiam ex fornicatione, vel ex adulterio nati, alioquin eis fruſtrà ſacramẽta ſalutis adhiberentur, multi quoq; ab hæreticis, & paganis geniti, ergo aliqui nunc ſaluantur, qui, primo homine nõ peccãte, minime naſcerentur. Nec tamẽ Dei prędeſtinatio falleretur, quia Deus prędeſtinauit homines, habens ſcientiã futuri euentus. Quod autem aliqua perſona reſurgat vir, quæ mortua ſit mulier, ridiculum puto.

ad 19. Caſus non eſt admittendus, quia claudit incompoſſibilia, ſcilicet, quòd Deus pręceperit, vt de facto præcepit, primis parentibus, Creſcite, & replete terram, & quòd Euam talis complexionis fecerit, vt eſſet inepta ad generationem maſculorum. Repugnant enim hæc duo adinuicem, quoniã ex primo, ſequitur oppoſitum ſecundi, & ex ſecundo, oppoſitum primi. Nam ſi ipſi primi parentes præceptum acceperunt, vt generarent, ex ſeipſis repleturos terram, oportuit Euam eſſe fœcundam vtriuſque ſexus; alioquin iam non ex Adam, & Eua, ſed vna alia neceſſariò requiſita, repletio eſſet terræ, vt à primis parentibus, quoniam illa alia eſſet prima

ma mater maſculorum. Præterea, incompoſſibile eſt primis parentibus, vt ſint imperfecta principia imperfectione priuationis naturalis, quoniam, vt dicitur in 2. Metaphyſ. perfecta principia naturaliter ſunt ante imperfecta. Conſtat autem, quòd talis caſus ponit parentes primos principia imperfecta humanæ ſpeciei imperfectione naturalis priuationis, quoniã eſſent priuata naturali fœcunditate maſculorũ.

Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cæli & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.

ARGVMENTA.

1 Rectus ordo eſſet, vt boni dominarentur malis, vndè Auguſtinus 19. de Ciuit. Dei. Naturalis ordo hoc præſcribit: ità enim Deus hominẽ condidit: inquit enim, dominetur piſcibus maris, & volatilibus cæli: rationalem factum ad imaginem ſuã noluit niſi irrationabilibus dominari. Inde primi iuſti paſtores pecorum magis, quàm reges hominum conſtituti ſunt: vt inſinuaret Deus, quid poſtularet ordo creaturarum, quid exigat meritum peccatorum; Et prouerb. 14. dicitur; Iacebunt impij ante portas iuſtorum: & ſuper eos erit vir bonus. Cum ergo oppoſitum appareat, Eccl. 10. Eſt malum, quaſi per errorem egrediens à facie principis, Vidi ſtultum poſitum in dignitate ſublimi, & diuites cadere deorſum: vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terrã. Sequitur, quòd non ſit ordo in vniuerſo. Alex. 2. p. q. 17. m. 2.

2 Per generationem homines multiplicantur: ſed multiplicatis dominis neceſſe eſt fieri poſſeſſionum diuiſionem, ad euitandam confuſionem dominij. Ergo cùm homo ſit inſtitutus dominus animalium, facta multiplicatione humani generis

generis per generationẽ, ſecuta fuiſſet diuiſio dominij. Quod videtur eſſe contrarium iuri naturali, ſecundùm quod omnia ſunt communia, vt Iſid. dicit. Non ergo fuiſſet generatio in ſtatu innocentię. D.Tho. 1.p.q.98.a.1.arg. 3.

3 In ſtatu innocentiæ non fuit datum dominium homini, niſi quantum ad irrationalia. Iuxtà illud, Dominamini piſcibus, &c. ſed cùm homo fiat irrationalis ſolùm per peccatũ, iuxtà illud. Cũ in honore eſſet non intellexit, &c. Ergo in ſtatu innocentiæ, vbi nullum fuiſſet peccatum, non fuiſſet ibi aliquod dominium, nec aliquis principatus. Aegid. ſecundo d.44. q. 1.a.3.

4 Omne, quod impedit matrimonium, vel eſt de iure natũrali, vel poſitiuo: ſed ſeruitus nec habet eſſe de iure naturali, nec de iure poſitiuo, quia illud, quod eſt contrà naturam non habet eſſe de iure naturali: ſed ſeruitus eſt cõtrà naturã, quia ſecundùm beatum Greg. Deus dixit primis hominibus, Dominamini piſcibus maris, &c. & non dixit, Dominamini hominibus, quia contra naturam hominis primò inſtitutam eſt, vt homo homini vellet dominari. Nec de iure poſitiuo, quia ſecundùm Tul. ius poſitiuum deſcendit à iure naturali: ergo ſeruitus non impedit matrimonium, Tho. Argent.4.d.36.a.3.

5 Per procreationem homines multiplicantur, ſed multiplicatis dominis, neceſſarium eſt fieri poſſeſsionum diuiſionem, ad cuitandum confuſionem dominij: cùm ergo homo ſit inſtitutus dominus animalium, facta multiplicatione humani generis per generationem, ſecuta fuiſſet diuiſio dominij; ſed hoc videtur eſſe contrarium iuri naturali, vt habetur in littera huius capitis, vbi inter ſpecies iuris naturalis ponitur cõmunis omniũ poſſeſſio: ergo videtur, quòd procreatio filiorũ per carnalẽ propagationẽ non ſit naturalis, ſeu de iure naturali. Ioan. de Tur Crem. d. 1. Can. Ius autẽ.a.3.

6 Homo non eſt aliquo iure dominus omnium, quæ ſunt in mundo, Etenim, aut illi naturali iure conueniret, aut diuino, aut humano, Non naturali, quia vniuerſale dominium

conceſſum eſt ei à Deo in eius creatione. Neque prorſus diuino, quoniam tunc iure charitatis eſſet homo dominus cuiuſcunq; rei indigeret: eademque charitate amiſſa, eodẽ decideret iure: nam Deus ſolis amicis ſuis condecet bona ſua elargiri. Conſequens autem eſt falſum, & contrà humanum morem, etiam Chriſtianorum, in quibus multi iuſti rerum egeſtate præmuntur, omnium dominio orbati, multique contrà iniqui, & praui bonis huius mundi, ſecundùm leges, quæ à diuina regula non exorbitant, potiuntur. Quòd autem iure merè humano non ſit homo dominus, patet, quoniam antequam leges humanæ eſſent, Deus noſtro generi indulſerat rerum dominium, quod fundamentum eſt humani iuris, quo earum dominia diuiſa ſunt. Secundo arguitur: Homo non eſt dominus elementorum, neq; cælorum, quia illa non ſunt nominata. Gen. 1. vbi homo conſtitutus eſt rerum dominus. Dominic. Sot. de Iuſt. & Iu. lib.4.q.2.a.1.

7 Hæc bona tẽporalia Deo auctore in gratiam humani generis ſunt creata, nobiſque in vſum indulta, ergo legitimus eorum vſus propiùs ad perfectionem accedit, quam omnimoda eorum abiectio, ergo vicinius accedit ad perfectionẽ vſus temporalium, quam omnimoda eorũ abiectio. Dom. Sot. eod. lib. 7. q. 5. a. 1.

NOTABILIA.

1 IN homine quodam modo ſunt omnia. Et ideo ſecundùm modum, quo dominatur ijs, quæ in ipſo ſunt, ſecũdùm hunc modum competit ei dominari alijs. Eſt autem in homine quatuor conſiderare, ſcilicet, rationem, ſecundum quam conuenit cũ Angelis: vires ſenſitiuas, ſecundùm quas conuenit cum animalibus: vires naturales, ſecundùm quas conuenit cũ plantis: & ipſum corpus, ſecundùm quod conuenit cum rebus inanimatis. Ratio autem in homine habet locum dominantis, & non ſubiecti dominio. Vnde homo angelis non dominabatur in primo ſtatu. Et quod dicitur

omni

omni creaturæ, intelligitur, quæ non eſt ad imaginem Dei. Viribus autem ſenſitiuis, ſicut iraſcibili, & concupiſcibili, quæ aliqualiter obediunt rationi, dominatur anima imperando. Vnde in ſtatu innocentiæ animalibus alijs per imperium dominabatur. Viribus autem naturalibus, & ipſi corpori homo dominabatur, non quidem imperando, ſed vtendo. Et ſic etiam homo in ſtatu innocentiæ dominabatur plantis, & rebus inanimatis, non per imperium, vel immutationem, ſed abſq; impedimento vtendo eorũ auxilio. D. Tho. 1.p.q.96. a. 2.

2 Cùm dixit Deus Creſcite &c. & Dominamini &c. poſſumus intelligere datum fuiſſe hominibus triplicem principatum. Primò ſuper terram, id eſt, ſuper elementum terrę, vt terra non rebellaret eis, nec generaret ſpinas, & tribulos in eorum malum; vt ſicut diuina prouidentia cuſtodiuiſſet eorum corpora, vt nihil eis eſſet nociuum, ſic cuſtodiuiſſet eorum opera, & eorum agriculturam: vt terra nihil produceret illi agriculturę nociuum. Ideo dicit Auguſtinus ſuper Gen. quòd agricultura, quæ nunc eſt ad laborē, tunc fuiſſet ad ſolatium. Ad laborem enim eſt nunc, quia oportet ſpinas, & tribulos euellere, quæ tũc non oportuiſſet, cùm poſt peccatum dictum ſit: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea: ſpinas, & tribulos germinabit tibi. Bene ergo dictum eſt: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam; quia tunc terra fuiſſet omnino ſubiecta ſuis cultoribus. Secundùm autem dominiũ, quod fuit datum primis parentibus, fuit ſuper carnem, quæ producta erat de terra, vt in ſubiectione terræ poſſit intelligi, tā ſubiectio terræ, quæ eſt elementum, quàm ſubiectio carnis, quæ facta eſt ex terra: quia caro noſtra ſic fuiſſet pro illo ſtatu ſubiecta nobis, quòd nihil inſurrexiſſet in carne, quod obuiaſſet bono naturæ, vt ægritudines, & mali humores: & nihil quod obuiaſſet bono moris, cuiuſmodi ſunt concupiſcentiæ, & inſurrectiones carnis: quia ſecundùm Auguſt. ipſa genitalia obediuiſſent nobis. Tertium autē dominium,

quod fuit datum homini, fuit datum ſuper omnia alia animalia, quia dictum fuit ei: Dominamini piſcibus maris &c. Credibile eſt enim, quòd omnia iſta dominia feciſſet in nobis illa originalis iuſtitia, per quam omnia inferiora fuiſſent ſubiecta nobis. Terra ergo tanquam nobis inferior non rebellaſſet nobis, caro tanquam inferior animæ, non rebellaſſet animę; omnia autem alia animalia fuiſſent omnino ſubiecta homini, & obediuiſſent homini prout eius ratio dictaſſet. Adam ergo peccante, & appetente propriam excellentiam, & proprium dominiũ, quod non debebat, perdidit dominium, quod habebat. Rebellando enim ſuo ſuperiori, omnia ſua inferiora rebellauerunt ſibi, vt ſuprà probabatur per Auguſtinum: Terra ergo incepit rebellare, & incepit in opere hominum ſpinas, & tribulos generare. Caro enim incepit rebellare, quia ſtatim vidit in membris ſuis aliam lęgem repugnantem legi mentis ſuæ. Animalia alia inceperunt rebellare, quia facta ſunt ſicut ſyluestria, & videntes homines non ſolùm eis non obediunt, ſed quantùm poſſunt ab eis fugiunt: & ſi ad eos veniunt, hoc faciunt magis ad nocendum, quàm ad proficiendum. Et ſi aliqua habemus domeſtica, hoc eſt, ex quadam aſſuetudine, quia aſſueſcimus ea admodum noſtrum, & domamus ea: quia ſæpe faciendo adgeneratur in eis quędam cõſuetudo, quæ eſt altera natura. Aegid. 2. d. 22. q. 1. a. 2. dub. 3. later.

3 Sicut oculus ſanus à Sole non læditur, ſed cum efficitur lippus, ſtatim offenditur, non propter mutationem factam in Sole, ſed in oculo; ita, quòd animalia noceant, vel offendant hominem, non eſt propter nouam potentiam eis datã, ſed propter dignitatis præſidentiam ab homine amiſſam. Aliter enim ordinantur animalia ad hominẽ ſecundùm ſtatum innocentiæ, aliter ſecundùm ſtatum naturę lapſæ. Secundùm ſtatum innocentiè ordinantur ad hominem ſecundùm rationem quadruplicem. Prima ratio eſt, ad manifeſtandum eius imperium, quod manifeſtarent, dum ei per omnia obedirent. Secunda, ad decorandum hominis habitaculum;

culum: perpulchrum enim erat habitaculum hominis animalium multiplicatione, non ſolùm arborum decorari. Tertia, ad excitandum hominis ſenſum, vt in ipſorum animaliũ naturis diuerſis videret homo multiformitatem ſapientiæ conditoris. Quarta, ad moderandum eius affectum, vt dũ homo videret animalia, ſecundùm rectitudinem ſuæ naturę currere, & amare illud, ad quod naturaliter facta ſunt, ex hoc excitaretur ad amandum Deum. Et propter has rationes, non ſolũmodo fecit Deus iumenta, ſed etiam beſtias, & pecora: omnia enim faciunt ad hominis vtilitatem ſecundùm rationes prędictas. Secundùm ſtatum naturæ lapſæ ordinantur iſta animalia ad vtilitatẽ hominis: ſed aliter beſtiæ, & aliter iumenta, & pecora. Iumenta enim, & pecora ordinantur ad releuandum hominis indigentiam, quantũ ad cibum, & quantum ad veſtimentum, & quantum ad obſequium, ſicuti ſunt equi, & aſini, & quantùm ad ſolatium, ſicut quædam aues, & catuli, & ſimilia, & ſic facta ſunt propter hominem ratione quadruplici. Similiter animalia, ſiue beſtiæ noxiæ ordinantur ad hominem ſecundùm quadruplicem rationem, & vtilitatem, quam ponit Auguſtinus ſuper Gen. ad litt. lib. 3. dicit enim, quòd, aut pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent; aut vtiliter probant, aut ignoranter docent. D. Bon. 2. d. 15. a. 2. q. 1.

CONCLVSIONES.

1 ACQVISITIO *corum, quæ cælo, terra, marique capiuntur, quæ in nullius tamen ſunt bonis, eſt de iure naturali.*] Manifeſta eſt, quia tali acquiſitione vendicat homo id, quod naturaliter eſt ſuum. Sunt autẽ homini ſubiecta omnia animalia, & aliæ creaturę, Gen. 1. pręſit piſcibus &c. Dominamini piſcibus &c. Additum autem eſt; quæ in nullius ſunt bonis, quod intelligitur nec re, nec ſpe, quod dicitur propter hęreditatem iacentem, quæ ſpe eſt in bonis ali-

cuius. Ioa. de Tur. Cre.d.1.Can. Ius autem. a. 7.

2 ¶ *Non eſt nimium populus à venatione cohibendus.*] Venatio iure gentiũ communis eſt; nempe, vt fera, & auis, quę à nemine capta prius fuerat, in ius tranſeat capientis. Vnde Ariſt. 1. polit.c.5. Venatóriam, partem vult eſſe reĩ bellicæ. Et fundatur hoc ius in illo dominio Gen. 1. hominibus datum in cuncta animalia terræ, & volatilia cæli, atque aquarum natatilia. Nihilominus verò triplici de cauſſa iurè venatio vetatur. Primùm, & ſi venationis locus communis ſit Ciuitatis, aut oppidi, vetari licitè poteſt à principe, & à domino per viam gubernationis: nam feræ, ac piſces non ſolùm ornamento ſunt, & decori Reipublicæ, verùm & neceſſitati ſeruiunt; ob idque non eſt vulgi temeritati venatio committenda: ſed debet ordine, ac lege fieri ne diſpereat. Secundò, princeps etiam, cõmunia locà reipublicæ poteſt àliquot proprio vſui dicare: neque ad hoc (vt quidam autumant) requiritur conſenſus populi. Iuſtum quippe eſt, vt pro ſua dignitate gràtia recreandi animi venatiónẽ habeat paratam. Præterea, quoniam apros, ac ceruos, & id genus beſtias, non condecet a plebeis venatu impeti, ſed, vt reſeruentur ingenuis, qui pręliorũ ſimulacra aduerſus eas meditentur. Hoc autem non eſt hic abſque admonitione ſilendum, quod non eſt eadem ratio in magnatibus ad cuſtodiendam ſui gratia, vetandamq; venationem, quanta in principe: etiam ſi cum ſuis iuribus eam fuerit ipſis largitus. Nam Rex poteſt, exempli gratia, in toto Regnó decem, aut duodecim loca ſibi reſeruare: & forſan non poſſet bis, aut ter centum. Si autem magnatum ſinguli in ſuis oppidis, aut territorijs plura haberent loca cuſtódita, grauamen Regno fieret intollerabilius. Sunt enim feræ, aues, & piſces de iure gentium communes: vt locis Inſtit. & ff. de rer. diui. citatũ eſt, & ideo non eſt nimiũ populus à venatione cohibendus, quando quidem libertatem etiam habeat illo modo, tum animum recreandi, tum, & quæritandi victũ. Sed tertio modo cuſtoditur venatio: quia eſt in loco, non communi oppidi,

di, ſed proprio ipſius domini, quo ſuam cuſtodit venationem. Nam, vt habetur locis proximè citatis de rer. diuiſio. poteſt fundi dominus prohibere, ne quis venationis gratia illud ingrediatur. At verò in his omnibus primùm omniũ, vt de ſyluis dicebamus, cauendũ eſt, ne pœnæ acerbę ſtatuantur: quia illud non exiſtimatur furtum, aut latrocinium, perinde, ac dum domus, aut burſæ compilantur. Quare profectò crudele eſt pœna corporali plecti ingredientes loca vetita venationis gratia. Sed ſatis eſt, ſi duplum, aut triplum ſoluerent, & plagas, inſtrumentaque perderent. Dominic. Sot. de Iu. & Iu. l. 4. q. 6. a. 4.

QVAESITA.

1 CVm omnia vitam habentia in quantum huiuſmodi referantur ad hominem, cur diſtinctè agit de terræ naſcẽtibus, & animalibus ſecundũ quòd hæc ordinãtur ad hominem? Quoniam, & ſi conueniant animantia cum terræ naſcentibus in vita, nihilominus diſtinguuntur in hoc, quòd animantia ſuper addunt perfectionem animæ ſenſibilis: vnde, & animantia dicuntur, & ideo aliter ordinantur ad hominem terræ naſcentia, quàm animantia; nam terræ naſcẽtia ordinantur ad vtrunque, animantia ad hominem tantùm. Alex. 2. p. q. 55. m. 6.

2 Cùm prius dixerit de productione terræ naſcentiũ, quàm animalium, cur non prius hæc ad hominem retulit, ſed poſterius? prius enim dixit, Dominamini piſcibus, &c. Et poſt ſequitur. Ecce dedi vobis, &c. Idcirco ordo mutatus eſt in fieri ipſarum rerum, & in relatione ipſarum ad hominem: quoniam progreſſus in fieri erat ſecundùm imperfectum, & perfectum, quouſque ad perfectionem eſſet deuentum: ordo verò in ſubiectione ad hominem à magis perfecto tendit ad minus perfectum: animantia enim ſubijciuntur homini: terrę naſcentia homini, & animantibus: & ideo dixit. Ecce dedi vobis in eſcã, & cunctis animãtibus terræ. Alex. eo. loci.

3 Cur poſt conditionem hominis recapitulat omnia vitam

habentia, ad hominem referendo, ſiue ordinando, & non facit mentionem de luminaribus: cùm tamē, & ipſa propter hominem facta ſint? De ordine luminarium non facit hic mentionē: non quia non ordinentur ad hominem: ſed quia non ordinata ſunt ſecundum ſubiectionem: hic enim loquitur de ordine ſubiectionis, quo ſubiecta fuerunt animantia, & terræ naſcentia homini: ſed luminaria non ſic: ſed ſubijciuntur Deo, vt ſecundùm nutum eius moueantur: referuntur autem ad hominem in eo, quod dicitur, Erunt in ſigna, & tempora. Alex. eo loci.

AD ARGVMENTA.

Ad 1 DVplex eſt ordo, manifeſtus, & occultus. Manifeſtus, cùm boni præferuntur malis: occultus, cùm è conuerſò mali præferuntur bonis: hoc enim eſt ad probationem bonorum. In præſenti eſt occultum iudicium, ſed in futuro erit manifeſtum. Alex. Qui etiam obijcit, Creaturæ irrationales poteſtatem habent nocendi rationalibus: ſed ordine naturæ præfertur rationalis irrationali: ergo non eſt ordo in vniuerſo, cùm è contrario fiat: quod enim nocet habet poteſtatem ſuper alterum, cui nocet. Reſpondet, Creaturæ irrationales poteſtatem habent nocendi rationalibus, & in hoc præferuntur eis: hoc autē non eſt ex prima inſtitutione, qua dictum eſt de homine, vt præſit volatilibus cęli, &c. Sed eſt ratione pœnę peccati: vt quia non ſeruauit homo voluntariam ſubiectionē, & debitā reſpectu ſui ſuperioris: nec debita ſubiectio ſeruaretur ei à ſuo inferiori: Hæc ille.

Ad 2 In ſtatu iſto, multiplicatis dominis, neceſſe eſt fieri diuiſionem poſſeſſionum; quia communitas poſſeſsionis eſt occaſio diſcordiæ, vt philoſophus dicit in 2. Polit. ſed in ſtatu Innocentiæ fuiſſent voluntates hominum ſic ordinatæ, quòd abſque omni periculo diſcordiæ, communiter vſi fuiſſent, ſecundùm quòd vnicuique eorum competeret, rebus, quæ eorum dominio ſubdebantur, cùm hoc, etiam modò, apud multos bonos viros obſeruetur. D. Tho.

ad 3 Tria ſunt genera principatus; Etenim, vel eſt principatus deſpoticus, ideſt, ſeruilis; quemadmodũ homo præeſt ſeruis, & beſtijs: vel politicus; ſecundum quòd quis præeſt ſecundùm certas leges, & ſecundùm certa pacta, prout princeps ciuitatis præeſt ciuibus: quia ſunt aliquę leges, aliqua pacta, ſecundum quæ ciues debent regi à principe ciuitatis: vel Regius, quod eſt prẹeſſe alijs ſecundùm arbitrium. In eadẽ domo reperiuntur omnia iſta genera principatus. Nã prẹeſt pater filijs principatu regio, ideſt, ſecundùm arbitrium. Et præeſt vir vxori principatu politico, id eſt, ſecundum conditiones quas requirit coniugium. Et præeſt ſeruis, & beſtijs principatu deſpotico, id eſt, ſeruili. Idẽ enim homo in vna, & eadem domo eſt pater, vir, & dominus. Omnes iſti principatus in ſtatu innocentiæ fuiſſent, politicus quidem, qui eſt viri, & vxoris: Nam illo ſtatu vir præfuiſſet ei, non quocunque modo, ſed ſecundùm conditiones, quas requirit coniugium, hoc autem eſt præeſſe politicè. Regius verò, quia tunc pater prẹfuiſſet filijs. Nec dicas, etiam principatus paternus debet eſſe ſecundũ quaſdã conditiones, quia non debet pater regere filios, & principari eis quocunque modo: quia non debet vti filijs, vt ſeruis, & idcirco debet dici politicus. Quoniam principatus filiorum magis fundatur in amore, quàm principatus vxorius. Chara hinnula (inquit ſapiens, ſed charior hinnulus. Et quia amare idem eſt, quod velle bonum: principatus paternus, qui fundatur in amore, debet dici ſecundũ voluntatem, & ſecundùm arbitriũ, & propterea Regius. Deſpoticus autẽ, non quidẽ fuiſſet inter hominem, & hominem, quia huiuſmodi principatus propter peccatum inductus eſt, ſed fuiſſet reſpectu animalium. Aegid.

ad 4 Conceſſo toto argumento, nihil habetur contra veritatẽ, quia veritas non ponit ſimpliciter, quòd ſeruitus impediat matrimonium, ſed ſeruitus, vt ignorata à perſona libera, vt habetur de coniugio ſeruorum, in multis capitulis illius tituli. Ità quòd ſi aliquis liber credit matrimonium contrahere

cum

cum libera, & contrahit cum ancilla, & aliqua libera credit contrahere cum libero, & contrahit cum ſeruo, nullum eſt matrimonium. Tho. Argent. Potiùs colligitur ex ſuperiori ſententia, ſcilicet, Creſcite, &c. ſeruitutem non adimere ſeruis ius matrimonium contrahendi, quominus, ſi etiam inuitis dominis illud contrahant, ſolidum ſit, & legitimum. Enimuerò ſeruitus humano iure, ſcilicet, gentiũ introducta eſt. Ius autem poſitiuum naturali non obſtat. Eſt autem nõ tantùm hominibus, verùm, & cunctis animantibus à natura inditum, vt quemadmodum per alimoniam propria indiuidua ſuſtentant: itá, & per generationem ſpeciem propagando conſeruent, quæ quidem generatio inter mortales, vt ex ſuperioribus conſtat, niſi per matrimonium non fit legitimè; ergo ſicut domini cohibere ſeruos nequeunt, quominus alimenta ſumant, & ſomnum capiant, atq; alia faciant, quæ ad vitæ ſuſtentamentum neceſſaria ſunt, itá, neque arcere eos à matrimonio poſſunt, quin ſi cõtrahant, validum ſit, & firmũ. Hanc rationem, quæ S. Thomę, & Theologorum eſt, Ricardus diſt. 35. art. 4. eneruare conatur. Ait ſi quidem falſum eſſe, ſeruitutem tantùm iure gentiũ, & humano introductã: quippe cùm philoſophus 1. Polit. homines elegantioris ingenij cæteris hebetibus, ac rudibus, qui viribus corporis valent, dominari autumet. At vero, vt libro 4. de Iuſtitia, & iure q. 2. a. 2. diximus, ſub illa Ariſtotelica ſententia: obſcurus intellectus latet, niſi prudenter legatur. Illa quippè naturalis ſeruitus longè à legali diſtat. Rudes enim homines, & qui non tam ingenio, quàm corpore valent, non ſunt ſic elegantiorum ſerui, vt mancipia, immo ſeruitus illa libertatem non excludit, ſed tenetur parere elegantioribus quantùm ad doctrinam, & eruditionem propter ſuum ipſorum propriũ bonum, teneanturq; illis viciſsim de honeſtate ſeruire. Quare neque ipſi, neque ſua bona ſunt aliena, vt ab elegãtioribus poſsideantur. De qua vtique ſeruitute in præſentiarum nõ loquimur: ſed de alia legali, de qua habetur Inſtit. de iure perſonarum, & ff. de ſtatu hom. l. libertas, vt qui bello capitur,

tur,aut ſeipſum vẽdidit,ſeruus ſit,id eſt, heri mancipium,&
poſſeſſio: quæ quidem procul dubio iure gentium introdu-
cta eſt poſt peccatum,cùm in primæua hominum conditione
omnes fuerint liberi conditi. Hinc ergo ratio noſtra ori-
ginem ducit,nempè,quòd,quem admodum ius gentium, di
uiſionem faciens rerum, quarum poſſeſſio natura integra
communis erat, efficere nequiuit, quominus in extrema ne-
ceſſitate ipſa acclamante natura, poſſeſſio earum rerum ſit
egentibus communis: ità ius ſeruitutis non potuit homi-
nibus ius naturæ adimere, conſeruandi tum propria in
diuidua, tum & per matrimonia, propriam ſpeciem. Do-
minic. Sot.d.35.a.2.

ad Diſtinctio ipſa maris, & fœminę, quæ ad generationis
5 naturalis officium noſcitur inſtituta, demonſtrat procreatio
nem filiorum naturalem eſſe. Argumentum verò diluitur
reſponſione eadem,qua & ſecundùm.

ad Dominium rerum fuit homini à Deo donatum, ergo nō
6 eſt ei naturale,conſequentia nulla,quoniam fuit nō tanquam
naturæ adhibitum,ſed tanquam naturæ debitum: vt dictum
eſt ſuper illud,Faciamus ad imaginē,Conc.22.Et licet ſub-
ſtantiæ cælorum non ſit homo dominus, vt poſſit eos altera
re,eſt tamen dominus,quia eis vtitur tanquam domicilio,&
ad alia naturalia commoda. Et multò meliùs eſt elemento
rum dominus, vt aeris, ad reſpirationem, & maris,ad naui
gationem, & terræ,ad culturam,& ignis pariter ad metheo-
ras impreſsiones. Dominic. Sot.

ad Argumentum concludit, quòd ſi in eo ſtatu hominum ge
7 nus perſtitiſſet,in quo Deus illud condidit, nihil periculi ab
huiuſmodi bonis nobis immineret,ſed potius ad inflamman
dum diuinum amorē nobis eſſent obſequio:atq; adeo tunc,
neque caſtitas virtutis munus eſſet,neq; verò paupertas. At
tamen poſt lapſum eiuſdem noſtri generis, illa,quę nobis ſa
lubria erant, facta ſunt nocua, non quò res ipſę naturas
ſuas mutauerint, ſed quòd nos noſtram deprauauimus. Si-
cuti vinum, quod ſanis vſui eſt, ægrotis eſt nocuū.Inedia ve

rò,quę firmis, validisq́; hominibus nocet, febrem patientibus medella eſt. Dominc. Sot.

Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ.

ARGVMENTA.

1 ILLA, quæ fecit Deus propter hominem ſuſtẽntandum, fecit perfecta, & completa in genere ſuo: vnde arbores perfectas fecit, & fructu abundantes, quod patet per hoc, quod expoſuit illas humano vſui homine formato. Gen. 1. Ecce dedi vobis &c. & 2. Ex omni ligno paradiſi comede. Ergo, cùm maior cura fuerit Deo de homine, & de eius perfectione, quàm de perfectione huiuſmodi creaturarum: videtur, quòd fecerit hominem perfectum ſcientia, & virtute; penes quæ attenditur eius completio. Et ita Adam fuit in gratia creatus. Alex. 2. p. q. 90. m. 1.

2 Magis eſt neceſſaria homini ſalus ſpiritualis, quæ eſt æterna, quam ſalus corporalis, quæ eſt temporalis: Sed Deus ab initio mundi prouidit homini ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem corporalẽ, tradens eius poteſtati omnia, quæ erant propter hominem creata: vt patet Gen. 1. Ergo etiam lex noua, quæ maximè eſt neceſſaria ad ſalutem ſpiritualem, debuit hominibus à principio mundi dari. D. Tho. 12. q. 106. a. 3. arg. 3.

3 Quod enim brutis animalibus ſuo ordine congruat dominium, vt puta, herbarum, videtur manifeſtum, cùm, vt legitur Gen. 1. conceſſę illis ſint in pabulũ. Quin videtur dux apũ dominium in ſuum gregem obtinere: & inter grues illa, quę aciem ducit, apparet cęterarum eſſe reginam. Et inter feras

ras ferociſſimus leo videtur dominari reliquis beſtijs:& accipiter dominatum pariter gerere in miſeras aues. Dominic. Sot. de Iuſt. & Iu. lib. 4. q. 1. a. 2.

4 Iuri naturali nullum humanũ contrauenire poteſt, quòd autem bona huiuſmodi in cõmune poſſideantur, conſtitutio eſt naturalis iuris, vt patet Gen. 1. vbi homini in cõmune cõceſſa eſt rerũ poſſeſſio, idemque affirmat iſid. lib. 5. quod refertur d. 1. c. Ius naturale. Neque verò tunc tantùm integra natura, verùm & poſtea iam corrupta ſimile legimus. Gen. 9. Noe dictũ,& filijs eius, Creſcite, & multiplicamini, & ingredimini ſuper terrã, & implete eam. Vbi Deus nihil videtur voluiſſe fore diuiſum. Dominic. Sot. eod. q. 3. a. 1.

5 Vita eſt nobis cum cęteris animantibus cõmunis: quam ob cauſſam commune pabulum nobis ipſiſque initio ſtatim Gen. Deus contulit, vbi ait: Ecce dedi vobis omnem herbam &c. vt ſint vobis in eſcã, & cunctis animantibus terræ, omniq; volucri cæli. Ergo, & natura ipſa, & eius auctor Deus, prohibuiſſe videntur cunctorum animalium occiſionem. Deinde, ſi illa fas eſſet occidere, vnus eorũ vſus foret, vt nobis eſſent in cibum: hoc autem videtur crudelitatem quandam, ac fœditatem animorum arguere: vt, ſcilicet, carnibus, in quibus fuit anima viuens, veſcamur: nam hac de cauſſa fertur ante diluuium non fuiſſe talis vſus permiſſus: quia neque in principio Geneſis conceſſus alius eſus legitur, quàm herbarum: ergo non omni culpa vacare videtur, animalia in talem vſum interficere. Idem eod. l. 5. a. 1.

NOTABILIA.

1 SINE præiudicio melioris ſententiæ dicendum, quòd animalia erant in paradiſo ſubiecta hominis imperio, concorditer ad inuicem, & obedienter ad hominem viuentia. Homine autem per peccatum recedente, & declinante à ſui ſuperioris obedientia, iuſtum erat, vt ordine naturali ſibi ſubiecta ſentiret aduerſum ſe per inobedientiam contumacia, per quam iuſtitiam, & caro facta eſt rebellans ſpiri-

tui,

tui, & quæ exteriùs ratione carent, repugnantia ipſi homini. Non tamen amiſit homo naturalem poteſtatem dominij, id eſt, rationis imperatiuam poteſtatem: ſed ſicut poteſtas eius eſt infirmata, & per peccatum vitiata; ita ipſa quoque ratione carentia, labente homine, ſunt deteriorata, & ad obediendum imperanti rationi minus habilia, & minoris manſuetudinis, & maioris crudelitatis. Quod patet per hoc, quòd ante peccatum animalia animalium eſu non viuebant: vnde Gen. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam &c. Ibi dicit gloſſa Bedæ. Patet, quòd ante peccatū hominis, terra nihil noxium protulit, non herbam venenatam, non arborem ſterilē: omnibus enim herba, & ligna data ſunt hominibus, & volatilibus, & animantibus terræ in eſcam. Vnde patet, quòd tunc animalia animalium eſu non viuebāt, ſed concorditer herbis, & fructibus veſcebantur. Auguſt. tamen videtur dicere contrarium primo, contrà Manichæum, dicens: Hinc quiuis admoneri debet, non carnaliter hæc eſſe intelligenda, quia herbæ virides, & ligna fructifera omni generi beſtiarum, & omnibus volatilibus, & omnibus ſerpentibus (Gen. 1.) dantur in cibum: cùm videamus accipitres, & miluos, & aquilas non paſci, niſi carnibus. Reſp. Intellectus Auguſt. referendus eſt ad ſtatum poſt peccatum, quia ante eſu animalium non ſuſtentabantur. Quòd autē animalia erant domeſtica & manſueta ante peccatum, patet ex gloſſa ſupra dicta quæ eſt. In teſtimonium primæ creationis legimus, aues viris ſanctis ſeruiuiſſe; & ritus beſtiarum, & ſerpentū venenum ceſſiſſe, ſicut experimento ſcitur de ſanto Ruberto, in cuius inſulam aues intrantes domeſticæ, & manſuetæ fiunt: exeuntes autem fiunt ſylueſtres. Alex. 2. p. q. 93. m. 2. Cæterùm. D. Tho. 1. p. q. 96. a. 1. ad 2. hoc omnino reputat irrationabile. Quidam dicunt, quòd animalia, quæ nūc ſunt ferocia, & occidunt alia animalia, in ſtatu illo fuiſſent manſueta non ſolùm circà hominem, ſed etiam circà alia animalia. Sed hoc eſt omnino irrationabile. Non enim per peccatum hominis natura animaliū eſt mutata, vt, quibus nunc

nunc naturale eſt comedere aliorum animalium carnes, tūc vixiſſent de herbis, ſicut leones, & falcones. Nec Gloſſa Bedę, Gen. 1. dicit, Quòd ligna, & herbæ datæ ſunt omnibus animalibus, & auibus in cibum, ſed quibuſdā. Fuiſſet ergo naturalis diſcordia inter quędam animalia. Nec tamen propter hoc ſubtraherentur dominio hominis, ſicut nec nunc propter hoc ſubtrahuntur dominio Dei, cuius prouidentia hic totū diſpenſatur. Et huius prouidentiæ homo executor fuiſſet; vt etiam nunc apparet in animalibus domeſticis. Miniſtrantur enim falconibus domeſticis per homines gallinę in cibum. Hæc ille.

CONCLVSIONES.

1 HOMO *dominabatur etiā creaturis inſenſatis*.] Si enim animalia ſubijciebantur dominationi hominis, quia homo ab illis debuit accipere obſequium, multò fortiùs carentia ſenſu, vt plantæ, eius debebant ſubdi dominio, à quibus debebat accipere alimentum, dicitur enim Gen. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam &c. Alex. ead. m. 3.

2 ¶ *Omni homini viuenti in hac vita mortali licitum eſt aliquid terrenum poſſidere in proprio, aut in communi*.] Patet concluſio ex illo Gen. 1. vbi datum eſt homini dominium ſuper bona temporalia quantùm ad ſuſtentationē vitæ. Deinde, iure naturali in vltima neceſſitate omnia omnibus ſunt communia, ità quòd quicunque, cuiuſcunque ſtatus ſit, in tali neceſſitate exiſtens, rem quamcunque neceſſariam ad vitam poteſt ſibi aſſumere, vnde etiam. Gen. 1. dixit Deus; Ecce dedi vobis &c. & cap. 2. De omni ligno paradiſi comede. Ergo concluſio vera. Ioa. de Tur. Crem. 12. q. 1. c. Clericus. art. 1.

3 ¶ *Poteſt homo in extrema conſtitutus neceſſitate aliena accipere abſque furti reatu*. Ea, quæ ſunt iuris humani, non poſſunt derogare iuri naturali, vel diuino. Secundùm autem

tem naturalem ordinem ex diuina prouidentia inſtitutum, res inferiores ſunt ordinatę ad hoc, quòd ex his ſubueniatur hominum neceſſitati: & ideo per rerum diuiſionem, & appropriationem ex iure humano procedentem, non impeditur, quin hominis neceſſitati ſit ſubueniendum ex huiuſmodi rebus. Et ideo res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali iure, debentur pauperum ſuſtentationi. Vnde Ambroſius dicit, & habetur in Decret. Diſt. 47. Eſurientiũ panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentũ eſt, quod tu recludis, miſerorum redẽptio, & abſolutio eſt pecunia, quam tu in terram defodis. Sed quia multi ſunt neceſſitatẽ patientes, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubueniri, cõmittitur arbitrio vniuſcuiuſq; diſpenſatio propriarum rerũ, vt ex eis ſubueniat neceſſitatem patientibus. Si tamen adeò ſit euidens, & vrgens neceſſitas, vt manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubueniedum (puta, cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubueniri non poteſt) tunc licitè poteſt ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubuęnire, ſiue manifeſtè, ſiuę occultè ſublatis, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ. D. Tho. 22. q. 66. a. 7. 1

4 ¶ *Licet plantas mortificare in vſus animalium, & animalia in vſus hominum.*] Nullus peccat ex hoc, quòd vtitur re aliqua ad hoc, ad quod eſt. In rerum autem ordine imperfectiora ſunt propter perfectiora, ſicut etiam in generationis via, natura ab imperfectis ad perfecta procedit. Et inde eſt, quòd ſicut in generatione hominis prius eſt viuum, deinde animal, vltimò autem homo: ità etiam ea, quæ tantùm viuunt, vt plantæ, ſunt communiter propter hominem. Et ideo ſi homo vtatur plantis ad vtilitatem animalium, & animalibus ad vtilitatem hominis, non eſt illicitum, vt patet per philoſophum in primo Polit. Inter alios autem vſus maximè neceſſarius eſſe videtur, vt animalia plantis vtantur in cibum, & homines animalibus, quod ſine mortificatione eorum fieri non poteſt. Et ideo licitum eſt, & plantas mortificare in vſum animalium, & animalia in vſus hominum ex

ipſa ordinatione diuina. Dicitur enim Gen. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuerſa ligna, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ. Et Gen. 9. dicitur. Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibū. D. Tho. 22.q.64.a.1.

5 ¶ *Beſtialitas, qua quidam veſcuntur carnibus humanis, eſt contrà præcepta iuris naturalis.*] Sicut enim naturaliter ſola fœmina humana eſt habilis ad coitum hominis, ità naturaliter ſola vegetabilia, & animalia irrationalia ſunt materia habilis ad nutriendum hominem. Vnde Deus primò dedit Adæ vegetabilia, deinde Noe dedit animalia. Contrà naturę ergo ordinem eſt, quòd veſcatur quis humanis carnibus. Sed quia ex hoc non habetur, quòd ſit peccatum mortale, quoniam dicere mendacium eſt contrà ius naturale, & non tamen eſt de genere ſuo mortale: & comedere carbones, aut calcem ſine læſione ex mala complexione non eſt mortalis gula, quamuis beſtialis, ſicut ambulare manibus, & pedibus ad beſtialitatis vitium ſpectat, & tamen non eſt mortale: ideo cautus eſto, & non admittas conſequentiam: eſt peccatū beſtialitatis, ergo mortale. Ad hoc enim, quòd ſit mortale, exigitur, quòd ſit contra charitatem Dei, ſui ipſius, aut proximi. Propter hoc enim mendacium non eſt ex ſuo genere mortale: Et ſimiliter ambulare manibus, & huiuſmodi. Et quia pręcepta iuris naturalis ſunt præcepta Dei, ideo peccans in gula contrà naturā, peccat contrà pręceptum iuris naturalis, & diuini. Mortaliter autem tunc ſolùm, per ſe loquendo, in beſtialitatis gula peccat, quando cibus eſt contrà bonum ſui, aut proximi, & ex hac parte repugnat carni humanæ eſſe cibum hominis; quoniam cibus humanus poteſt iure priuari vita ſua, vt ſumatur in cibum. Licitè enim mortificamus vegetabilia, & occidimus animalia in vſum noſtri cibi, homo autem non poteſt occidi, vt ſit nutrimentum noſtrum. Et propterea talis beſtialitas eſt peccatum mortaliſſimum, per ſe loquendo, an autem per accidens quandoq; liceat, putà, quia homines ſunt iam occiſi in

bello, & non ſubeſt cibus alius, alterius rationis eſt: & neceſſitas excuſare videtur, ex quo nocumentum proximi non eſt: & inhumanitatem vrgens neceſſitas apud ſe, & alios operit. Caiet.2.2.q.148.a.2.

6 ¶ *Non permanebunt animalia, et plantæ poſt diẽ Iudicij.*] Cùm plantę, & animalia, vt Gen. 1. legitur, in ſubſidiũ vitæ animalis hominum producta fuerint, ceſſante illo fine omnia diſperibunt, hoc autem erit in die Iudicij, quando homines ad vitam immortalem reſurgent. Dominic. Sot. 4. d. 48. a. vlt. Pertinere autem mixta ad perfectionem vniuerſi intelligitur ſecundùm hunc ſtatum, non ſecundùm illum futurum. Hæc ille.

QVAESITA.

1 CVR homo immortalis factus prę alijs animalibus, communem cum alijs alimoniam accepit? cibus enim ad reſtaurationem deperditi eſt, in immortali autẽ corpore nihil deperditur. Sed alia eſt immortalitas carnis, quam in Adã accepimus, alia, quam in reſurrectione ſperamus. Ille per Chriſtum factus eſt homo immortalis, vt poſſet non mori, ſi non peccaret: moreretur autem ſi peccaret: filij verò reſurrectionis ęquales erunt Angelis, nec poterunt vltrà peccare, nec mori. Caro igitur noſtra poſt reſurrectionẽ non egebit ciborum refectione: quia nec fame, nec laſſitudine, nec aliqua infirmitate poterit corrumpi. Caro Adæ ante peccatum ità immortalis eſt creata, vt per alimoniam adiuta, eſſet mortis, & doloris expers. Igitur quia immortalitas Adæ animalis corporis erat, animale autẽ corpus eſt, quod cibo eget, ideo communem cum alijs animalibus accepit alimoniam. Alb. 2.p.q. 65. Et quemadmodum habuiſſet vitam animalem cibis alendam, ſic habuiſſet, & ea, quæ vitam huiuſmodi aſſequuntur, inter quæ ponitur ſomnus. Atque in ſtatu illo ſumptus fuiſſet cibus ad deperditi reſtaurationem, ad corporis augmentum, ac etiam, ad multiplicationẽ ſpeciei per viã ſeminalem, ſecundùm quod nutritiua augmẽ-

tationi

tationi, & generationi deſeruit. Aliqua ergo deperditio fuiſſet in corpore Adæ, nec tamen ſubſequi poterat diſſolutio eius in toto, propter virtutem corporis regitiuam, profluentem ex anima ſicut elementa ſecundùm partem, non ſecundùm totũ, corruptibilia perhibentur. D. Tho. 2. d. 19. a. 2. ad. 2. De quibus inferius ſuper illud, De omni ligno paradiſi comede.

Cur non eſt facta mentio de piſcibus, cum piſces etiam
2 talibus veſcantur? Sed piſces, quia aquæ ornatus ſunt, aquoſum communiter accipiunt nutrimentum: & hoc eſt, nec herba ſimpliciter manens in ſpecie herbæ, nec lignum, & ideo inter alia animalia non numerātur piſces: quia non cōmune cum terreſtribus accipiunt alimentũ. Alb. vbi ſuprà.

3 Cùm poſteà dederit homini eſum carnis. Gen. 9. Cur non dedit in ſtatu innocentiæ? etenim dignior fuiſſet tunc bono cibo, quàm poſteà, quando peccauit. Poſt peccatum non fuit factus homo dignior meliori cibo: ſed quia ex peccato orta fuit infirmitas, neceſſarius fuit conuenientior cibus ad ſuſtentationē: & ideo ex prouidentia Dei datus fuit ei eſus carnium, ſine quo infirmitas humana ſuſtentari, & reparari non poterat. Alb. ibi. Quantò maior erat fortitudo viuentis, tantò cibus competebat auſterior: quantò verò maior erat fragilitas: tantò cibus ad nutrimentum competentior, vt fieret infirmitatis releuatio. Alex. 2. p. q. 55. m. 6. De hoc iterum in ſolutione arg. 5.

4 Cur ſtellæ dicuntur ornamentum cæli, plantæ verò non dicuntur ornamenta terræ, cùm ſint immobiliter ei affixæ, ſicut ſtellæ ſunt fixæ in orbe? Terra non ſolùm eſt ornata plantis, quæ ſunt inſenſibiles, & immobiliter ei affixæ, ſed etiam ornata animalibus, & hominibus, quorum plantæ, & ea, quæ producit terra, ſunt cibus, & alimentũ, iuxtà illud Gen. 1. Ecce dedi vobis, &c. quia ergo animalia ſunt nobilius ornamentum, & etiam germinantia in terra ſunt cibus animalium, dicuntur animalia ornamentum terræ, & nō plātæ. At Cælum non habet aliud ornamentum, niſi luminaria,

ideo dicta ſunt ornamentum Cæli. Aegid. 2.d.14 quæſt. 3.a.1.ad.1.

AD ARGVMENTA.

ad 1 NON eſt ſimile de perfectione illorũ, quæ erant ad ſuſtendãdũ hominem, id eſt, arborum, & de perfectione ipſius hominis. Quoniam illorum non erat, nec debuit eſſe, niſi vnica perfectio, ſcilicet, naturalis, hominis autem ſecundùm animam triplex, ſcilicet, naturalis, gratiæ, & gloriæ, quæ debẽt diſcerni, & ſecundũ tẽporis, & ſtatus opportunitatẽ diſtingui. Ita non eſt ſimile de perfectione ætatis, & cognitionis, & de perfectione virtutis, quoniã perfectio ætatis, & cognitionis non tantùm elongantur à perfectione naturę, ſicut perfectio gratię. Homo enim per vim naturæ ſibi inditã, poteſt peruenire ad perfectam ętatem, & poteſt proficere ad cognitionem, ſed nunquã per ſe poteſt homo in perfectionem gratiæ: immo requiritur neceſſario, quòd infundatur à Domino. Alex. At D. Tho. argumentũ cõcederet.

ad 2 Alia eſt ratio prouidentię in his, quæ ad naturam pertinent, alia verò in ijs, quæ ad gratiam Bona enim naturæ non ordinantur ad tollendum peccatum, ſed ad ſuſtentandam vitã, ideoquè homini ſtatim in eius creatione debuerũt conferri: At verò, quoniam gratia ad tollẽdum peccatũ confertur, lex abundantis gratiæ, ſcilicet, lex noua dari non debuit, niſi peccati impedimento ſubmoto: & per conſequens, nec ante Chriſti aduentum, vel Redemptionem. Domic. Sot. de Iuſt.& Iu.l.2.q.7.a.3.

ad 3 Non habent bruta vllum herbarum dominium, quod eadem ipſa Gen. auctoritate contrà citata cõprobatur. Haud enim leguntur ibi herbę pecoribus, & iumentis conceſſę, ſed ſolis hominibus. Ecce enim (inquit) dedi vobis omnẽ herbã afferẽtẽ ſemen ſuper terrã, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, Ius ergo herbarum non eſt conceſſum brutis, ſed nobis pro illis, quæ nobis ſeruiunt. Neque in apibus eſt, niſi metaphoricus rex: quia neq; examen in fi-

nem

nem ordinant, ſed inſtinctu naturæ vna præit, reliquuſq́ exercitus ſequitur. Multòq. minus, aut feræ beſtiæ, aut rapaces aues dominantur cæteris, licet illis velut alimentó vtantur. Dominic. Sot. Qui eo loci refert, quoſdam, & dominia brutis, & etiam inſenſibilibus tribuere, atq; diſtinguere inter dominium regale, & naturale, dicentes ad priorem ſpeciem libertatem requiri, non autem ad ſecundam. Quod gratis dictum eſſe cenſet ipſe. Cui aſſentire rationabile arbitror. Qui enim iumento, & armento, vel pabulũ ſuſtulerit, vel vitã, nullam ei irrogauit iniuriam, ſed domino: & qui equo regis loco cedit, nullum ei honorem defert, ſed regi: Nullum ergo pecudes habent dominium, neq; ius in herbas, ſed tantùm appetitum naturalem: atq; etiam poteſtatem.

ad 4 Varijs modis diſſoluitur. Sunt enim qui Axioma illud, Iure naturali omnia ſunt communia, non vniuerſaliter, ſed ſtrictim intelligant, ſcilicet, aut in neceſſitate extrema, aut inter amicos. Huic autem ſenſui, neque res ipſa, neq; Iuriſconſulti applaudunt. Intelligunt enim illud de illa generali communitate, quæ poſteà iure gentium diuiſa fuit: vt patet loco citato apud Iſidorum, & diſtinct. 9. capite, Differt, apud Gratianum. Scotus autem 4. diſt. 15. quęſt. 2. Scitè illud vniuerſaliter recipiens, ait, poſt naturam corruptã idem ius naturæ derogatum eſſe. At verò, ſalua Doctoris auctoritate, minus hoc rationi congruens apparet. Primùm, quia naturale ius immobile eſt: vt patet per Iſido. diſtinct. 6. Cano. Non eſt peccatum §. Is itaq;. Idem enim colligit præcepta decalogi eſſe immutabilia, quòd ſunt de iure naturæ. Item, aut fuit præceptum iuris naturę, quòd res in communi poſſiderentur: aut nullum fuit tale. Si prius dederis membrum, tunc, vel illud præceptũ vniuerſale fuit pro quocunque ſtatu: & hoc nemo ſanæ mentis fatebitur: nã error eſſet ſic dictare, vt in natura collapſa perſeueraret idem poſſeſſionis modus. Aut fuit particulare pro illo ſtatu innocentiæ, & illius nulla eſt facta derogatio: nã quòd diuiſio fiat

in noſtro ſtatu illi æquitati non derogat; vt perdurante Innocentia, communis poſſeſſio perduraret. Reſponſio ergo legitima extat apud Sanctum Thom 22. quæſt.66.art.2. licet emunctiùs per diſtinctionem reſpondebitur. Eſt enim in rebus conſiderare, & dominium, & vſum. Et quantùm ad dominium ius naturæ nunquã præcepto inhibuit rerum diuiſionem, quod per contrariam legem fuerit derogatũ, ſed eo ſenſu negatiuo dicitur communis poſſeſſio eſſe de iure naturæ, quòd nunquam lex naturalis eandem præcepit diuiſionem, ſed permiſit hòc, vel illo modo poſſideri, quo pacto diuerſis hominum ſtatibus commodius eſſet, & expeditius. Quare ius naturale non eſt mutatum, ſed res. Sententia eſt Auguſtini libro 1. Confeſſ. quam optimo exemplo clarificat,& inquit, medicinalis regula eſt vinum eſſe hominibus congruum: hæc autem minimè derogatur; dum infirmo potus vini interdicitur: ſed mutatio fit in homine, cui perpetua illa regula non congruit. At verò quantùm ad vſum, poteſt quodammodo affirmari, ius naturæ præcipere, omnia eſſe communia in neceſſitate. Dominic. Sot.

ad 5 Communis ferè opinio eſt, ante diluuium nullarum carnium fuiſſe vſum in cibis: tametſi S. Tho. 12. q. 102.a.6.cũctabundus dixerit: videtur eſus carnium poſt diluuium introductus. Nicolaus verò lyranus Gen. 9. incunctanter id aſſerit. Sed Abulenſis Gen. 1. non id tantùm, ſed inſinuat inſuper prohibitum fuiſſe tunc tale nutrimentũ. Ait enim; Deum taxaſſe omnibus herbas in cibum. Caiet. verò eodem loco Gen. 9. mediũ ſe interponit, dicens. neque fuiſſe prohibitum carnibus veſci,neque tamen fuiſſe in vſu. Ego tamen mihi (vt ſub aliorum cenſura id aſſeruerim) ſuadere videor hanc concluſionem: Ante diluuiũ; non ſolùm non fuit prohibitum carnes edere, verum etiam eſt valde probabile illas poſt naturam lapſam illico inter humanos cibos vſurpatas. D. enim Tho. neque de prohibitione meminit, neque aſſeueranter vſum negauit. Dixerim autẽ, poſt naturam lapſam. Nam in ſtatu Innocentiæ facillimum credi-

tu eſt, quòd quantouis ſeculo duraſſet, nunquam vſurpatæ fuiſſent carnes in eſcam. Et ratio eſt, quòd fructus paradiſi fuiſſent tum affluentiſſimi, tum & virtute ſolidiſſimi ad nutriendos, vegetandoſq; homines. Et cùm in illa felicitate nullus eſſet vitiatę affectionis locus, nullus vteretur ſuperfluis, ſed fuiſſent neceſſarijs contenti. Atque eo præſertim, quod eſus ligni vitę eos valebat incolumes ſeruare, vt poſſent non mori: ideo herbæ tantummodo declaratæ à Deo fuerunt in cibũ propter ligna paradiſi, in quo hominẽ Deus collocauerat, quæ illi ſtatui affatim ſufficiebant. Cùm verò dicebatur in argumento; Vita nobis cum cęteris animantibus communis eſt. Verum eſt, ſed non æquo iure, ſed ſua eſt propter noſtram, & ideo, neq; qui ſuam occidit pecudẽ, vlli facit iniuriam, neque qui occidit alienam, vllam irrogat pecudi, ſed poſſeſſori, neque Deus pecora paſcit niſi propter nos: neq; vlla eſt feritas, aut crudelitas carnibus veſci. Dominic. Sot. Caiet. cap. 4. exiſtimat homines lacte, caſeo, carnibuſq; veſci cœpiſſe ſtatim poſt peccatum, neq; cap. 9. dicit eſum carnium non fuiſſe in vſu ante diluuium. Sed hęc ſunt verba eius. Ante diluuium poterat quidẽ homo veſci carnibus ex naturali dominio, ſed non indigebat alimento carnium, poſt diluuiũ verò indiguit. Sed de hoc redibit ſermo citatis locis. Immo Hieron. Viel, de ſex diebus condit. ope. lect. 19. referente, dixerunt quidã, etiam ſi Adam ſtetiſſet, non defuturos homines permultos, qui animalium carnibus paſti fuiſſent, ſecundùm quos hic eſt verus huius litterę ſenſus. Dominos vos conſtituo cunctorum animalium, vtimini eis ad ſubiugandam terram, ad ferenda onera, occidite, coquite, comedite; quanquam ego vobis iam paraui ſuauiſſima poma, & ſaluberrima olera, quæ vobis in promptu, & ad manum confeſtim ſint. Animalia potentia longinqua, vel remota ſolùm cibus ſunt; oportet enim ea antea perimere, excoriare &c. Ideo non dicit Scriptura, hæc Deum in eſcam paraſſe, ſed poma quibus confeſtim appetentes veſci poſſent.

Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

ARGVMENTA.

1 GEn. 1. dicitur, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: è contrà Eccl. 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. non igitur iſta viſibilia ſunt à Deo. Alex. 1. p. q. 14. m. 3.

2 Si mirabilia eſſent de pulchritudine vniuerſi, ſine mirabilibus non eſſet completa pulchritudo vniuerſi. Sed poſito ſtatu Innocentiæ, & permanente, non eſſent mirabilia: ergo incompleta eſſet pulchritudo, quòd falſum eſt: dicitur enim Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Vbi notatur completio bonitatis, & per conſequens pulchritudinis, & ità patet, quòd mirabilia non ſunt de pulchritudine vniuerſi. Alex. 2. p. q. 16. m. 6. a. 3.

3 Bonitas vniuerſi conſiſtit in ſingulis, & in toto, & hoc dicitur Gen. 1. Prius enim dicitur de ſingulis, Vidit Deus, quod eſſet bonum. Poſterius verò, vidit Deus cũcta &c. ſed bonitatem conſequitur pulchritudo: ergo pulchritudo conſiſtit in ijs duobus: ſed vtraq; pulchritudo ſine incarnatione poterat eſſe: ergo incarnatio non eſt de cõferentibus pulchritudinem. Alex. ibi art. 4.

4 Dicitur Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Sed ſummo bono non poteſt non complacere illud, quod eſt valde bonũ, cùm ergo homo inter creaturas cæteras inferiores principatum obtineret, videtur, quòd ipſe valde bonus eſſet, & per conſequens Deo acceptus. Alex. ead. q. 81. vel 91. m. 1. a. 3.

5 Gen. 1. dicitur, Vidit Deus cuncta &c. Sed mala actio non eſt valde bona, etiam in quantum actio, ergo non eſt à Deo facta. Alex. ead. q. 94. m. 3. a. 6.

6 Cùm dictum eſt Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. in hoc cõprehenditur quicquid eſt in vniuerſo: ſed malum nondum erat, ergo non pertinebat ad vniuerſum: & hoc dicitur ordinatum, quod ad vniuerſum pertinet: ergo malum non eſt ordinatum. Alex. ead. m. 7.

7. Bonum perficitur bonitate: ergo bonum particulare perficitur bonitate particulari, & bonum vniuerſale vniuerſali bonitate, ergo, cùm homo ſit bonum particulare, perficitur particulari bonitate, & cùm vniuerſum ſit bonũ vniuerſale, quia Gen. 1. habetur, vidit Deus cuncta &c. in vniuerſo erant valde bona, ergo vniuerſum perficitur bonitate vniuerſali. Sed ſumma bonitas eſt bonitas vniuerſalis: ergo magis cõpetit, quòd vniatur ſumma bonitas, quæ eſt Deus, vniuerſo, & vniuerſum cum illa, quàm homo. Alex. 3. p. q. 3. m. 7.

8 Id; quod eſt maximè, & valde bonum, non poteſt melius fieri: quia maximo nihil eſt maius. Sed ſicut Auguſt. dicit in Enchirid. Bona ſunt ſingula, quæ Deus fecit, ſed ſimul vniuerſa valde bona, quia ex omnibus conſiſtit vniuerſitatis admirabilis pulchritudo: ergo bonum vniuerſi non poteſt melius fieri à Deo. D. Tho. 1. p. q. 25. a. 6. arg. 3.

9 Gen. 1. dicitur, Vidit Deus cuncta &c. Sed creaturæ corporales ſunt malæ. Experimur enim eas in multis noxias, vt patet in multis ſerpentibus, in æſtu ſolis, & huiuſmodi. Ideo autem aliquid dicitur malum, quia nocet. Creaturæ igitur corporales non ſunt à Deo. D. Tho. ead. q. 65. a. 1. arg. 2.

10 Quantò aliquid eſt magis perfectum in bonitate, tantò magis eſt Deo ſimile. Sed totum vniuerſum eſt perfectius in bonitate, quàm homo. Quia, & ſi bona ſint ſingula, tamen ſimul omnia dicuntur valde bona Gen. 1. ergo totũ vniuerſum eſt ad imaginem Dei, & non ſolùm homo. D. Tho. ead. q. 93. a. 2. arg. 3.

11 Deus non eſt cauſſa, niſi bonorum, ſecundùm illud Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Si ergo à ſolo Deo voluntas hominis

minis moueretur, nunquam moueretur ad malum, cùm tamen voluntas ſit, qua peccatur, & rectè viuitur. Vt Auguſtinus dicit, Non igitur voluntas à ſolo Deo mouetur. D. Tho. 12. q. 9. a. 6. arg. 3.

12 Auguſt. dicit in Enchirid. quod Deus fecit ſingula bona, ſimul autem omnia valde bona, propter quod dicitur Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. ipſa ergo creaturarum vniuerſitas eſt valde bona, & optima. Optimi enim eſt optima adducere ſecundùm Platonem. Sed melius eſt, quòd non indiget aliquo exteriori ad ſui conſeruationem, eo, quòd indiget, ergo vniuerſitas creaturarum non indiget aliquo exteriori conſeruante. D. Tho: de potent. q. 5. a. 1. arg. 14.

13 Bonum vniuerſi eſt bonum ordinis, ad quem pertinet curſus naturalium rerum. Sed Deus non poteſt facere contrà bonum vniuerſi, quia ex ſua bonitate ſumma prouenit, quòd omnia ſint valde bona ſecundùm ordinem vniuerſi: ergo Deus non poteſt facere contrà curſum naturalium rerum. D. Tho. de potent. q. 6. a. 1. arg. 7.

14 Inconueniens eſt, vt maius bonum dimittatur pro minori bono, ſed bonum vniuerſi eſt maius, quàm aliquod bonum particulare cuiuſcunque. Vnde Auguſtinus dicit, quod Deus fecit bona etiam ſingula, ſimul autem omnia valde bona propter ordinem vniuerſi: ergo inconueniens eſt, quòd propter ſalutem alicuius hominis, vel alicuius gentis, Deus mutet curſum naturæ, qui pertinet ad ordinem vniuerſi, in quo bonum eius conſiſtit. D. Tho. eo loci arg. 21.

15 Dicitur Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Sed res non eſt valde bona, in qua eſt malum, ergo in nulla re à Deo facta eſt malum, ſed omne quod eſt, à Deo factum eſt, ergo in nulla re eſt malum. Ric. 2. d. 34. q. 2.

16 Artifex complacet ſibi in ſuo opere, in quo defectus non eſt, talis fuit homo in ſtatu naturę conditæ, ſecundùm illud Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Ergo in illo ſtatu abſque dono gratię erat acceptus Deo. Gabri. 2. d. 29. q. vnic. a. 3.

CON-

CONCLVSIONES.

1 DEVS *habet propriam cognitionem de omnibus rebus.*] Hoc etiam auctoritate Scripturæ Canonicæ edocemur. Dicitur nanque Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. D. Tho. contrà Gent. l. 1. c. 51. Etenim quicunq; cognoſcit perfectè aliquid, cognoſcit omnia, quæ ſunt in illo, ſed Deus cognoſcit ſeipſum perfectè: ergo cognoſcit omnia, quæ ſunt in ipſo ſecundùm potentiam actiuam: ſed omnia ſecundùm proprias formas ſunt in ipſo ſecundùm potentiam actiuam, cum ipſe ſit omnis entis principium: ipſe igitur habet cognitionem propriam de omnibus rebus. Rurſum, quicunq; ſcit aliquam naturã, ſcit an illa natura ſit cõmunicabilis; non enim animalis naturam ſciret perfectè, qui neſciret eam pluribus communicabilem eſſe: diuina autem natura communicabilis eſt per ſimilitudinem: Scit ergo Deus quot modis eius eſſentiæ aliquid ſimile eſſe poteſt: ſed ex hoc ſunt diuerſitates formarum, quia diuinam eſſentiã res diuerſimodè imitãtur (vnde philoſophus formam naturalem diuinũ quoddam nominat) Deus igitur de rebus habet cognitionem ſecundùm proprias formas. Hæc ille.

2 ¶ *Voluntas diuina ad ſingularia bona ſe extendit.*] Bonum intellectum inquantum huiuſmodi eſt volitũ, ſed Deus intelligit etiam particularia bona, vt probatum eſt, vult igitur etiam particularia bona. Hoc autem auctoritate Scripturæ confirmatur, quę Gen. 1. ad ſingula opera complacentiam diuinæ voluntatis oſtendit dicens, Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona, ſimiliter de alijs operibus, & poſteà de omnibus ſimul: Vidit Deus cuncta &c. D. Tho. eod. cap. 79.

3 ¶ *Diuerſitas eſt in rebus ex propria Dei intentione.* Operi à ſummo Bono artifice facto nõ debuit deeſſe ſumma perfectio, ſed bonum ordinis diuerſorum eſt melius quolibet illo-

illorum ordinatorum per ſe ſumpto. Eſt enim formale reſpectu ſingulorum, ſicut perfectio totius reſpectu partium: Non debuit ergo bonum ordinis operi Dei deeſſe: hoc autē bonū eſſe non poſſet, ſi diuerſitas, & inæqualitas creaturarum non fuiſſet: eſt igitur diuerſitas, & inæqualitas in rebus creatis non à caſu, non propter materiæ diuerſitatem, non propter interuentum aliquarum cauſſarum, vel meritorum, ſed ex propria Dei intentione, perfectionem creaturæ dare volentis, qualē poſſibile erat eā habere. Hinc eſt, quod dicitur Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. cùm de ſingulis dixiſſet, quòd ſunt bona, quia ſingula quidem ſunt in ſuis naturis bona, ſimul autem omnia valde bona propter ordinem vniuerſi: quæ eſt vltima, & nobiliſſima perfectio in rebus. D. Tho. contrà Gent. l. 2. c. 45.

4 ¶ *Deus ſua prouidentia gubernat vniuerſa.*] Deus res omnes in eſſe produxit non ex neceſſitate naturæ, ſed per intellectum, & voluntatem: Intellectus autem, & voluntatis ipſius non poteſt eſſe alius finis vltimus, niſi bonitas eius, vt ſcilicet, eam rebus communicaret, res autem participant diuinam bonitatem per modum ſimilitudinis inquantum ipſæ ſunt bonæ: Id autem, quod eſt maximè bonum in rebus creatis, eſt bonum ordinis vniuerſi, quod eſt maximè perfectum, vt philoſophus dicit. Cui etiam conſonat diuina Scriptura, Gen. 1. cùm dicitur: Vidit Deus cuncta &c. cùm de ſingulis operibus dixiſſet ſimpliciter, quòd erant bona. Bonum igitur ordinis rerum creatarum à Deo eſt id, quod eſt præcipuè volitum, & intentum à Deo: nihil autē aliud eſt gubernare aliquam rem, quàm ei ordinem imponere: ipſe igitur Deus omnia ſuo intellectu, & volūtate gubernat. D. Tho. contrà Gent. l. 3. c. 64.

5 ¶ *Sicut Sapientia Dei eſt cauſſa diſtinctionis rerum, ità & inæqualitatis.*] Duplex diſtinctio inuenitur in rebus. Vna formalis, in ijs, quæ differunt ſpecie, alia verò materialis, in ijs, quæ differunt numero tantùm. Cùm autem materia ſit propter formam; diſtinctio materialis eſt propter formalem

lem. Vnde videmus, quòd in rebus incorruptibilibus non eſt niſi vnum indiuiduum vnius ſpeciei, quia ſpecies ſufficienter conſeruatur in vno. In generabilibus autem, & corruptibilibus ſunt multa indiuidua vnius ſpeciei ad conſeruationem ſpeciei. Ex quo patet, quòd principalior eſt diſtinctio formalis, quàm materialis. Diſtinctio autem formalis ſemper requirit inæqualitatem: quia vt dicitur in 8. Metaph. formæ rerum ſunt, ſicut numeri, in quibus ſpecies variantur per additionem, vel ſubtractionem vnitatis. Vnde in rebus naturalibus gradatim ſpecies ordinatæ eſſe videntur; Sicut mixta perfectiora ſunt elementis, & plantæ corporibus mineralibus, & animalia plantis, & homines alijs animalibus, & in ſingulis horum vna ſpecies perfectior alijs inuenitur. Sicut ergo diuina ſapientia cauſſa eſt diſtinctionis rerũ propter perfectionem vniuerſi, ità, & inæqualitatis. Non enim eſſet perfectum vniuerſum, ſi tantum vnus gradus bonitatis inueniretur in rebus. Quòd ſi dixeris. Optimi eſt optima adducere, ſed inter optima vnum non eſt maius altero. Ergo Dei, qui eſt optimus, eſt omnia æqualia facere. Reſpondebitur, optimi agentis eſſe producere totũ effectum ſuum optimum, non tamen, quòd quamlibet partem totius faciat optimam ſimpliciter, ſed optimam ſecundùm proportionem ad totum. Tolleretur enim bonitas animalis, ſi quælibet pars eius, oculi haberet dignitatem. Sic igitur, & Deus totum vniuerſum conſtituit optimum ſecundùm modum creaturæ, non autem ſingulis creaturas, ſed vnam alia meliorem. Et ideo de ſingulis creaturis dicitur Gen. 1. Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona, & ſimiliter de ſingulis. Sed de omnibus ſimul dicitur, Vidit Deus cuncta &c. D. Tho. 1. p. q. 47. a. 2. Vide notata ſuper illud, vidit Deus lucem. Conc. 1.

6 ¶ *Deus diligit omnem creaturam.*] Gen. 1. dicitur, Vidit Deus cuncta &c. Sed ſummum bonum non poteſt non diligere bona, ergo Deus diligit omnem creaturã. D. Bon. 3. d. 32. q. 2. Adnotat, quòd Deus non dicitur creaturã diligere

ligere ratione affectionis, ſed ratione communicationis alicuius boni, ità quòd dilectio Dei potiùs dicitur eſſe dilectio effectus, quàm affectus. Communicatio autem diuinę bonitatis attenditur in duplici genere effectus, videlicet, in effectibus naturæ, & effectibus gratiæ. Effectus naturę omnibus eſt communis: effectus verò gratiæ non: hinc eſt, quòd dilectio Dei quantùm ad effectum naturę, eſt omnibus communis, & generalis, & ſecundùm hunc dicitur diligere omnem creaturam. Quantùm ad effectum gratiæ eſt ſpecialis: & quantum ad iſtum quoſdam diligit, quoſdam odit; quia quidam in ſe habent effectum gratiæ, quidam defectum culpæ, & pœnæ. Illa verò prępoſitio; Deus omnia, quę diligit, ex charitate diligit, dupliciter intelligitur. Aut ità, quòd hęc prępoſitio ex, dicat habitudinem principij motiui, & productiui reſpectu effectus creati: & ſic omnia, quę diligit, ex charitate diligit: charitas enim Dei principium eſt omnium effectuum, quos producit. Aut ità, quòd non ſolùm dicat habitudinē principij producentis, verum etiam exemplaris repræſentantis: & ſic ſolùm illos ex charitate diligit, quibus communicat charitatem creatam, cuius illa ſuprema charitas eſt exemplar. Nam charitas increata eſt exemplar charitatis creatæ ſub ratione charitatis, aliorum verò non eſt exemplar ſub hac ratione. Hæc ille.

7 ¶ *Deus non potuit vniuerſū facere melius, quantū ad ordinem partium.*] Gen. 1. dicitur, Vidit Deus cūcta, &c. & erant valde bona, vbi Gloſſa Auguſt. Singula quæq; bona in sè, ſed in vniuerſo optima, ſed optimo nihil melius, non ergo mundum potuit facere meliorem quantum ad ordinē partium. Item Auguſtinus dicit, quòd quamuis alius modus noſtræ liberationis eſſet Deo poſſibilis, nullus tamen fuit noſtræ leuandæ miſeriæ congruentior: ſed ſicut Deus fuit ſapientiſſimus redemptor, ità & ſapiētiſſimus conditor, ergo ſi ordinatiſſimè redemit, ità quòd nullus modus melior, vel congruētior eſſe potuit, ſimiliter ſe habuit in faciendo res, & ſic non potuit facere melius. Bon. 1. d. 44. q. 3.

Qui

Qui etiam obſeruat, quòd quamuis aliquid non ſit optimũ in ſe, tamen optimè ordinatur, & exemplum habetur in partibus corporis,& in re artificialli,in qua eſt conſonantia, & harmonia,ſicut in cithara. Quãuis enim nobilior ſit ſitus oculi,quàm pedis, tamen ſi conſideremus vtrunq; ſecũdùm ſuũ officiũ, tã oculus,quã pes,optimè ſituati ſunt in toto,ità quòd nec oculus melius pede, neq; è conuersò. Et ità dicit Auguſt. ſuper Ioan.Quòd ſicut Angelus optimè in cælo,ità vermiculus optimè in imo, ſiue in terra.Et ſimiliter apparet in cithara, poſſunt enim omnes chordę ità proportionari, quòd ſi aliqua tendatur, vt detur ei melior ſonus,nunquam remanebit conſonantia. Similiter dictiones poſſunt ordinari ad faciendum verſum, ità quòd ex illis dictionibus impoſſibile eſt fieri verſum meliùs ordinatum: ſic in propoſito intelligendum. Hæc ille. Dictum eſt quantum ad ordinem partium,quia altera quæſtio eſt,An potuerit Deus facere mundum meliorem quo ad ſubſtantiam partium integrãtium, vel quantùm ad proprietates. De quo erit ſermo Iſa. 30. ſuper illud. Erit lux lunę, ſicut lux Solis. Concordat Alb. 1.p.q.77.m.3.Poteſt (inquit) conſiderari creatura ſecùndùm bonum inhærens ſibi, & ſecundùm comparationẽ ad bonum, à quo denominatur, & in comparatione ad vniuerſum. Si conſideratur in ſe, & ſecundùm bonum formaliter ſibi inhęrens. Non eſt dubium quin omne creatum poſſit fieri meliùs, quam eſt. Omne enim finitũ habet quo creſcat, bonum enim dicitur per modum, ſpeciem, & ordinem, vt dicit Auguſt.& poteſt habere meliorem ſpeciem, meliorem modum, & meliorem ordinem. Si autem conſideratur ſecundùm comparationem ad bonum, à quo denominatur, tunc, ſicut in tractatu de bono determinatum eſt, bonum dicitur, quòd a bono eſt plantatum in bono, & ordinatum ad bonum, & quia eſt a bono, eſt bonum, vt dicit Boetius, & quia plantatur in bono, eſt valde bonum Gen. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, & quia ordinatum ad bonum, eſt perfectum bonum, vt

dicit

dicit Dion. Si autem conſideretur in ſe, meliùs fieri poteſt, vt dictum eſt. In priori autem conſideratione, quæ dicta eſt, & in comparatione ad vniuerſum melior eſſe non poteſt, nec fieri. Non enim poteſt denominari à meliori, quã eſt primum, & ſummum bonum, ſic enim fit ab optima Sapientia, & efficaciſſima potentia, & dulciſſima voluntate Creatoris, quibus maius, & melius cogitari non poteſt. In comparatione autem ad vniuerſum optimum eſt, & melius fieri non poteſt ſecundùm ſtatum, & ordinem, & actum ſuum, quem habet in vniuerſo, & quo congruit vniuerſo. Sic enim bonum vniuerſi, vt dicit Ariſtot. in x i. primę philoſophiæ, eſt in primo omniũ principio, ſicut in Duce exercitus. Dux enim exercitus non ſequitur bonum victoriæ, & gloriam, niſi per pugnam militis, miles non pugnat, niſi habeat arma impugnationis; & defenſionis; quæ fiunt, & aptantur militi ab armorum opifice, nec vehitur in pugna, niſi equo præparato, qui paratur ab equeſtri potentia, quæ à ciuili philoſopho vocatur mareſcalcia, nec confortatur viribus, niſi cibo præparato à coquo. Vnde vnum quodque iſtorum in ordine exercitus optimum eſt in ſtatu ſuo, nec poſſet eſſe melius: ſine quolibet enim iſtorum perit bonum Ducis exercitus. Et ità eſt in ordine vniuerſi vnum quodq; optimum ſuo loco, & ſuo ordine poſitum, nec poſſet eſſe melius, quàm eſt ſecundùm ordinẽ illum. Hæc ille. Alex. 3.p.q.26. m. 3. Quodlibet, inquit, in ſe eſt bonum, ſed in vniuerſo eſt valde bonum, quod poteſt intelligi dupliciter, Vel reſpiciendo ordinem, vt nunc, vel reſpiciendo ordinem ſimpliciter, ſecundum quòd comprehendit totam ſeriem ordinis præſentium, pręteritorum, & futurorum, quia res, quæ pręſens eſt, adhuc habet ordinem ad rem præteritam, & ad aliam rem futuram. Si reſpiciamus ordinem, vt nunc, adhuc non eſt dicere, quòd omnia ſint valde bona in vniuerſo, quoniam poſſunt eſſe meliora: & ſicut bonum eſt, quòd omnia ſint optima, non in ſingulari, ſed in ordine vniuerſi, prout dictum eſt, ità iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima,

iuxtà

iuxtà illud Auguſt. 1. de lib. arb. vt breuiter legis æternę nomen explicem, ea eſt, qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima. Hæc ille.

8 ¶ *Malum non facit ad complementum, ſeu perfectionem vniuerſi.*] Gen. 1. dicitur, Vidit &c. & erant valde bona. & non fecerat mala. Conſtat ergo quòd abſq; malis erant omnia valde bona in vniuerſo. Sed vniuerſum non eſſet valde bonum ſi deeſſet ei perfectio, cùm ergo deeſſet ei malũ, videtur, quòd malum non ſit de eius perfectione. D. Bon. eod. d. 46. q. vlt. Obſeruat præterea, quòd vniuerſi perfectio, ſiue decor, quidam eſt ſubſtantialis, ſiue quantùm ad eſſe, quidam accidentalis, ſiue quantùm ad bene eſſe. Ad primum decorem mala non faciunt nec per ſe, nec per accidens. Sed quantum ad aliquem decorem accidentalem mala bene ordinata faciunt, non quia mala, ſed quia bene ordinata, & ità per accidens, ſicut per accidens ordinantur. Et illo decore circunſcripto, adhuc eſſet vniuerſum decorum, & perfectum, quamuis hunc decorem non haberet. Ad hunc decorem faciunt mala non ratione ſui, ſed ratione ſubiecti, quod ordinatur in pœnam ad diuinæ iuſtitiæ manifeſtationem. Vel ratione oppoſiti, cuius decor magis clareſcit ex præſentia mali, ſicut oppoſita iuxtà ſe poſita magis clareſcunt, ſicut cõmuniter dicitur. Vel ratione boni eliciti, multa enim bona Deus fecit, & facta ſunt, quæ non eſſent facta, niſi peccatum prętitiſſet occaſionẽ, ſicut illa, quæ geſta ſunt in noſtra reparatione, tamen ſine his omnibus eſſet vniuerſum completum. Si verò quæratur, vtrum tunc eſſet pulchrius, quàm nunc. Sic reſponderi poteſt, quod ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa, ſicut duæ facies, in quarum vna nulla eſt macula, in altera eſt cicatrix aliqua bene ſita, quæ videtur faciem venuſtare. Et ſi vltrà procedas, quis decor magis excedit: Poteſt dici ſine pręiudicio, quòd decor qui nunc eſt: & ratio huius eſt, quia vis diuina, eliciens bonum ex malo, præpotens eſt malo, & ideo bonum, quod inde elicit, præualet bono, quod malum corrumpit, & ideo plus

valet vniuerſum nunc, quàm valuiſſet tunc, in quo nunc modò commendatur Sapientia Creatoris. Vnde Gregorius in benedictione cærei Paſchalis. O felix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem. Et exemplum eſt de ſcypho ſano, qui frangitur,& religatur filo argenteo,vel aureo,quia melior eſt poſt, quam ante, non ratione fractionis, ſed ratione religationis. Et ſi quæras à me, Non ne melius eſſet, ſi omnes eſſent beati, quàm quòd quidam beati, quidam miſeri? Dicendum, ſicut credo, ſi homo ſtetiſſet non perueniſſent plures ad Hieruſalem ſupernam, quàm ſic peruenturi ſunt. Vnde mali quaſi ex abundanti ſunt,nec ſunt in computatione. Et ſic concedendum,quòd ordinatio mali facit ad complementum accidentale, ſed ad complementum, ſiue decorem ſubſtantialem, nec per ſe, nec per accidens. Per ſe verò ad nullum. Hęc ille. Diſcrepat in parte. D. Tho. ead. diſt. a. 3. in ſolutione ſexti. De omnibus malis (inquit) vniuerſaliter verum eſt, quòd ſi non permitterentur eſſe, vniuerſum imperfectius eſſet, quia non eſſent naturæ illæ, ex quarum conditione eſt, vt poſſint deficere, quibus ſubtractis, vniuerſum imperfectius eſſet, non impletis omnibus gradibus bonitatis. Sed aliqua mala ſunt, quæ ſi non eſſent, vniuerſum eſſet imperfectius, illa, ſcilicet, ad quæ conſequitur maior perfectio, quàm illud, quod priuatur, ſicut eſt corruptio elementorum, ad quam ſequitur mixtio, & formæ mixtorum nobiliores formis elementorum. Quędam verò mala ſunt, quæ ſi non eſſent, vniuerſum perfectius eſſet, illa ſcilicet, quibus maiores perfectiones priuantur, quam in alio acquirantur, ſicut pręcipuè eſt in malis culpæ, quæ ab vno priuant gratiam, & gloriã, & alteri conferunt bonum comparationis, vel aliquam rationem perfectionis, qua etiam non habita, poſſet perfectio vltima haberi, ſicut ſine patientię actu in perſecutionibus illatis poteſt aliquis ad vitam æternam peruenire. Vnde ſi nullus homo peccaſſet,vniuerſum genus humanum melius foret,quia etiam & ſi indirectè ſalus vnius occaſionetur ex culpa alterius

terius, tamen ſine illa culpa ſalutem conſequi poſſet. Nec tamen hæc mala, neque illa per ſe àd perfectionem faciunt vniuerſi, quia perfectionum non ſunt cauſſæ, ſed occaſiones. Hæc ille. Ric. autem ead. diſt. q. vlt. concordat cum. D. Bon. Alex. quoque 1. p. q. 18. m. 10. a. 2. ità arguit; Albius eſt, quod eſt nigro impermixtius: ergo melius, quod malo impermixtius. Reſpondet, quòd non eſt ſimile, nam omne album eſt eiuſdem rationis, bonum verò eſſe non eſt eiuſdem rationis, cùm dicitur de bonis ſingulis, & de vniuerſitate bonorum. Vnde quamuis teneat illa comparatio de bonis ſingulis, quod tantò meliùs, quantò impermixtius, non tamen tenet in vniuerſitate bonorũ. Quod declaratur ex illo Auguſtini in libro de nat. boni. Sicut nos continendo vocem decenter interponimus in loquendo ſilentium, quantò magis ille, ſcilicet, Deus quarumdam rerum priuationes decenter eſſe facit: ſicut rerum omnium perfectus artifex. Ex quo oſtenditur, quòd ſicut ſermonis decentia maior eſt interpoſitione ſilentij, quàm ſi continuè proferretur: ſic vniuerſitatis pulchritudo maior eſt ex interpoſitione bene ordinatorum malorum. Hæc ille.

9 ¶ *Malum non habet rationem entis.* Si malum eſſet ens, eſſet à primo ente, à quo ſunt omnia entia, ſed à primò ente non eſt aliquod malum, iuxtà illud Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Ergo malum non habet rationem entis, Aegid. 2. d. 34. q. 1. a. 2. Vel ſic, omne eſſe, quocunq; modo ſit, eſt à Deo, Deus autem eſt perfecta bonitas, cum igitur boni effectus malũ eſſe non poſſit, impoſſibile eſt aliquod ens, inquantum ens eſſe malum. Hinc eſt, quòd Geneſeos primo dicitur, Vidit Deus cuncta &c. D. Tho. 3. contrà Gent. cap. 7. Sicut Album, ità & malum dicitur dupliciter. Vno enim modo cùm dicitur, album, poteſt intelligi illud, quod eſt albedini ſubiectum; Alio modo album dicitur id, quod eſt album inquantum eſt album, ſcilicet, ipſum accidens. Et ſimiliter malum vno modo poteſt intelligi id, quod eſt

ſubiectum mali, & hoc eſt aliquid. Alio modo poteſt intelligi ipſum malum, & hoc, non eſt aliquid: ſed eſt ipſa priuatio alicuius particularis boni. D. Tho. de Mal. q. 1. a. 1.

10 ¶ *Diabolus non eſt creatus malus.*] Dicitur Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. ſed conſtat, quòd Diabolum fecit ſecundùm eſſe angelicæ naturæ, ergo à factura Dei nō habuit, niſi quòd valde bonus fuit. Alb. 2. p. q 18. m. 2. Vel, vidit Deus &c. ergo cùm valde bonum ſupponat bonum, cuncta quæ Deus fecit, erant bona, ergo nihil malum, ergo Diabolus non eſt factus malus. D. Bon. 2. d. 3. a. 3. q. 1.

11 ¶ *Subſtantia intellectualis, cuius auxilio magicæ artes vtuntur, non eſt mala ſecundum ſuam naturam.*] Nulla potentia cognoſcitiua deficit à cognitione ſui obiecti, niſi propter aliquem defectum, aut còrruptionem ſuam, cùm ſecundùm propriam rationem ad cognitionem talis obiecti ordinetur. Sicut viſus non deficit à cognitione coloris, niſi aliqua corruptione circà ipſum exiſtente. Omnis autem defectus, & corruptio eſt præter naturam, quia natura intendit eſſe, & perfectionem rei: impoſſibile eſt igitur, quòd ſit aliqua virtus cognoſcitiua, quæ naturaliter deficiat à recto iudicio ſui obiecti; proprium autem obiectum intellectus eſt verum: impoſſibile eſt igitur, quòd ſit aliquis intellectus naturaliter circà cognitionem veri oberrans: neque igitur voluntas aliqua naturaliter poteſt à bono deficere. Hoc etiam auctoritate ſacræ Scripturæ confirmatur, dicitur enim 1. Thi. 4. Omnis creatura Dei bona: Vnde Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. D. Tho. contrà Gent. l. 3. cap. 107.

12 ¶ *Diabolus in primo inſtanti non peccauit.*] Dicitur Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Inter ea autem erant etiam Dæmones: Ergo & dæmones àliquando fuerunt boni. D. Tho. 1. p. q. 63. a. 5. Vel ſic, Vidit Deus &c. Ergo ſaltem pro illo inſtanti nulla erat malitia in angelo, ergo in primo inſtanti non peccauit, Tho. Argent. 2. d. 6. a. 3. Hæc cōcluſio adeò certa eſt, vt oppoſitum damnetur tanquam error à D. Tho. loco cit. & de Mal. q. 16. a. 4. & à D. Bon. 2. d. 3. q. 2. Et di-

cit,

cit, quòd fuit damnatum vt erroneum à Magiſtris Parriſienſibus. Et omnes Theologi conueniunt in hac concluſione.

Cęterum vtrùm peccare potuerit, manet in opinione, & diſputatione Theologorum. Affirmat Doct.Subt.2.d.5.q.2. Greg. Arim. ibidem q.1.a.2. & Gabriel eod.d.4.a.3.Negat. D. Tho. quem ſequitur Dur. d.5.q.2.Conſentiunt. D. Bon. ead. a. 2.q.2. Alex. 2.p.q.109.m. ij. & Henri. Quodl. 8. q. 9.10. & ij. Aegid.d.3.Tho.Argent.vbi ſuprà. Et quamuis in aſſignanda ratione magna ſit opinionum varietas, mihi tamen placet illa, quam. D.Tho.cit. art. aſſignat. Vult enim primam operationẽ, quæ incipit cum eſſe rei, neceſſariò eſſe ſecundùm inclinationem naturæ, & ipſius eſſe; quod recipit creatura ab auctore ſuo, ſiue illud eſſe ſit naturale, ſiue eſſe gratiæ. Et quoniam in primo inſtanti ſui eſſe non poteſt habere aliam inclinationem, vel diſpoſitionem ad operandum,niſi illam, quam ab auctore recipit:ideo quicquid operatur, debet eſſe conformæ inclinationi, & principijs, quæ ab auctore naturę ſibi collata ſunt. Vnde colligitur, quod etiam ſi operatio procedat à libero arbitrio, tamen debet eſſe ſecundùm naturalem inclinationem liberi arbitrij, etiam in quantum liberum arbitrium eſt, cuius naturalis inclinatio non eſt ad malum, quamuis ſit cum indifferentia naturali ad hoc, vel ad aliud bonum. Ex quibus colligitur, quòd ſi tunc, quando primo creatus eſt Angelus, peccaret, peccatum illud eſſet conforme naturalibus principijs ſibi datis à Deo, atque adeò Deus eſſet cauſſa peccati. Quemadmodum,ſi cum primùm Adam creatus eſt inciperet claudicare, illa operatio claudicationis, quamuis tribueretur homini habenti principium motus, ſiue inſtrumentum defectuoſum, tamẽ etiam ipſe Creator diceretur cauſſa illius claudicationis: quia claudicatio demanaret ſecundùm principium datum ab auctore naturæ. Sic ergo prima angeli operatio non potuit non eſſe conformis inclinationi, & diſpoſitioni collatę ab auctore naturæ, ac proinde potuit quidem eſſe bona, quia ab auctore naturæ bonam inclinationem, bona

namq́; diſpoſitionē neceſſariò recepit. Non potuit autē eſſe mala cū deordinatione ab vltimo fine, quoniā vt ſic non poterat eſſe conformis inclinationi, & principijs collatis à Deo.

13 ¶ *In beatitudine, quatenus accipitur p̄ ſtatu perfecto priuatione omnis mali culpæ, & pœnæ, fuerunt omnes angeli creati.*] Omnes fuerunt creati Innocentes, & ità ſine malo culpæ, & per conſequens ſine malo pœnæ. Non enim Deus prius eſt vltor, quam ſit aliquis peccator. Antecedens patet, quia nullus Angelus in culpa creatus eſt: quia non potuit creator optimus auctor mali eſſe. Fuit autem auctor omnium, quæ in creatione receperunt, non ergo creati ſunt in culpa. Vnde Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. igitur boni erant omnes angeli, quos fecerat, bonitate Innocentiæ, quę omnem excludit culpam. Gabri. 2.d.4.a.1. Beatitudo dupliciter accipi poteſt; vno modo, propriè, pro ſtatu perfecto plenitudine omnis boni, quomodo diffinit eam Boet. 3. de conſol. proſſ.ij. Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Hæc includit clarā Dei viſionem, perfectam fruitionem, & firmam tentionem. Alio modo accipitur, pro ſtatu perfecto priuatione omnis mali pœnæ, & culpæ. Priori modo, nullus, poſteriori, omnes angeli fuerūt creati beati, vt dicit concluſio. D.Bon. cit. diſt. q.1.

14 ¶ *Perfectio creaturæ ſaltem eſſentialis, & non partialis, non diſtinguitur à creatura.*] Quælibet creatura perfecta eſt, ſaltem in ſuo genere, ſecundùm illud Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. ergo eſſet proceſſus in infinitum: niſi daretur aliqua creatura, quæ eſſet perfecta non per aliquid ſuperadditum. Et qua ratione vna, eadem ratione quælibet alia. Gabri. 1.d.36. q. vni. Dicitur notanter eſſentialis, & non partialis, quia virtus eſt perfectio hominis accidentalis, & forma ſubſtantialis eſt perfectio hominis eſſentialis, & tamen diſtinguitur ab homine. Hęc ille.

15 ¶ *Angelus naturaliter plus diligit Deum, quam ſeipſum.*] Inter cætera maximum bonum eſt bonum ordinis, loquendo de bono creato. Propter quod Auguſt. 3. ſuper Gen.

ad litteram circà finem ait; Quod ſingula bona ſunt in vniuerſo, omnia autem valde bona. & ſubdit: Non enim fruſtrà eſt additum, Valde, quia & corporis membra, ſi etiã ſingula pulchra ſunt, multò tamen in vniuerſa compage corporis ſunt omnia pulchriora. Et ibidem ſubdit, quòd nõ diceremus oculum tam pulchrum ſeparatum à corpore, ſicut dicimus in illa connexione membrorum, cùm in ſuo loco ipſum cernimus eſſe poſitum. Naturale autem eſt, quòd res magis diligat, quod eſt magis bonum ſuum, & quia maius eſt bonum ſuum in toto, quàm in ſeipſa, eo quod pulchrior ſit pars in toto, quam in ſeipſa, & ideo conſequens eſt, quòd res naturali dilectione magis debeat ſe diligere in toto, & per conſequens ipſum totum, ſine quo non poſſet eſſe in toto, quam ſeipſam, & in ſeipſa, eò quòd pulchrior ſit pars in toto, quàm in ſeipſa. Cùm ergo bonum ordinis, & bonum vniuerſi per amplius reſeruetur in bono Ducis, & in bono diuino, ſi ipſum bonum totius, quod eſt bonum ordinis, debet magis diligere pars, quam ſeipſam, conſequens eſt, quòd multò magis debet diligere bonum ducis, & bonum diuinum, in quo per amplius reſeruatur bonũ ordinis. Et per conſequens Angelus naturali dilectione plus diligit Deum, quàm ſeipſum. Aegid. 2. diſt. 3. q. 3. a. 1.

16 ¶ *Animæ non ſunt à principio creatæ, & poſteà ex diuina ordinatione corporibus vnitæ.*] Vnũ quodq; Deus inſtituit ſecundùm conuenientem modum ſuæ naturæ, vnde & Gen. 1. de ſingulis creatis dicitur, Vidit Deus, quòd eſſet bonum, & ſimul de omnibus, Vidit Deus cuncta, &c. Si igitur animas creauit à corporibus ſeparatas, oportet dicere, quòd hic modus eſſendi ſit conuenientior naturæ earum: non eſt autem ad ordinationem diuinæ bonitatis pertinens res ad inferiorem ſtatum reducere, ſed magis ad meliorem promouere, non igitur ex diuina ordinatione factum fuiſſet, quòd anima corpori vniretur. Prætereà, non pertinet ad ordinẽ diuinæ ſapientiæ cum ſuperiorum detrimento ea, quę ſunt infima, nobilitare: Infima autem in rerum ordine ſunt cor

pora generabilia, & corruptibilia: nõ igitur fuiſſet cõueniens ordini diuinæ ſapientiæ ad nobilitandum humana corpora animas præexiſtentes eis vnire: cùm hoc ſine detrimento earum eſſe non poſſit. D.Tho. contrà Gent.l.2.c.83.

17 ¶ *Conueniens fuit, vt anima rationalis corpori terreno vni retur.*] Dicitur Eccl. 17. Deus de terra creauit hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum; ſed opera Dei ſunt conuenientia, dicitur enim Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Ergo conueniens fuit, vt anima rationalis, in qua eſt Dei imago, corpori terreno vniretur. D. Tho. de Anima, quæſt. vnic. a. 8. in cont. De hoc inferius.

18 ¶ *Actus carnalis copulæ poteſt à peccato ſufficienter excuſa ri.*] Omni re bona poſſibile eſt vti ſine peccato, ſed matri monium acceptum cum incluſione fidei, prolis, & ſacramen ti eſt res bona: ergo &c. Maior patet, quia ſicut res, qua non cõtingit bene vti, illa non eſt bona, ſic &c. Minor etiam patet, quia matrimonium, cum incluſione prædictorum eſt à Deo inſtitutum, ſed omne a Deo inſtitutum eſt bonum: quia vidit Deus cuncta &c. Gen. 1 Ergo contingit actu car- nalis copulæ vti ſine peccato. Argent. 4.d. 31. a. 2.

19 ¶ *Eccleſiaſtici auctores etiam probatiſſimi non eodem gra- du, & loco ſunt omnes.*] Quemadmodum res à Deo con- ditę probatæ quidem fuere vniuerſę, Vidit enim Deus cun- cta, quę fecerat, & erant valde bona; Sed rerum varię, dif- ferenteſquè naturæ non eundem locum, vim, ſtabilitatem accepere. Nam ſunt corpora cæleſtia, & corpora terreſtria. Sed alia quidem cæleſtium gloria, alia terreſtrium. Alia cla ritas Solis, alia lunę, alia ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate 1. Cho. 15. Sic ſanè Scriptores eccleſia- ſtici probati ſunt, qui, ſcilicet, Spiritu Sancto illuſtrati, lu ce Eccleſiam ipſi illuſtrarunt. Sed alia tamen claritas Mat- thæi, alia Hieronymi, alia Iſaię, alia Ambroſij. Atq; au- ctores Canonici, vt ſuperni, cæleſtes, diuini, perpetuam, ſtabilemq; conſtantiam ſeruant. Reliqui verò Scriptores ſancti inferiores, & humani ſunt, deficiuntq; interdum, ac

mon-

monſtrum quandoq; pariunt, præter conuenientem ordinem, inſtitutumq́; nature. Melch. Can. de loc. Theolog. l. 7. c. 3.

QVAESITA.

CVR non dixit ſigillatim de homine, & vidit Deus, quòd eſſet bonum, cùm multò fortiùs melior ſit in genere ſuo rationalis creatura, quàm vegetabilis? Vt Innueret quid futurum eſſet de homine ſigillatim accepto: in vniuerſo tamen ſemper habuit bonitatem, & habet. Sed pari ratione dicendum eſſet de luce, per quam ſignatur Angelus, cùm Deus præuideret peccatum ipſius. Ad quod reſponderi poteſt, quòd factura lucis, licet taceretur eius commendatio propter hanc rationem quò ad Angelos apoſtatas, non tamen taceretur, quo ad commendationem corporalis lucis: non ſic autem de homine, qui totus peccauit. Aliam etiam aſſignant rationem, quare tantùm aſſignat bonũ hominis in vniuerſitate: homo enim eſt quaſi omnis creatura: & ideo facta commendatione aliorum, commendatur homo in illis: & præter hoc in vniuerſitate, eò quòd ſuperaddit perfectionem vniuerſi reſpectu illorum. Alex. 2. p. q. 55. m. 6. Concordat Alb. q. 65. fin.

NOTABILIA.

1 SOLET ſic argui. Conuenientius feciſſet dominus, ſi vni Sacramento effectus omnium dediſſet, quoniã tũc eſſet euidentior diuina potentia, ſiue virtus, & maior hominis libertas. Euidentior potentia, quia facilior eſſet operatio: facilitas enim operationis maioris potentiæ indiciũ eſt: Maior eſſet hominis libertas, quia non tot oneraretur ſarcinis, neque tot ſubijceret ſe creaturis, quod maxime videretur conueniens tempore gratiæ: tempus enim gratiæ eſt libertatis. Reſpondetur autem, quod cauſæ primæ non eſt ſolummodo, vt ſua potentia res ſint, ſed eius bonitatis eſt, vt bonæ ſint; & eius ſapientiæ, vt valde bone ſint. Quod

autem valde bonæ ſint, hoc habent ex eſſe ordinato in numero. Vnde Gen. 1. Vidit Deus cuncta &c. Vnde, licet manifeſtaretur diuina potentia euidentius, ſi vni ſacramento eſſet collata virtus generalis curandi, nihilominus per hoc deperiret aliquid bonitati ordinis rerum, quæ maximè eſt ex ordinatione rerum in numero. Conuenientius igitur fuit, quod vnum Sacramentum non ſufficeret, ſed plura requirerentur. Alex. 4. p.q.8.m.7.a. 1.

2 Per lecto Euangelio, liber, & Turibulum ad Pontificem reportantur; in ſignum, quod ad eum bona referenda ſunt, a quo procedunt 1. Paralip. vlt. quæ ſuſcepimus de manu tua dedimus tibi. Ipſe enim eſt alpha, & O, principium & finis. Apoc. 1. Epiſcopus autem thus odorat, & librum oſculatur, quia christus, quod dat, hoc acceptat, & remunerat. Sicut enim cuncta, quæ fecit, ſunt bona, Gen. 1. ſic nulla ſunt bona, niſi quę fecit, iuxta illud Ioa. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Alex. 4.p.q.37.§. 8. circ. fin. Cerimoniæ eccleſiæ vtinam intelligerentur, quia non contemnerentur: omnes quippè cerimoniæ ſunt quædam proteſtationes fidei. D. Tho. 1. 2. q. 103.a. 4. Quemadmodum enim ſenſus diſciplinæ ſunt duo, nimirū, viſus & auditus, ita eccleſia duobus modis legē vitæ & diſciplinæ ad corda noſtra tranſmittit, ſcilicet, cerimonijs, & verbis: cerimoniæ ad viſum, verba ad auditum referuntur.

AD ARGVMENTA.

ad 1 CVM dicitur, Vidit Deus cuncta &c. oſtenditur, quòd creatura duplicem bonitatem habet, ſcilicet, in ſe, & in ordine vniuerſi. Vnde in conditione creaturarum, de qualibet dictum eſt. Vidit Deus, quòd eſſet bonum, ad ſignificandum bonitatem, quam habet in proprio genere. Sed de vniuerſis dictum eſt: Erant valde bona, ad ſignificandum bonitatem, quam habent in rerum vniuerſitate. Quod verò obijcitur, vniuerſa vanitas: intelligendum, quòd creaturæ,

turæ, ſecundùm quod referuntur ad principium, à quo ſunt, bona ſunt, & in ſe bona ſunt. Secundùm verò, quòd referuntur ad originem, de qua ſunt, ſcilicet, de nihilo, vanitas ſunt, & vertibiles ad non eſſe, vel ſimpliciter, vel quodam modo. Per hoc ergo nunquam aſtructur aliud principium. Alex.

ad 2 Pulchritudinem vniuerſi ſecundùm triplicem ſtatum accipere poſſumus. Secundum primum ſtatum, in quo factus eſt mundus: & ad illius pulchritudinem non pertinent mirabilia. Quantùm verò ad ſecundum ſtatum, qui eſt poſt lapſum peccati, pertinent mirabilia: quia in illo fit reparatio naturæ deficientis ſecundùm diuerſos modos defectuum. Quantùm ad tertium ſtatum, qui pertinet ad innouationem mundi; pertinent mirabilia; & non miracula. Innouatio enim mundi, & eorum, quę pertinent ad mundum, ſuprà naturam erit, & ita mirabilis. Alex.

ad 3 Pulchritudo vniuerſi attenditur ſecundùm ea, quæ pertinent ad primarium ſtatum, qui erat ſtatus innocentiæ. Et ſecundùm hoc incarnatio non fuit ad pulchritudinem vniuerſi conferens. Attenditur etiam pulchritudo quantùm ad ſtatum gratię reparantis naturā lapſam; & quantùm ad hoc conferens eſt incarnatio ad pulchritudinem vniuerſi. Sed adhuc diſtinguendum, quòd ſtatus ille poteſt attendi in genere, vel ſecundùm optimum in ipſo, & decentiſſimum. Incarnatio ergo non fuit conferens ad pulchritudinem vniuerſi: vt ſine quo non potuit natura lapſa reparari, ſed ſine quo non potuit decentiſſimè. Alex.

ad 4 Conſentiunt Alex. D. Bon. 2.d.29.q.1. & Gabri. ead.d. 3. quod dupliciter contingit aliquid acceptari à Deo. Vno modo, quadam acceptatione generali, vt idem ſit acceptare aliquid, quod reputare bonum, & in bono conſeruare. Et hac acceptatione non tātum acceptatur creatura rationalis, ſed etiam omne opus Dei. Eſt etiam alia acceptatio ſpecialis, qua dicitur Deus acceptare illud, quod dignum reputatur æterna beatitudine, & tali acceptatione non acceptat

Deus, niſi creaturã rationalem: illa enim ſola eſt, quæ eius capax, & particeps eſſe poteſt. Hanc autem creaturam rationalem tunc acceptat, cum conſecrat in templum, & adoptat in filium, & aſſumit in coniugium. Nam animę ſanctæ, quæ Deo placent, & dicuntur templum Dei, & dicuntur filiæ Dei, & dicuntur ſponſæ Dei, ſecundùm quòd colligitur ex nouo, et veteri Teſtamento. Primum genus acceptationis nõ requirit ſuperaddi donum gratiæ vltrà ea, quæ ſunt de conditione naturæ. Secundùm vero genus acceptationis non poteſt non eſſe gratuitum, tum propter gratuitam Dei condeſcenſionem, tum propter creaturæ exaltationem vltrà terminos, ſiue ſtatus naturæ. Gratuita enim Dei condeſcenſio in huiuſmodi acceptatione neceſſariò requiritur. Quod enim Deus immenſus habitare velit in anima, vt in templo, quòd iterum velit ſeruũ reputare pro filio, quòd ancillam ſuam aſſumere velit in coniugium, hoc nemo dubitát eſſe meræ gratiæ, & condeſcenſionis liberaliſſimę. Creaturæ etiam ſublimatio in tali acceptatione vltra ſtatum naturę reperitur. Quòd enim creatura coſecretur in templum, adoptetur in filium, aſſumatur in coniugium, hoc eſt ſupranaturale complementum omnis creaturæ; & ideo nec conſecratio, nec adoptatio, nec vnio animę ad Deum fit per aliquam proprietatem naturę, ſed per aliquod donum gratiæ ſuperadditum, quod animam conſecret, vt ſit templum, aſſimilet, vt ſit Dei filia; quod faciem decoret animę, vt apta ſit eſſe Dei ſponſa. Hæc autem omnia facit gratia gratumfaciens, cui eſt adeò iuncta ſpiritualis venuſtas, vt nullo modo poſſit Deo diſſimilis fieri; adeò iuncta ſpiritualis venuſtas, vt nullo modo poſſit deformari: & ideo reddit animã Deo acceptam, & eſt ratio acceptandi ſecundùm illas tres proprietates prædictas, quę quidem conueniunt ei, non ſecundùm tropum, aut tranſumptionem; ſed ſecundùm veritatem, aut ſecundùm proprietatem. Et ſic patet, quòd homo in ſtatu Innocentię gratia gratum faciente indiguit ad hoc, vt Deo placeret. Hæc ille.

Mala

ad 5 Mala actio, ſecundùm quòd actio, eſt à Deo; ſed non ſecundùm quòd mala. Cùm verò obijcitur, Vidit Deus cũcta &c. dicendum, quòd illud non intelligitur ità, quòd ſingula ſint valde bona in ſe, ſed intelligitur de ipſo vniuerſo, quod eſt valde bonum. Et propter hoc non ſequitur, Si hoc non eſt valde bonum in ſe, quod non ſit à Deo. Alex. De hoc Aegid. 2. d. 37 q. 1. a. 3. Sicut in naturalibus (inquit) Deus aliqua opera fecit per ſe ipſum, & illa fuerunt opera ſex dierum, à quibus operibus Deus die ſeptimo requieuit. In talibus autem operibus non potuit eſſe defectus, quia omnia fuerunt facta, ſecundùm quòd voluit, iuxtà illud: omnia quæcunque voluit, fecit. Talia etiam opera nõ fuerunt defectiua, ſed perfecta, quia Dei perfecta ſunt opera. Sed eſt alius modus agendi ipſius Dei, etiam in iſtis naturalibus, prout producit ea mediantibus agentibus naturalibus: à quo modo agendi Deus nunquã quieſcit, quia omnes actiones agentium naturalium, ſunt a Deo, & reducuntur in Deũ. De quibus actibus loquitur Auguſt. 9. ſuper Gen. dicens, quòd natura agit interiori motu; nobiſq; occultiſſimo; cui tamen ſi Deus ſubtrahit operationem intimam, extincta remaneret operatio naturæ. In talibus ergo actionibus poteſt eſſe defectus, quia Deus facit illas actiones mediantibus agentibus naturalibus, quæ ſunt agentia defectiua. Erit ergò in talibus actionibus duo conſiderare, ipſas actiones, & defectus. Igitur, vt actiones ſunt, reducentur in primum agens, à quo eſt omnis actio: omnis motus, omnis operatio. Sed prout tales actiones ſunt defectiuæ, vel habent defectum annexum, non poſſunt reduci in Deum, vbi nullus poteſt eſſe defectus, ſed reducentur in agens proximum, quod eſt agens defectiuum, vbi poteſt eſſe defectus. Sic & in propoſito: Nam omnia opera noſtra operatur; iuxtà illud. Omnia opera noſtra operatus es Domine. Opera ergo, quę facit Deus in nobis immediatè per ſe ipſum, oportet, quòd (ſimpliciter loquendò) ſint bona. Sed opera, quæ operatur Deus mediante creatura rationali, quæ eſt agens defe-

ctiuum:

ctiuum: poſſunt eſſe defectiua, & mala, & habere rationem peccati, & culpæ. In talibus ergo eſt duo conſiderare, ipſas actiones, & ipſos defectus: ergo vt actiones ſunt, reducentur in Deum tanquam in primũ agens, ſed vt defectiuę ſunt, non poſſunt reduci in Deũ, vbi nullus poteſt eſſe defectus, ſed reducentur hoc modo in agens proximum, id eſt, in creaturam rationalem, vel in liberum arbitrium, quod eſt agens defectiuum, & vbi poteſt eſſe defectus. Si ergo quæratur: Vtrum peccata ſint à Deo, dici debet, quòd ſimpliciter loquendo, peccata non ſunt à Deo. Nam peccatum dicit actum defectiuum. Tunc ergo peccatum ſimpliciter eſſet à Deo, quando hoc totum, id eſt, actus defectiuus eſſet à Deo, ſed ſecundùm quid peccatum eſt à Deo, quia inquantum habet rationem actus, & rationem entis reducitur in primum agens, & in primum ens, quod eſt Deus, à quo ſunt omnes actiones, & omnia entia. Hæc ille.

Ad 6 Ad vniuerſum pro illo ſtatu, in quo conditum eſt, non pertinet malum, ſed pro ſtatu, in quo nunc eſt, malum pertinet ad ordinem vniuerſi. Sed aliter malum culpæ, aliter malum pœnæ: Malum enim culpæ ſecundùm accidens ordinatur, malum pœnæ per ſe. Alex. Clariùs Ric. 1. d. 46. q. 7. Sicut ſanum poteſt aliquid dici tripliciter, vel ſicut ſubiectum ſanitatis, & ſic homo dicitur ſanus, vel ſicut diſpoſitio ad ſanitatem: & ſic dieta dicitur ſana, vel ſicut ſignum ſanitatis; & ſic vrina ſana dicitur: ſic aliquid poteſt dici ordinabile tripliciter; vel ſicut ſubiectum ordinis, vel ſicut diſpoſitio ad ordinem; vel ſicut ordinis oſtenſiuum. Primo modo malum, ſub ratione qua malum, hoc eſt, ratione deformitatis, qua res formaliter dicitur mala, non eſt ordinabile ordine reali per ſe, quia illa deformitas non eſt ens, ſed priuatio entis debiti: ordine tamen reali eſt ordinabile per accidens, quia eſſentia, in qua eſt illa deformitas ordinabilis eſt, ſcilicet, in pœnam propter illam deformitatem. Vnde Auguſt. xi. ſuper Gen. longè poſt principium. Cur itaq; tentari non fineret, quem conſenſurum eſſe ipſe præſciebat,

ſciebat, cùm id facturus eſſet propria voluntate per culpam, & ordinandus eſſet illius æquitate per pœnam? Quia tamen priuationes ſunt entia rationis: ideo ipſa deformitas ordinabilis eſt ordine rationis. Secundo modo dico, quòd ipſa deformitas ordinabilis eſt nō ordine naturæ, ſed Iuſtitię; quia homo per illam deformitatem diſponitur ad iuſtam pęnam recipiendam: & ſic Deus ordinat malas voluntates, inquantum voluntatibus, per malitiam diſpoſitis ad recipiēdam iuſtam pœnam, infligit eam. Tertio modo, ipſa deformitas eſt ordinabilis, & ordinata, inquantum eſt ordinis boni oſtenſiua: Ità intelligitur Auguſt. dictum, ij. de Ciuit. Dei c. 28. Neq; enim Deus vllum, non dico Angelorum, ſed vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commendaret, atque ità ordinem ſeculorum, tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibuſdam quaſi anthitetis, honeſtaret. Hæc ille.

Ad 7 Nedum Natura vniuerſi vnibilior non eſt Deo natura humana; quinimmo nullatenus illi vnibilis eſt. Nam bonum in vniuerſo eſt multa, re, quamuis vnum, ordine. Bonum verò, quod eſt humana natura, eſt vnum, re, & ordine. Vnde bonum in vniuerſo non eſt vnibile indiuiſibili vnitati, quæ eſt diuina natura; Sed bonum, quæ eſt humana natura. Et licèt homo ſit effectus particularis ſecundùm ſe, nihilominus eſt effectus vniuerſalis, inquantum quaſi conflatur ex omnibus naturis, quia verò eſt effectus vnitus, magis vnitati aſſimilatur, quæ eſt Deus. Alex. Concordat. D. Tho. 3. d. 2. a. 1. quęſtiunc. 2.

Ad 8 Vniuerſum, ſuppoſitis iſtis rebus, non poteſt eſſe melius, propter decentiſſimum ordinem ijs rebus attributum à Deo, in quo bonum vniuerſi conſiſtit. Quorum ſi vnum aliquod eſſet melius, corrumperetur proportio ordinis. Sicut ſi vna chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharæ melodia. Poſſet tamen Deus alias res facere, vel alias addere illis rebus factis, & ſic eſſet illud vniuerſum

melius

melius. D. Tho. Diffuſiùs Ric. 1. d.44. q. 1. Vniuerſum melius poſſe fieri, quadrupliciter poteſt intelligi, ſicut & exercitum poſſe meliorari. Poteſt enim exercitus meliorari, vel per meliorationem Ducis, vel per meliorationem ordinis partium inter ſe, vel per meliorationem ordinis exercitus ad Ducem, vel per meliorationem partium ſecundùm ſeipſas. Sic, & vniuerſitatem poſſe meliorari quattuor modis poteſt intelligi; ſcilicet, per meliorationem finis, vel per meliorationem ordinis creaturarum inter ſe, vel per melioratione ordinis vniuerſitatis creaturarum coniunctim reſpectu finis: vel per meliorationem creaturarum ſecundùm ſe. Primo modo nec poteſt, nec potuit vniuerſum melius fieri, quia finis vniuerſitatis creaturarum Deus eſt, quia ſecundũ quod dicitur Prouerb. 16. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Nec etiam ſecundo modo ſuppoſita eadẽ bonitate creaturarum, quam habent ſecundùm ſe, quia ità bene ordinatæ ſunt inter ſe, quòd nullo modo poſſunt melius ordinari, niſi ſecundum ſe mutentur in maiorẽ bonitatem. Nec etiam tertio modo, quia vniuerſitas creaturarum ſimul ſumpta, ità bene ordinata eſt reſpectu finis, quòd ſeruato eodem ſtatu bonitatis creaturarum ſecundum ſe, melius ordinari non poteſt. Nec mirum, quia ad exemplar ordinis pulcherrimum ipſum vniuerſum eſt ordinatum, quantum ad ordinem partium inter ſe, & vniuerſi reſpectu finis. Eſt enim ordinatum ad exemplar mundi intelligibilis, qui eſt ratio ſempiterna, & incommutabilis in mente diuina. Vnde Auguſt. 1. libro Retracta. cap. 3. loquens de Platone, qui poſuit mundum intelligibilem, ſic dixit. Mundum ille intelligibilem nuncupauit ipſam rationem ſempiternam, atq; incommutabilem: qua Deus fecit mundum. Quam Platonis ſententiam Auguſtinus ibidem approbat. Quarto modo, Vniuerſum poſſe meliorari adhuc intelligi poteſt quadrupliciter, vel per aliquarum creaturarum meliorationem ſecundum ſe, alijs non melioratis, nec peioratis: vel per omnem creaturarum melioratione ſubſtantia-

lem;

lem; vel per nouarum ſubſtantiarum additionem; vel per omnem creaturarum meliorationem accidentalem. Primo modo non poſſet fieri vniuerſum melius: quia quamuis pars creaturarum eſſet meliorata ſecundum ſe, ex hoc tamen vniuerſum ſecundùm ſe non eſſet melius: quia per hoc non melioratur proportio partium inter ſe, & ordo: quę maximè attenduntur in bonitate vniuerſi. Sicut vides, quòd ſi in Pſalterio chorda ſonans obſcuriùs: itá clarè ſonaret, ſicut illa, quæ clariùs ſonat: quamuis illa chorda fieret melior ſecundùm ſe, tamen totum pſalterium eſſet peioratũ, eò quòd peiorata eſſet proportio chordarum inter sè. Et ſicut tu vides, quòd quamuis niger color turpis ſit ſecundùm sè, & quòd ſecundùm ſe pulchrior ſit albus color, tamen quandoque, ſi de pulchra pictura varietate decorata velles nigrum remouere colorem, vbicunque eſſet: & loco huius album ponere, frequenter deturparetur pictura. Vnde Auguſtin. 11. de Ciuitate Dei, cap. 22. Sicut pictura cum colore nigro, & loco ſuo poſito, itá vniuerſitas rerum, ſi quis poſſet intueri, etiam cum peccatoribus pulchra eſt; quamuis per ſe ipſos conſideratos ſua deformitas turpet. Nec ſecundo modo poſſet hoc idem vniuerſum in numero fieri melius: quia, aut nulla ſubſtantia manens eadem in numero poteſt recipere meliorationem ſubſtantialem: aut ſaltem de multis ſubſtantijs hoc eſt verum: & itá, aut non remanerent aliquæ ſubſtantię creatæ de his, quæ modò ſunt: & ſic nullo modo remaneret hoc idem vniuerſum in numero: aut ſi aliquæ remanerent, & aliquæ mutarentur in alias, adhuc non remaneret idem vniuerſum in numero ſecundùm ſe totum; ſed ſecundùm partes. Nec tertio modo poſſet hoc idem vniuerſum in numero fieri melius, quia ſi adderentur nouę partes huic vniuerſo, tunc vniuersũ cũ illis partibus de nouo additis ſe haberet ad prӕſens vniuersũ, ſicut totũ ad partem. Totũ autẽ, & pars, quãuis non ſint diuerſa numero ſimpliciter, tamẽ nõ ſunt ſimpliciter idem numero; ſed partim idẽ, partim diuerſa; ſecundũ quòd videtur innuere philoſophus

primò Phyſicorũ, quamuis expreſsè non determinet: & Cõmentator ſuper eundem locum dicit, quòd vnaquæque partium dicitur eſſe aliud à toto: ſed omnes inſimul nõ poſſunt dici ſimul eſſe aliud à toto. Quartò modo, quamuis pro ſtatu moderno vniuerſum non poſſit fieri melius, tamen ſimpliciter poteſt fieri melius: quia poſſunt partes vniuerſi accidentaliter meliorari, optima proportione inter earum meliorationem ſeruata, ſicut erit poſt iudicium, cùm multò melius erit vniuerſum, quàm modò ſit. Non obſtante, quòd natura humana Ieſu Chriſti non meliorabitur ſecundùm ſe, quia eſt in ſummo bonitatis, quam accipere poteſt. Melioratio enim accidentalis omniũ aliarum partium, ſine melioratione naturæ humanę Ieſu Chriſti, non peiorabit ordinẽ aliarum partium ad naturam humanam Ieſu Chriſti, quia bonitas ſua ita proportionabiliter excedit bonitatem aliarum creaturarum, maximè inquantũ eſt vnita perſonæ filij Dei in vnitate perſonæ, quòd quantò alię creaturæ fient meliores, tantò decentiùs ordinabuntur ad ipſam. Hęc ille.

ad 9 Creatura corporalis ſecundùm ſuam naturam eſt bona: ſed non eſt bonum vniuerſale, ſed eſt quoddam bonum particulare, & contractum: ſecundum quam particularitatem, & contractionem ſequitur in ea contrarietas, per quam contrariatur alteri, licet vtrunque in ſe ſit bonum. Quidam autem ęſtimantes res non ex earum natura, ſed ex ſuo proprio commodo: quæcunque ſibi nociua ſunt, ſimpliciter mala arbitrantur, non conſiderantes, quòd id, quod eſt vni nociuum quantum ad aliquid, vel alteri, vel eidem, quantum ad aliquid eſt proficuum. D. Tho.

ad 10 Vniuerſum eſt perfectius in bonitate, quàm rationalis creatura extenſiuè, & diffuſiuè. Sed intenſiuè, & collectiuè ſimilitudo diuinæ perfectionis magis inuenitur in intellectuali creatura, quæ eſt capax ſummi boni. Vel dicendum, quòd pars nõ diuiditur contrà totũ, ſed contrà aliã partem. Vnde cùm dicitur, quod ſola natura intellectualis eſt ad imaginem Dei, non excluditur, quin vniuerſum ſecundùm

aliquam

aliquam ſui partem ſit ad imaginem Dei. Sed excluduntur aliæ partes vniuerſi. D. Tho. Vel ſecundùm Aegid. 2. d. 16. q. 1. a. 2. in ſolut. 3. Toti vniuerſo ſecundùm ſe non poteſt competere, quòd ſit imago Dei. Quia illud competit toti in eo, quod totum, ſecundùm Philoſophum in 4. Phyſic. quod competit ei ſecundùm omnes partes eius: & ponit ibi exemplum de vino, & amphora. Omnes autem partes vniuerſi non ſunt ad imaginem Dei: propter quod totum vniuerſum non eſt imago. Ad formam autẽ arguendi, quòd plus eſt de bonitate in toto vniuerſo, quàm in partibus eius dici poteſt, quòd bonitas in creaturis, ſecundum quam accipitur imago Dei, non eſt accipienda per cumulationem bonitatis, ſed per expreſſam repræſentationem dignitatis naturæ, quæ non eſt in omnibus partibus vniuerſi: ſed ſolũ in rationalibus creaturis. Hæc ille.

ad 11 Deus mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum: & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendũ hoc, vel illud: quod eſt verè bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum: ſicut in ijs, quos mouet per gratiam. D. Tho. Vtrùm Deus ſit cauſſa actuum voluntatis, & vtrùm voluntas determinet ſeipſam, vel determinetur ab Intellectu, explicabitur ſuper illud Prouerb. 25. Cor Regis in manu Domini.

ad 12 Vniuerſitas creaturarum non eſt optima ſimpliciter, ſed in genere creatorum: Vnde nihil prohibet ea aliquid melius eſſe. D. Tho. Non ſolùm res indigent conſeruari à Deo, ſed neq; Deus poteſt communicare alicui creaturæ, vt conſeruetur in eſſe, ſua actione ceſſante, ſicut nõ poteſt ei communicare, quòd non ſit cauſſa illius. Idem 1. p. q. 104. a. 1. in ſolut. 2.

ad 13 Cùm Deus ſit rebus naturalibus cauſſa eſſendi, & propriam cognitionem, & prouidentiam habeat de vnoquo-

que, neque agat de neceſſitate naturæ; ſequitur, quòd poſſit præter curſum naturæ aliquid agere in particularibus effectibus, vel quantùm ad eſſe, inquantum aliquam formam inducit in rebus naturalibus, quam natura inducere non poteſt, ſicut formam gloriæ, aut in hac materia, ſicut viſum in cæco: vel quantum ad operationem, inquantum retinet operationes rerum naturalium, ne agant, quod natæ ſunt agere, ſicut, quod ignis non comburat, vt patet, Dan. 3. vel quòd aqua non fluat, vt patet de aqua Iordanis. Ioſue 5. Et faciendo præter curſum naturæ, non remouet totum ordinem vniuerſi, in quo conſiſtit bonum ipſius: ſed ordinem alicuius particularis cauſſæ ad ſuum effectum. D. Tho. Et in ſolut. 19. licet Deus faciat aliquem effectum præter actionem cauſſæ naturalis, non tamen tollit ordinem cauſſæ ad ſuum effectum: Vnde & in igne fornacis remanebat ordo ad comburendum, licet non combureret tres pueros in camino. Hęc ille.

ad 14 Quando Deus agit aliquid contrà curſum naturæ, non tollitur totus ordo vniuerſi, ſed curſus, qui eſt ex ordine vnius particularis rei ad aliam: Vnde non eſt inconueniens, ſi aliquando contrà curſum naturę aliquid fiat ad ſalutē hominis, quę conſiſtit in ordinatione ipſius ad vltimum finem vniuerſi. D. Tho. Bonum gratiæ vnius hominis maius eſt, quàm bonum naturæ totius vniuerſi. Idem 1.2.q.113.a.9. in ſolut. 2. Et 1. p.q.107.a.3. Vbi quærit, an angelus inferior ſuperiorem illuminet, ſecundo loco arguit ita; Sicut ordo corporalium ſubſtantiarum dependet ex Dei voluntate, ità, & ordo ſubſtantiarum ſpiritualium. Sed ſicut dictum eſt, Deus quandoq; pręter ordinem ſubſtantiarum corporalium operatur. Ergo etiam operatur præter ordinem ſpiritualium ſubſtantiarum illuminando inferiores, non per medios ſuperiores. Sic ergo inferiores illuminati à Deo poſſunt ſuperiores illuminare. Reſpondet in corp. art. Inferiores Angeli nunquam illuminant ſuperiores, ſed ſemper ab eis illuminantur. Cuius ratio eſt, quia ſicut ſuprà dictum

eſt, ordo continetur ſub ordine, ſicut cauſſa continetur ſub cauſſa. Vnde ſicut ordinatur cauſſa ad cauſſam, ità ordo ad ordinem. Et ideo non eſt inconueniens, ſi aliquando aliquid fiat præter ordinem inferioris cauſſæ ad ordinandum in ſuperiorem cauſſam: ſicut in rebus humanis prætermittitur mandatum pręſidis, vt obediatur Principi. Et ità contingit, vt præter ordinem naturę corporalis aliquid Deus miraculosè operetur ad ordinandum homines in eius cognitionem. Sed prætermiſſio ordinis, qui debetur ſpiritualibus ſubſtantijs in nullo pertinet ad ordinationem hominum in Deum, cùm operationes Angelorum non ſint nobis manifeſtæ, ſicut operationes viſibilium corporum. Et ideo ordo, qui conuenit ſpiritualibus ſubſtantijs, nunquã à Deo prætermittitur, quin ſemper inferiora moueantur per ſuperiora; & non è conuersò. Hęc ille.

ad 15 Intelligenda eſt auctoritas pro ſtatu ſuæ inſtitutionis. Tũc enim quælibet res erat in ſe bona, & propter earum decentem proportionem adinuicem, omnes ſimul dictæ ſunt valde bonæ. Ric. Bonitas rerum non eſt, niſi quędam participatio bonitatis diuinæ: vnaquæq; ergo res in ſe bona eſt, quia in vna quaq; re relucet bonitas diuina: ſed omnia ſimul ſumpta ſunt valde bona, quia in omnibus ſimul ſũptis ſummè relucet talis bonitas, quia ex omnibus conſtat vniuerſitatis admirabilis pulchritudo, vt dicit Auguſt. in Enchirid. Hoc tamen non obſtante, in rebus ſunt particulares defectus, & particulares priuationes, ex quibus dicitur eſſe malum in rebus. Ipſe enim res poſſunt eſſe malæ ſubiectiuę, quia poſſunt eſſe ſubiectæ aliquibus defectibus bonitatis, & poſſunt eſſe ipſæ res malę cauſſaliter, quia poſſunt cauſſare aliquos tales defectus. Aegid. 2. d. 34. q. 1. a. 3.

ad 16 Concludit de illa generali complacentia, & acceptatione, de qua dictum eſt in ſolutione quarti. Neque eſt ſimile (inquit Alex. eo loci) de artifice creato, & increato. Complacentia enim artificis creati in opere ſuo importat quendam motum affectionis reſpectu operati: non enim ſolum-

modo complacet ſibi, quia eſt cauſſa operis, ſed afficitur circà opus ſuum, quod non contingit artifici increato: ſed acceptatio eius, & amor reſpectu creaturarum eſt effectus in creatura, non affectus in Creatore. Hæc ille.

Et factum eſt veſpere, & mane dies ſextus.

ARGVMENTA.

1 SVPPOSITO quòd creatus fuerit homo non ſimul tempore cum angelo, ſed ſecundùm prius, & poſterius: ſicut diſtinguuntur dies in principio Geneſis, vt homo in die ſexto, angelus verò in principio ſit creatus, vel ante omnem diem; ſecundùm hoc, ſi peccauit angelus ſtatim poſt creationem, ſicut videtur ex quibuſdam Scripturis elici, non erat niſi vnicum eius peccatum, ſcilicet, peccatum ſuperbiæ ex delectatione ſuæ poteſtatis: non enim erat tunc creatura rationalis, cui inuideret: quia reſpectu rei nondum exiſtentis non eſt inuidia, quoniam inuidia dicitur eſſe reſpectu ſuperioris, vel reſpectu paris, ne fiat ſuperior, cuius tamen oppoſitum docet Auguſtinus in lib. de Virginitate. Superbiam (inquit) ſequitur inuidia, tanquam filia, & pediſſequa, eam enim continuè parit: nec vnquam eſt ſine tali prole, atque comite: quibus duobus malis ſuperbia, ſcilicet, & inuidia, diabolus eſt diabolus. Alex. 2. p. q. 98. m. 9.

2 Gen. 1. dicitur, Factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus, & dies tertius, & ſic de alijs. Secundum autem, & tertium dici non poteſt, vbi eſt vnum tantùm. Ergo non fuit vnus dies tantùm. D. Tho. 1. p. q. 74. a. 2. in cont.

AD ARGVMENTA.

ad 1 NON quidem peccatum inuidiæ ſimul fuit cum peccato ſuperbię in Lucifero, ſed citò poſt ſecutum eſt:

Fuit-

Fuitquè motus ille inuidiæ reſpectu hominis ſimul creati, vel poſt citò creati, ne eam gloriam participaret, à qua ipſe ceciderat. Cum verò dicitur, Homo ſexto die creatus fuit, & ità non ſtatim ad peccatum ſuperbię ſecutum eſt peccatum inuidiæ, dicendum, quod hoc verum eſſet, ſi non intercidiſſet morula inter conditionem, & lapſum ipſius angeli. Sed quia fuit morula aliqua, ideo potuit eſſe, quòd creato homine fuerit ille motus inuidiæ. Si verò ſimul fuit creatus homo, ſicut videtur Auguſt. ſentire, ſecundùm hoc ſtatim poſt fuit peccatum ipſius inuidiæ, & ità venit intelligenda citata auctoritas Auguſt. ſuperbia inuidiam continuò parit. Illud verò, Inuidia eſt comes, non ità intelligendum eſt, quod à principio ſimul fuerit inuidia cum ſuperbia, vel quam citò peccauit peccato ſuperbiæ, peccauerit peccato inuidiæ, ſed ſicut pediſſequa dicitur dominam ſuam comitari, cùm eam ſequitur immediatè: ſic inuidia comes eſt ſuperbiæ: & quia nullum aliud peccatum immediatè ſecutum eſt, ideo bene dicitur, quòd ſuperbia continuò parit inuidiam, non quia non poſſit intercidere tempus inter inſtans, quo peccauit peccato ſuperbiæ, & inſtans, quo peccauit peccato inuidię. Alex. Sed hæc doctrina videtur non mediocrem inſtantiam pati. Quoniam & ſi, cùm quæritur, quot inſtantia fuerint à puncto creationis vſq; ad glorificationẽ, vel damnationem angelorum, tot ſint ſententię, quot capita, nihilominus nullus plus, quàm quatuor inſtantia intercidiſſe docet. Vna quidem ſententia eſt, quod ſunt tantùm duo inſtantia, ſiue duæ morę, in quibus totum angelorum negotium tam bonorum, quàm malorum abſolutum eſt. Sic nimirum, quòd in primo inſtanti omnes angeli fuerunt boni, & beatitudinem meruerunt, at in ſecundo inſtanti mali peccauerunt, & fuerunt miſeri, boni verò beatificati ſunt. Ità ſentit. D. Tho. 1. p. q. 63. a. 5. ad 4. & a. 6. in corp. arti. & ad 4. ſecundùm explicationem Ferrarienſis. 3. contrà Gent. c. 110. atq; etiam ſecundùm Caiet. interpretationem. Altera ſententia tria inſtantia ponit. In primo, nullus angelorum

lorum meruiſſe dicitur, ſed omnes habuerunt naturalem operationem. In ſecundo verò Angeli boni meruerunt per conuerſionem ſupernaturalem in Deum, vt auctorem gratię, alij verò peccauerunt peccatum ſuperbiæ. In tertio autem inſtanti boni receperunt præmium, mali verò condemnati ſunt, & ſupplicio æterno deputati. Ità ſentit Capre. 2. d. 4. in quinta concluſione, & colligit hoc ex. D. Tho. cit. art. 6. ad 4. Tertia ſententia, quam refert Doct. ſubtilis 2. d. 5. q. 2. circà finem, quatuor inſtantia in negotio angelorum ponit. In primo omnes angeli fuerunt producti in puris naturalibus. In ſecundo verò collata eſt illis gratia. In tertio autem quidam meruerunt, & alij peccauerunt. In quarto denique inſtanti bonis collatum eſt præmium, mali verò damnati ſunt, & ſupplicio æterno deputati. Si igitur angeli fuerunt creati prima die, vel ante omnem diem, & homo ſexta die, & ad ſummum quatuor inſtantia fuerunt à puncto creationis vſque ad glorificationem, vel damnationem angelorum, quomodo poſt peccatum ſuperbiæ ſtatim ſecutum eſt peccatum Inuidiæ? Sed optimè ſuſtinere poſſumus poſt peccatum ſuperbiæ ſtatim ſecutum fuiſſe in angelo inuidiæ peccatum, Primò quidem reſpectu ipſius Dei. Sanè optimus modus explicandi ſuperbiam diaboli eſt prior ille ex duobus, quos. D. Tho. ponit. 1. p. cit. q. 63. a. 3. cùm inquit. In hoc appetijt eſſe ſimilis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis, id, ad quod virtute ſuę naturę poterat peruenire, auertens ſuum appetitũ à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei. Hic modus videtur eſſe expreſſus diui Auguſtini, libro 12. de ciuitate cap. 1. vbi ait; Mali angeli ſua poteſtate potiùs delectati, vel vt bonũ ſuum ſibi ipſis eſſent, à ſuperiore bono ad propria defluxerunt. Ecce, vbi Auguſtinus obiectum ſuperbiæ non aliud, quàm propriam Angeli poteſtatem, & excellentiam cum auerſione a ſuperiore bono fuiſſe teſtatur. Et cap. 6. Ab illo, qui ſummè eſt auerſi ad ſe conuerſi ſunt, & hoc vitium, quid aliud, quàm ſuperbia eſt? Et ſi quæras quomodo

modo ſecundùm iſtum modum explicandi ſuperbiam angeli verificetur, quòd appetierit eſſe ſimilis Deo. Reſpondetur ex doctrina D. Thomæ citato articulo 3. Quia, quemadmodum Deus ſua propria natura beatus eſt non habens ſuperiorem; ità Angelus voluit eſſe beatus proprijs bonis naturę, non ſe ſubijciens ordini à ſuperiore præſtituto, & ità quantum ad modum operandi ſine regula ſuperioris dicitur appetijſſe Dei ſimilitudinem. Sicut, ſi aliquis vaſallus Regis velit frui proprijs bonis non reddens debitum tributum, diceretur appetere eſſe ſicut Rex, quantum ad hoc, quod eſt nulli tributum reddere, vel ſubiectionem agnoſcere. Suppoſito autem, quòd diabolus peccauerit peccatũ ſuperbię, ſtatim conſequitur, quaſi propria paſſio inuidia, hoc eſt, dolor de bono alterius, per quod impeditur propria, & ſingularis excellentia. Et hoc eſt, quod dicit. D. Tho. cit. q. a. 2. Eſſe eiuſdem rationis, quòd affectus tendat in aliquid appetendum, & quòd renitatur oppoſito. Quod quidem non ità intelligendum eſt, vt ſit eiuſdem rationis formaliter loquendo, ſed radicaliter, & conſequenter. Vtrùm autem actus inuidię fuerit in alio inſtanti, an verò in eodem inſtanti cum actu ſuperbiæ, poſterior tamen natura, ſicut propria paſſio, diſputatio poterit eſſe inter Theologos. Mihi profectò magis placet, quòd in illo inſtanti, in quo angelus peccauit, non fuerit expreſſus actus inuidiæ, aut odij Dei; ſed ſolùm appetitus propriæ excellentiæ abſque regula ſuperioris, vbi quidem radicaliter continebatur inuidia, & odium Dei. At verò in alio inſtanti fuit expreſſa inuidia, & expreſſum odium, & triſtitia maxima ex damnatione propriæ conſcientiæ. Et ratio, quæ me mouet, ea eſt. Quoniam in actu ſuperbiæ angelus delectatus eſt; at verò ſi ſimul fuiſſet inuidia, & odium, atque triſtitia ex damnatione propria nunquam angelus ſuperbia elatus delectatus eſſet magis, quàm modò. Ergo non fuit idem inſtans, in quo ſuperbiuit, & in quo Deo inuidit, & Deum odio habuit. Et confirmatur, quoniam odium eſt de malo, ſibi contrario; ſed

ſed in illo inſtanti, in quo angelus ſuperbiuit, nondum iudicabat Deum ſibi contrarium, neque experiebatur diuinam punitionem, ergo non odio habebat expreſsè, donec damnationem propriam ſenſit, & pœnam æternam. Secundò explicatur ità. Quidam graues Theologi exiſtimãt angelos omnes à principio cognouiſſe myſterium Incarnationis per fidem quantum ad eius ſubſtantiam, dico quantum ad ſubſtantiam, quia quantum ad particulares rationes, & circunſtantias nullus angelus nouit hoc myſteriũ, quoad vſq; patratum eſt, & diuulgatum Apoſtolorum prædicatione: Ità docet. D. Tho. pręcipuè 2. d. ij. a. 4. Creduntq; ſibi fauere eundem. D. Tho. 1. p.q.57. a.5. Vbi habet, Quòd horum myſteriorum quædã à principio ſuæ creationis cognouerunt angeli. Nec poteſt dici, quòd idem fuerit principium beatitudinis, ſi quidem angeli non fuerunt creati in gloria. Nihilominus aliqui volunt explicare D. Tho. ita, vt, cùm dixerit à principio ſuę creationis, intellexerit ſtatim poſt principium ſuæ creationis, ſcilicet, quando boni angeli facti ſunt beati. Qui ſenſus ex ſolutione ad primũ videtur expreſsè haberi. Non moror. Nihilominus non poteſt negari, quin primus parens in ſtatu innocentię myſterium hoc cognouerit, vt docet. D. Tho. 2.2.q. 2. a. 7. & 3. p.q. 1. a. 3. ad 1. Ergo etiam Chriſtum Dominum cognouerunt angeli à principio ſuæ creationis. Probatur ſequela, quoniã Chriſtus Dominus non fuit magis cauſſa meritoria, vel efficiens gratiæ protoparentis in illo ſtatu, quam gratiæ Angelorum, vt tenet communis opinio Theologorum. Igitur ex iſto fundamento inferunt quidã ex Theologis, quòd ſuperbia luciferi in eo poſita fuit, quòd appetiuit ſibi ſimilẽ vnionem, deinde cognoſcens non eſſe futuram talem vnionem, inuidit illi homini futuro Deo, & illum occidere appetiuit. Et ità explicant illud Ioan. 8. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Boni verò angeli humiliter ſe ſubiecerunt illi homini, tanquam capiti, & per fidem in illo iuſtificati ſunt ex meritis illius, & in gratia confirmati.

Dion. Carth. in 2.d.5.q.1. aſſerit hanc ſententiam eſſe probabilem, ſed nihil eſſe temerè affirmandum. Citat Alb. Magiſtrum in eadem diſtinctione aſſerentem, quòd lucifer in verbo diuino præuidit, tantam eſſe eius benignitatem, vt creaturam aliquam rationalem aſſumeret in vnitate perſonæ. Sed videns lucifer ſuæ naturę decorem, & poteſtatem in ea delectatus, æqualitatē Dei cōcupiuit, nolens vlli ſubeſſe creaturæ, ſed omnibus præſidere. Et ſecundùm hanc ſententiam manifeſtum eſt, quomodo poſt peccatum ſuperbiæ ſtatim ſecutum eſt peccatum inuidię in lucifero. Sed dicet aliquis, Si dæmones à principio ſuæ creationis myſterium Incarnationis per fidem cognouerunt, ſequitur, quòd poſteà cognouerunt Chriſtum Dominum eſſe filium Dei, etiā antequam deſcenderet ad inferos, quod falſum eſt. Etenim, fides collata angelis in principio ſuę creationis dictabat illis, quòd filius Dei naturalis futurus erat homo: hoc enim continebat myſterium Incarnationis quantùm ad ſubſtantiam, ergo poſteà non ſunt obliti eius, quod crediderunt. Cùm igitur viderent poſteà Chriſtum Dominum miracula facientem diuina virtute in confirmationem ſuæ doctrinę, in qua aſſerebat ſe eſſe filium Dei, etiam naturalem, vt v. G. quando dixit. Ego ſum principium, qui & loquor vobis; & cùm dixit, Antequam Abraham fieret, ego ſum: ſequitur, quòd cognouerunt illū eſſe Deum. Cuius oppoſitum docet Apoſtolus primæ ad Corint. 2. Quam nemo principum huius ſeculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Et D. Auguſt. lib. 9. de Ciuit. cap. 21. inquit, Dæmones non cognouiſſe myſterium Incarnationis, ſed tantùm per quædam externa opera diuinæ virtutis, & per occulta ſigna potentiæ Dei, & per prædicationem Chriſti, & Apoſtolorū poſteà notitiam acquiſiuiſſe huius myſterij. Difficultas hæc propriam ſedem habet, primæ Corint. loco proximè citato. Idcirco nunc breuiter dico, quòd dæmones, quando fuerunt in ſtatu viæ, cognouerunt filium Dei futurum eſſe hominem, conſuma-

torem gratiæ Angelorum, & hominum. Sed non cognouerunt quidquam de Crucis myſterio, & reparatione humani generis, neq; de caſu hominis in peccatum. Et licet poſteà ex vaticinijs prophetarum, & communi doctrina Synagogæ cognoſcere potuerint, futurum eſſe quendam hominem, qui reparaturus erat caſum humani generis, nunquam tamen certò cognouerunt, an ille Meſſias in lege promiſſus futurus eſſet homo ille, quem olim cognouerunt per fidem futurum eſſe naturalem Dei filium, an potius eſſet alius homo diſtinctus. Et ratio eſt quantum ex ſanctorum doctrina poſſumus colligere, quia non ſibi poterant dæmones perſuadere certò, quòd verus, & naturalis Dei filius naturam humanam aſſumeret paſſibilem, & iniurijs expoſitam, mortiq; ſubiectam: ſed ſolùm quibuſdam coniecturis circà iſtam cognitionem verſabantur, iuxta doctrinam D. Auguſtini citatã in confirmatione obiectionis. Denique dicimus quòd nullus Angelus vel per fidem, vel per cognitionem beatam perfectè cognouit olim Incarnationis myſterium quantum ad omnes eius circunſtantias, & quantum ad fructum illius, antequam hæc myſteria fuiſſent in Eccleſia per Apoſtolos diuulgata, vt dictũ eſt. Tertiò explicatur, quòd poſt peccatum ſuperbiæ ſtatim ſecutum eſt peccatum inuidiæ in lucifero reſpectu hominis, eſtò etiam, quòd totum negotium angelorum abſolutum ſit in duobus inſtantibus, ſiue morulis. Suppono enim ex doctrina D. Tho. 1. p. q. 62. art. 5. ad 2. quòd inſtantia diuerſa in ijs, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur, niſi ſecundùm ſucceſſionem in ipſorum actibus. Hinc ergo ſequitur, quòd ſi vnus Angelus perſeuerauit vniformiter in actione, in qua creatus eſt, dum alius angelus mutabat actionẽ, quod adhuc erat in vno inſtanti, dum alius erat in ſecundo inſtanti, operans. Suppono etiam, quòd non eſt vnum inſtans, neque vnum tempus angelorum, quamuis ſit vnum æuum, ſed vnus quiſque angelus ſecundùm ſuas actiones liberas ſuum tempus, & ſua inſtantia ſuis actionibus intrinſeca habet. Quo ſuppoſi-

to facilè eſt intelligere,quòd ſi Angelus in hodiernum diem in illa actione, in qua creatus eſt vniformiter perſeueraſſet, adhuc eius actio vno inſtanti menſuraretur coexiſtenti multo tempori noſtro. Confirmatur,quoniam & Doctor ſubtilis 2. d. 2.q.4. impugnans tempus diſcretum, quod ſecundùm. D. Thomam menſura eſt quarundam operationum angelicarum, ad hoc inconueniens nititur deducere, quemlibet, videlicet angelum habere tempus diſcretum:quod probat, quoniam vnus angelus habebit quatuor inſtantia, dum alius habebit vnum inſtans, quod Thomiſtæ gratis concedunt, pręcipuè Capreo. cit. diſt.q.2. ad arg. contrà tertiam Concl. Cùm igitur vnum inſtans tẽporis diſcreti poſſit coexiſtere multo tempori noſtro non eſt mirum, quòd ſtatim poſt peccatum ſuperbiæ ſecutum ſit in lucifero peccatum inuidię, licet ipſe primo die, homo verò ſexto, creatus ponatur.

Ad 2 Quæ ad fidem pertinent, dupliciter diſtinguuntur, quædam enim ſunt per ſe de ſubſtantia fidei, vt Deum eſſe Trinum, & Vnum, & huiuſmodi in quibus nulli licet aliter opinari. Vnde Apoſt. ad Galat. 1. dicit, Quòd ſi angelus Dei aliter euangelizauerit, quàm ipſe docuerat, anathema ſit. Quedam verò per accidens tantum, inquantum, ſcilicet, in Scriptura traduntur, quàm fides ſupponit Spiritu ſancto dictante prómulgatam eſſe, quæ quidem ignorari ſine periculo poſſunt ab his, qui ſcripturas ſcire non tenentur:ſicut multa hiſtorialia. Et in his etiam Sancti diuerſa ſenſere, ſcripturam diuinam diuerſimodè exponentes. Sic ergo circà mundi principium aliquid eſt, quod ad ſubſtantiam fidei pertinet, ſcilicet,mundum incepiſſe creatum, & hoc omnes ſancti concorditer dicunt. Quo autem modo, & ordine factus ſit, non pertinet ad fidem niſi per accidens: inquantum in ſcriptura traditur; cuius veritatem diuerſa expoſitione ſancti ſaluantes, diuerſa tradiderunt. Auguſt. enim vult in ipſo creationis principio quaſdam res per ſpecies ſuas diſtinctas fuiſſe in natura propria, vt elementa, corpora cæleſtia,

&

& ſubſtantias ſpirituales: alia verò in rationibus ſeminalibus tantùm, vt animalia, plantas, & homines; quæ omnia poſtmodum in naturis proprijs producta ſunt in illo opere, quo poſt ſenarium illorum dierum Deus naturã prius conditam adminiſtrat. De quo opere Ioan. 5. dicitur, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, nec indiſtinctione rerum attendendum eſſe ordinem temporis, ſed naturæ, & doctrinæ; naturæ ſicut ſonus pręcedit cantum natura; ſed non tempore:& ità, quę naturaliter priora ſunt, prius facta memorantur: ſicut terra priùs quàm animalia, & aqua prius quàm piſces, & ſic de alijs, doctrinæ verò ordine: ſicut patet in docentibus Geometriam, quamuis enim partes figuræ ſine ordine temporis figuram conſtituant, tamen Geometra docet conſtitutionem fieri protrahendo lineam poſt lineam, & hoc fuit exemplum Platonis, vt dicitur in principio Cæli, & mundi. Ità etiam & Moyſes rudem populum de creatione mundi inſtruens per partes diuiſit, quæ ſimul facta ſunt. Gregorius verò, & alij ſancti ponunt ordinem temporis in diſtinctione rerum ſeruatum, & hæc quidem poſitio eſt communior, & magis conſona videtur litteræ quantùm ad ſuperficiem: ſed prior èſt rationabilior: & magis ab irriſione infidelium ſacram ſcripturàm defendens; quod valde obſeruandum docet Auguſt. ſuper Gen. lib. 1. vt ſic ſcriptura exponatur, quod ab infidelibus non irrideatur. Et hæc opinio plus mihi placet. D. Tho. 2. d. 12. a. 2. Qualiter autem intelligantur ſex dies, quos Scriptura commemorat, videndum eſt. Et ſatis concordant Doctores, quamuis varijs verbis eundem exprimant ſenſum. Primò nanq; adaptari poſſunt cognitioni angelicæ: Etenim natura angelica intellectualis eſt, & lux eſt, & quia lux propriè in ſpiritualibus dicitur (& ſi non ſecundùm ſuam primam impoſitionem, ſed ſecundùm quod eſt in vſu loquentium, vt docet D. Tho. 1. p. q. 67. a. 2.) oportet, quòd eius illuſtratio dies dicatur. Si enim lux, quæ eſt cauſſa diei, propriè in angelis reperitur, cognitio angelica verè dies nominari poteſt

teſt

teſt. Poſſunt verò iſti dies ad cognitionem angelicam bifariam referri; vno modo ſecundùm cognitionum ſucceſſiones. Habuit quidem ipſe angelus in ipſo primordio omnes ſpecies rerum ſibi concreatas, non tamẽ ſecundùm omnes illas ſpecies actu, & diſtinctè ſimul intellexit, ſed vnum poſt aliud. Et vt ſaluemus mentem Auguſtini, dicamus, quòd angelus primo intellexit ſeipſum, & intellexit lucem factam, & in iſta intellectione fuit veſpere, & mane: vt dicatur veſpere, quando intellexit ſe in proprio genere, & in ſeipſo, dicatur verò mane, quando hoc retulit in laudẽ creatoris, Dixit ergo Deus. Fiat lux, id eſt, fiat creatura ſpiritualis conuerſa ad Deum, & ſit ex hoc lux, quæ non conuerſa erat tenebra, & in hoc ſit veſpere, & mane, id eſt, ſpiritualis creatura cognoſcat ſic ſeipſam cognitione veſpertina in ſuo genere, & matutina referendo ſe in laudẽ Creatoris, vt ſit hoc veſpere, & mane dies vnus. Secundò cognouit Angelus per ſpecies ſibi impreſſas ipſum firmamentum, & cogitauit de ipſis cælis, quomodo erant diuiſi, & quomodo erant facti, & quomodo firmamentum, quod eſt cęlum ſydereum, erat inter aquas ſuperiores, & inferiores, id eſt, inter cælum Chriſtallinum, & cælos Planetarum, & & in iſta cognitione fuit veſpere, cognoſcendo hæc in proprio genere: & fuit etiam mane, referendo ea in laudem Creatoris, & hoc veſpere, & mane factus eſt dies ſecundus, & iſte dies ſecundus ſucceſsit diei primo: remittitur enim cognitio Angeli reſpectu ſui, cùm inceperit cogitare de alijs: quia etſi nũquam cadat angelus à cogitatione ſui ipſius, quin ſemper actu cogitet de ſe ipſo, tamen non ità intensè, nec ità directè cogitat de ſeipſo, quando cogitat de alijs, ſicut facit, cùm conuertit ſe ſuper ſeipſum. Tertiò Angelus cogitauit de elementis, quomodo ſunt congregatę aquæ in locum vnum, quomodo apparuit arida diuiſa ab alijs elementis, & quomodo arida, id eſt terra germinat herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciẽs fructum: & in hac cogitatione fuit veſpere, & mane, id eſt,

fuit cognitio veſpertina, & matutina, & factus fuit dies tertius, & iſte dies tertius ſucceſsit diei ſecundò, quia quando incepit cogitare de iſtis, deſijt cogitare de cęlis.. Quartò Angelus cogitauit de luminaribus cæli, quomodo diuidunt diem, ac noctem, quomodo ſunt in ſigna, tempora, dies, & annos, quomodo ſunt ibi duo luminaria magna; luminare maius, id eſt, Sol, qui prçeſt diei, & luminare minus, id eſt Luna, quæ præeſt nocti, & quomodo ſunt ibi Stellæ: & in hoc fuit cognitio veſpertina, & matutina, & ſic factus eſt ſecundum cognitionem angelicam dies quartus. Et iſte dies quartus ſucceſſit tertio, quia quando incepit ſe conuertere, & cogitare de luminaribus, quæ ſunt ornamenta celorum, deſijt cogitare de congregatione aquarum, & de diſtinctione elementorum. Quintò, poſtquam iam cogitauerat Angelus diſtinctiones rerum, & ornamenta cælorum, incepit cogitare, quomodo aquæ producunt reptilia animæ viuentis, & quomodo producuntur volatilia ſuper terram ſub firmamento cæli, id eſt, in aere, & quomodo in aqua ſunt Cete grandia, & variæ ſpecies piſcium, & cogitabat quomodo in aere eſt omne volatile ſecundùm genus ſuum, quia ſunt ibi variæ ſpecies auium, ſunt enim aues ornamentum aeris, ſicut piſces ornamentum aquæ, & in hac cogitatione de ornatu aeris, & aquæ fuit veſpere, & manè, & ſic ſecundùm cognitionē angelicam factus eſt dies quintus. Sexto, & vltimo cogitauit Angelus de animalibus, quomodo produxit terra animam viuentem, & reptilia, & beſtias ſecundum ſpecies ſuas, & quomodo homo factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei; quę omnia, reptilia, beſtiæ, & homo ſunt ornamenta terræ, & in hac cogitatione fuit cognitio veſpertina, & matutina, quia cognoſcendo hæc in proprio genere, quod pertinebat ad cognitionem veſpertinam, referebat ea ad laudem Creatoris, quod pertinebat ad matutinam, & ſic ſecundùm cognitionem angelicam factum eſt veſpere, & mane dies ſextus, qui ſucceſſit diei quinto; quia quando incepit cogitare ornamenta terræ, deſijt cogitare or-

namenta

namenta aeris, & aquæ. Quare, ſi iſti dies referantur ad cognitionem angelicam ſunt alij, & alij, & vnus ſuccedit alij. Sed ſi referantur ad factiones rerum, eſt vnus, & idem ſexies, vel ſepties repetitus: quia eodem die, quo fecit lucem, fecit & alia, ſecundùm Auguſtini ſententiam, quam nō pertinaciter aſſerit, ſed multùm declinat ad ipſam. Aegid. 1. p. Hexam. cap. 26. Altero modo poſſunt referri præfati dies ad cognitionem angelicam, non penes ſucceſsionem cognitionis, ſed ſecundùm naturalem ordinem rerum cognitarū, vt primus dies ſit cognitio primi diuini operis, ſecundus dies cognitio ſecundi operis, & ſic de alijs. Et dicitur vnum quodq; opus eſſe factum in aliqua die: quia nihil Deus produxit in rerum natura, quod non impreſſerit menti Angelicæ. Quę quidē multa ſimul poteſt cognoſcere, præcipuè in verbo, in quo omnis angelorum cognitio perficitur, & terminatur. Et ſic diſtinguitur dies ſecundùm naturalem ordinem rerum cognitarum, non ſecundùm ſucceſſionem cognitionis, aut ſecundùm ſucceſsionem productionis rerum. D. Tho. 1. p. queſt. 74. art. 2. Hunc modum dicendi videtur redarguere Aegid. loco cit. c. 27. Referendo (inquit) hos dies ad cognitionem angelicam dicunt aliqui eos accipiendos eſſe ſecundum ordinem rerum cognitarum, nō ſecundùm cognitionum ſucceſſiones. Sed iſta poſitio nō videtur poſſe ſtare, quia ſic accipiendi ſunt iſti dies ſecundùm Auguſtinum referendo eos ad cognitionem angelicam, prout ſecundùm alios ſanctos ſunt accipiendi, referendo eos ad productionem rerum: ſed illi dies quantum ad productiones rerum, non ſolùm accipiuntur ſecundùm ordinem rerū productarum, ſed etiam ſecundùm ſucceſsionem productionum, quia primò facta fuit productio lucis, & poſtea ſubſequenter fuit facta productio firmamenti: ergo à ſimili, ſi referantur ad cognitionem angelicam, accipiendi ſunt ſecundùm ſucceſſionem cognitionum. Rurſus, ſi ſolùm acciperētur hi dies ſecundùm ordinem rerum cognitarum, vel productarum, non eſſent niſi vnus dies multipliciter repetitus.

Nam,et ſi omnia eſſent ſimul producta,ad huc eſſet ibi ordo rerum productarum, quia quædam res eſſent digniores alijs. Dicamus ergo,quòd,ſi volumus incedere ſecundùm opinionẽ Auguſtini,aliquando exponemus. Factus eſt dies ſecũdus,id eſt,factus eſt idem dies ſecundo repetitus:aliquãdo autem exponemus. Factus eſt dies ſecundus, id eſt,factus eſt dies alius ſecundo ſuccedens. Fuerunt enim huiuſmodi res, ſecundùm Auguſtinum,ſimul productæ in materia, & ſimul impreſſæ in mente angelica, ſed non fuerunt omnes ſimul ab angelo cogitatæ.Si ergo referamus hos dies ad res productas, dicemus, quòd prima die facta eſt lux: ſecunda die,id eſt,eadem die ſecundò repetita factum eſt firmamentũ, & tertia die,id eſt eadem die tertiò repetita congregatæ ſunt aquæ,& apparuit arida: & ſic de alijs diebus. Eodem etiam modo exponemus hos dies, ſi referantur ad res in mente angeli impreſſas.Nam ſecundùm Auguſtinum, & ſecundùm alios ſanctos,& etiam ſecundùm omnes Philoſophos in mente angelica omnia fuerunt ſimul impreſſa: & ideo intelligentia dicitur plena formis, quia omnis intelligẽtia non recipit ſucceſſiuè formas, & ſpecies, ſicut recipit mens noſtra, ſed ſtatim omnes formæ rerum,& ſpecies fuerunt ſibi impreſſę, & ſtatim fuit plena formis, & ſpeciebus: ergo ſi ad huiuſmodi impreſsionem volumus referre dictos dies, dicemus, quòd prima die facta eſt lux, id eſt, impreſſa eſt in mente Angeli ſpecies lucis, & ſecunda die,id eſt,eadem die ſecundò repetita, factum eſt firmamentum, id eſt, impreſſa eſt in mente Angeli ſpecies firmamenti; & ſic de alijs diebus. Quantùm ergo ad hanc impreſsionem, nulla eſt ibi ſucceſsio, nec poſſunt ibi eſſe plures dies: ſed ſi eſt ibi pluralitas, erit dies plures repetitus. Nec videmus,qualiter oporteat Auguſtinũ ad ſaluandũ dies confugere ad cognitionem angelicã,ſi volumus eos exponere ſecundũ ordinem rerum cognitarũ, & non ſecundũ ſucceſſionẽ cognitionum:cũ, & in ipſis rebus(dato,quòd ſint ſimul productæ)poſſit ſaluari ordo rerũ productarũ,& ſecundùm hunc ordinem poſſint

ſalua-

ſaluari hi dies, non quantum ad ſucceſsionē ſecundū diuerſitatē, ſed quantū ad repetitionē ſecūdùm identitatem. Aduertendū ergo, quòd (vt Auguſtinus ait ij. de Trin.) non poteſt acies animi ſimul omnia, quę memoria tenet, vno aſpectu intueri, ſed alternat viciſſim, cedēdo, ac etiā ſuccedēdo cogitationes. Sunt ergo in memoria angeli ſpecies in quadā cognitione, quaſi habituali, vel potentiali, poſtea in intelligentia Angeli fiunt actu huiuſmodi ſpecies non ſimul, ſed ſucceſsiuè, prout actualiter cogitat nunc de hoc, nunc de illo; ità quòd à ſpecie in memoria gignitur ſpecies in intelligentia, ſicut proles à parente. Quare, ſi cognitio angelica debeat dici dies, non referetur ad ſpeciem in memoria in ſe: quia in memoria ſunt ſpecies quaſi in abſcōdito, vt Auguſt. ait; dies autem ſonat quid clarum, & quid apertum; refertur ergo dies ad ſpecies, vt ſunt in claro, & in aperto, & in intelligentia, & ſi referetur ad ſpecies in memoria, hoc non erit ſecundùm ſe, quia illo modo non habent rationem diei, ſed poterit ad eas referri, prout factæ in actu, & gignunt ſpecies in intelligentia, vbi ſunt quaſi in die. Secundum hoc vtique ſecunda die factum eſt firmamentum, quia ſecunda cogitatio angeli potuit eſſe de firmamento, quæ ſecunda cogitatio poteſt vocari ſecunda dies: & ſic de diebus alijs. Hæc ille. Secundò, ſuſtinendo cum Auguſt. quòd omnia ſunt facta ſimul, poſſumus dicere, quòd dies accipiuntur ſecundùm illuſtrationem lucis corporalis, ità tamen, quòd ordo dierum attendatur ſecundùm ordinem eorum, & diſtinctionem, in quæ lux corporalis refulget: ſicut enim omniū creaturarum naturalium cognitionem angeli acceperunt, ita etiam lux in omnia corporalia ſe difundit, vt Diony. dicit, diuerſimodè in diuerſis recepta ſecundùm diuerſitatem recipientium: & ideo ſicut Auguſtinus diſtinguit ſex dies ſecundùm præſentationem lucis ſpiritualis, quæ primo die facta dicitur, ſex rerum generibus: ità ſecundùm præſentationem lucis corporalis ſex rerum generibus poſſunt eodē modo ſex dies diſtingui ſine diſtinctione temporis. Et quia pe-

periodus vnicuiq; rei corporali ſecundũ influentiã lucis præfigitur quaſi inter in duos terminos, cũ quælibet virtus corporalis finita ſit, ideo illi termini mane, & veſpere dicuntur, vltra quos virtus rei non extenditur: D. Tho. 2.d.12. a.3. Itaque prædicti dies poſſunt intelligi, & ſecundum illuminationem lucis corporalis, & intellectualis, ſi priori modo, dies diſtinguetur ſecundùm diuerſa illuminata, & non ſecundùm illuminationis tempus; ſi poſteriori, non erit per influentiam lucis ad res creandas, ſed per fulgorem lucis ad res cognoſcendas, Idem D. Tho. in ſolut. 2. Sed ſi præfati dies ſunt vnus dies, quomodo igitur intulit Moyſes diem ſeptimum ſanctificandum? Exod. 20. dicitur, Sex diebus operaberis &c. Reſpondetur, quòd per ſex dies, in quibus dicitur Deus creaſſe cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, intelligitur non aliqua temporalis ſucceſſio; ſed cognitio angelica relata ad ſex genera rerum diuinitùs producta. Septima verò dies eſt ipſa cognitio angeli ad quietem artificis relata. Dicitur enim ſecundùm Auguſtinum Deus ſeptima die quieuiſſe, inquantum quietem propriam, qua in ſe ipſo à rebus conditis quieſcit, & beatus exiſtit, creaturis non indigens, ſed ſibi ipſi per ſe ſufficiens, menti angelicæ monſtrauit, cuius cognitionem diem appellat. Et dicitur ab opere die ſeptima ceſſaſſe, quia poſteà nihil nouum fecit, quod aliquo modo in operibus ſex dierum non præceſſerit, vel materialiter, vel cauſſaliter, vel ſecundùm aliquam ſimilitudinem ſpeciei, vel generis. Et quia poſt omnia opera condita Deus ſeptima die in ſe ipſo quieuit, propter hoc ſcriptura, & lex pręcepit ſeptimam diem ſanctificari. Nam ſanctificatio cuiuſlibet rei in hoc maximè conſiſtit, quod in Deo requieſcit, vnde res Deo dedicatæ, vt tabernaculum, vaſa, miniſtri, ſanctæ dicuntur; dies autem ſeptimus eſt ad Dei cultum dedicatus, ideo ſanctificatus dicitur, vt, ſcilicet, ſicut Deus, qui ſex genera rerum condidit, & menti angelicæ monſtrauit, nõ in ipſis rebus cõditis quaſi in fine quieuit, ſed à rebus conditis in ſe ipſo, in quo ſua bea

titudo

titudo conſiſtit, permanſit, cùm non ſit beatus ex eo, quòd res fecerit, ſed ex hoc, quòd in ſeipſo ſufficientiam habens, rebus factis non indiget. Ità etiam, & nos, non in eius operibus, aut noſtris diſcamus, ſicut in fine quieſcere, ſed ab operibus in ipſo Deo, in quo noſtra beatitudo conſiſtit, quieſcamus. Propter hoc enim inſtitutum eſt, vt homo ſex diebus laborãs in operibus proprijs, ſeptima die quieſceret, cultui diuino, & quieti diuinæ contemplationis vacans, in qua ſanctificatio hominis maximè conſiſtit. Nouitas etiam mundi maximè demonſtrat Deum eſſe, & creaturis non indigere, & ideo ſtatutum eſt in lege, vt ſeptima die quieſcerent, & feſtum ducerent, in qua mundus conſummatus eſt, vt per nouitatem mundi ſimul producti, & per ſex genera rerum diſtincta homo ſemper in Dei cognitione maneret, & de tam vniuerſali, & præcipuo creationis beneficio Deo gratias exhiberet, & in ipſo tanquam in fine quietem ſuæ mentis poneret in preſenti per gratiam, & in futuro per gloriam. D. Thó. de poten. q. 4. a. 2. in ſolut. 5. Cui autem videtur præfata explicatio myſtica potius, quàm litteralis, dicat cum Illuſtriſsimo Caietano, quòd, & ſi omnia ſint in vno momento creata, tamen Moyſes diuerſa opera diuerſis diebus accommodauit. Accommodauit, inquam, quoniam ad litteram Moyſes loquitur de diebus naturalibus ſenſibilibus, alioquin non inde inferret quenque diem naturalem ſeptimum ſanctificatum, ac Deo dicandũ. Accommodauit autẽ ſex ordinatè ſe habentibus perfectionibus vniuerſi ſex dies, ad ſignificandum, quòd res vniuerſi ſunt a Deo diſpoſitæ, ordinatæ, & conſequenter ſe habentes inter ſe ipſas, quemadmodũ ſex dies naturales, ita quòd inter dies, & opera eſt ſimilitudo proportionalis, & ſicut ſecundus dies conſequenter ſe habet ad primum, & tertius ad ſecundùm, & ſic vſque ad ſeptimum: ità effectæ ſex perfectiones conſequenter ſe habent interſe ſe, vſque ad conſummationẽ omnium requiſitorum ad omnimodam perfectionem vniuerſi in eſſe naturæ. Quia igitur effecta à Deo in

ſex diſtributa gradus ſe habent inter ſe, ac ſi facti fuiſſent ſinguli gradus ſingulis diebus, & ſeptimo die quieuiſſet opiſex perfectis omnibus, ideo Moyſes abſq; fictione effecta à Deo omnia in primo inſtanti, quo creauit cælum, & terram diſtributa in ſex perfectionum gradus conſequenter ſe habentes, accommodauit ſex diebus naturalibus; & quietem diei ſeptimo. Hæc ille. Poſſumus autem ſimili exemplo rem illuſtrare. In pſalmo decimo octauo legimus. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum. Cæli ſunt Apoſtoli. Verbũ eſt Euangelica prædicatio. Vnde & Rom. 10. dicitur; In omnem terram exiuit ſonus eorum, & eſt ſermo ibi de Apoſtolis prædicantibus, ſenſus ergo eſt; Dies diei, &c. ideſt, ità celeriter prędicarunt, & abſque interpolatione, ac ſi dies diei verbum eructaret. Ità Moyſes, vt oſtenderet ordinem, quem res inter ſe habent, earum productionem ſex diebus naturalibus accommodauit. Præterea, Doctores ipſi, qui per iſtos dies, & ſucceſsionem dierum temporalium, & ſucceſſionem productionis rerum intelligunt, cùm ita arguitur. Totum opus, quod vni diei aſcribitur, in inſtanti Deus perfecit, cùm in ſingulis operibus dicatur, Dixit, & factum eſt. Si igitur ſequens opus in diem alium reſeruaſſet, ſequeretur, quòd in reſidua parte illius diei ceſſaſſet ab opere, quod eſſet ſuperfluum. Reſpondent. Non eſt ex impotentia Dei quaſi indigentis tempore ad operandum, quod omnia non ſunt ſimul diſtincta, & ornata, ſed vt ordo ſeruaretur in rerum inſtitutione. Et ideo oportuit, vt diuerſis ſtatibus mũdi diuerſi dies deſeruirent. Si itaq; Deus ipſe, qui omnia in momento potuit creare, ad oſtendendum rerum ordinem in primo inſtanti cuiuslibet diei vnico opere facto, ſequens opus in diem alium reſeruauit, & in reſidua parte illius diei ceſſauit ab opere: Moyſes quoque (eſtò quòd omnia ſint in momento creata) ad præfatum ordinem demonſtrandũ iure optimo potuit diuerſa opera diuerſis diebus accommodare. Exiſtimo ergo opinionem Auguſtini valde probabilem eſſe.

Sed

Sed aduertendum, quòd circa creationem animalium,& hominum,ſecundùm opinionem Auguſtini loquendo, aliquantiſper videntur diſcrepare Theologi. Ric.cit.d.12.q.6. dicit, quòd ſecundùm Auguſtinum Deus in primo inſtanti temporis fecit Angelos, corpora cæleſtia, & elementa,& hypoſtaſes ſpecierum animalium.Similiter Vldaricus apud Dion. ead. diſt. q. 1.dicit,iuxta Auguſtini ſententiam omnia ſecundùm diſtinctas ſuas ſpecies ſimul ſunt creata, in quibus conſiſtit vniuerſi integritas, ſcilicet, Angeli,cęli,elementa, perfectorumq́; animalium prima indiuidua, ac primus homo. Verùm D. Tho. 1. p.cit.q.74.a.2. dicit, ſecundùm Auguſtinum in opere ſex dierum animalia producta fuiſſe potentialiter tantùm. Vtrùm verò primus homo quantum ad animam creatus fuerit eodem inſtanti, quo creati ſunt Angeli, & cætera, dicit quòd ſic,cit. p.q.91.a.4. in ſolut. 5. Placuit autem ponere verba eius,de potent. citata q. 4.a.2.in ſolut. 22. Aug. (inquit), vult in ipſo creationis principio quaſdam res per ſpecies ſuas diſtinctas fuiſſe productas in natura propria, vt quatuor elementa, quæ ex nihilo producta ſunt, & corpora cęleſtia,& ſubſtãtiæ ſpirituales. Huiuſmodi enim productio non præſupponit materiam ex qua, nec in qua. Alia verò dicit eſſe producta in rationibus ſeminalibus tantùm, vt animalia,plantas, & homines, quę omnia poſtmodum in naturis proprijs producta ſunt, illo opere, quo poſt ſenarium illorum dierum numerũ Deus naturam prius conditam adminiſtrat: de quo opere dicitur Ioan.5.Pater meus vſque modo operatur. Nec in productione rerum vult attendendum eſſe ordinem temporis, ſed naturæ. Nam omnia opera ſex dierum in eodem inſtanti temporis ſimul ſunt facta, vel in actu, vel in potentia ſecundùm rationes cauſſales, vt, videlicet,de materia præexiſtẽti poſteà fieri poſſent, vel per Verbum, vel per virtutes actiuas in ipſa creatione creaturę impreſſas. Vnde animam primi hominis, quam inquirendo, & non aſſerendo, dicit ſimul creatam cum angelis in actu,non ponit factam ante ſextum diem, licet in ipſo

ſexto die ponat factam animã primi hominis in actu, & corpus eius ſecundùm cauſſales rationes, quia Deus impreſſit virtutem paſſiuam terræ, vt per potentiam actiuam creatoris poſſet ex ea corpus hominis formari. Et ſic ſimul anima in actu, & corpus in potentia paſſiua in ordine ad potentiam actiuam Dei ſunt facta. Vel poſitò ſecundùm veritatem, quòd anima non habeat per ſe ſpeciem completam, ſed vniatur corpori vt forma, & ſit naturaliter pars humanæ naturę, ſicut vult Ariſtot. oportet dicere, quòd anima primi hominis non ſit producta in actu ante formationem corporis, ſed ſimul cum formatione corporis ſit creata, & corpori infuſa, ſicut de alijs animabus Auguſt. expreſsè tenet. Nam Deus primas res inſtituit in perfecto ſtatu ſuæ naturę, ſecundùm quod ſpecies vniuſcuiuſque rei exigebat. Anima autem rationalis, cùm ſit pars humanæ naturę, nõ habet naturalem perfectionem, niſi ſecundùm quòd eſt corpori vnita. Vnde naturaliter habet eſſe in corpore, & eſſe extrà corpus eſt ei præter naturam, ideo non fuiſſet conueniens animam ſine corpore creari. Suſtinendo ergo opinionem Auguſtini de operibus ſex dierum dici poteſt, quòd ſicut in illis ſex diebus corpus primi hominis non fuit formatum, & productum in actu, ſed in potentia tantùm ſecundùm rationes cauſſales, ità & anima eius non fuit producta tunc in actu, & in ſeipſa, ſed in ſuo ſimili ſecundum genus. Et ſic præceſſit in illis ſex diebus non in actu, & in ſeipſa, ſed ſecundùm quandam ſimilitudinem generis, prout conuenit cum Angelis in intellectuali natura. Poſteà autem, opere, quo Deus creaturam primò conditam adminiſtrat, fuit ſimul anima in actu cum corpore formato producta.

Finis Catenæ Argenteæ in primum Caput Geneſis.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM LOCVPLETISSIMVS.

A

ABissus quid. 80

Abrahæ Caſtitas coniugalis & Ioãnis virginitas quomodo pares. 343.

Acceptari à Deo dicitur aliquid dupliciter. 395

Acquiſitio eorum, quæ cælo, terra, mariq; capiuntur, quæ in nullius tamẽ ſunt bonis, eſt de Iure naturali. 357

Actio agentis per intellectum eſt duplex. 11

Actio diuina cur pluraliter conſignificetur. 300

Actio, qua Deus mundum produxit, eſt æterna. Mundus non eſt ab æterno productus. quomodo ſtent ſimul. 10

Actio tranſiens non eſt in Deo, ſed immanens tantum, habens efficaciã tranſeuntium. 64. et 65

Adam an fuerit creatus in gratia gratum faciente. 264

Adam appetente propriam excellentiam, & proprium dominium, quod non debebat, perdidit dominium, quod habebat. 356

Adam non ſcribitur Deo ſacrificaſſe cur? 17

Adam peccante, quomodo illa, quæ nobis ſalubria erant, facta ſunt nocua. 363

Adam voluit Deo æquiparari, quomodo. 304

Adæ ab peccatum an ſol, & luna aliquid lucis amiſerint. 192. & 193

Adæ in peccato fuerunt plures deformitates. 296

Adæ perfectio, & immortalitas differt à perfectione, & immortalitate gloriæ. 347

Aerem creauit Deus ſine luce, cur. 50

Aeri ſubſtantia ſpiritualis non poteſt vniri. 225

Aeris

Aeris & ignis non fit mentio in creatione, cur. 49
Aeris in regione media cur non inuenitur vita? 226
Aeuum quomodo creatum ante tempus. 187
Agens propter finẽ ſtatim agit, niſi impediatur, quomodo exponatur. 55
Albumaſaris opinio de ſigno virginis. 232
Aqua deberet eſſe vndique circa terram. 139. & 141
Aqua in piſcibus abundat, quo modo. 229
Aquarum nomine quid intelligatur, cum ſuper firmamentum eſſe ponuntur 117. & 118. & 119. & 124
Aquæ cur dictæ ſunt congregari. 137
Aquæ cur ſalſæ. 136. & 141
Aquæ elementum nominat ſcriptura pluraliter, terræ vero ſingulariter, cur. 135.
Aquæ, quæ ſunt ſuper firmamentũ ſunt eiuſdem naturæ cum inferioribus. 120
Aquæ quomodo congregatæ in locum vnum. 138. & 139
Aquæ ſuper firmamẽtũ propter quã vtilitatẽ conſtitutæ. 122
Argumenta omnia, quæ ex cogitari poſſunt contra miſterium Trinitatis, eſſe ſolubilia de fide eſt. 311
Ariſtoteles ad vitandam contradictionem habuit ponere, aut mundum eſſe factum ex tempore, aut non eſſe factum ex nihilo. 10
Ariſtoteles, ſi viueret, derideret Theologos opinantes cælum quinta eſſentia eſſe. 123
Ariſtoteles tria principia naturæ poſuit Materiam, formã, priuationem: Aug. vero materiam, formam, & rationẽ ſeminalem, cuius dictum melius ſit? 153
Artificis creati, & increati diſcrimen. 406
Aſtrologi de effectib⁹ ſtellarũ cur nõ indicãt determinatè. 169
Aſtrologus non debet dicere rem ſpecialiter, ſed vniuerſaliter. 179
Aſtrologus non poteſt dare indicium ſecundum ſtellas, niſi vim animæ, & cõplexionem bene cognouerit. 179
Aues & piſces quomodo producta quinta die. 218
Aues in aere, piſces in aqua motibus proprijs mouentur, non autem luminaria in cælo, cur. 227
Auguſtini opinio de momẽtanea rerum creatione declaratur, 413. & infra.

Auicenna dixit omnia animalia poſſe generari ex aliquali elementorum commiſtione abſque ſemine, etiam per viam naturæ. 224
Auiũ corpora ex aëre facta. 229
Aureola non deberetur virginitati in ſtatu innocentiæ. 346
Angeli à principio an cognouerint miſteriũ incarnationis per fidem. 410
Angeli an in gratia creati. 160
Angeli boni diuinæ ſimilitudinis tenent ſummum gradum, nos infimum, Adam mediũ, Dæmon nullum. 291
Angeli cognitio reſpectu ſui, quomodo remittatur, dum cogitat de alÿs. 415
Angeli cuſtodiunt animas. 292
Angeli de effectibus ſtellarũ poſſunt perfectè iudicare. 170
Angeli & dæmones nõ habẽt corpora naturaliter vnita. 226
Angeli & animæ diſcrimen. 294. & 295
Angeli habent omnes ſpecies rerum ſibi concreatas. 415
Angeli illuminant homines non ſolum de credendis, ſed etiã de agendis. 292
Angeli in factura cur non eſt vſus eodem modo loquendi, quo in factura hominis vſus eſt? 281
Angeli inferiores non illuminãt ſuperiores. 404
Angeli non minus contemplantur propter commiſſum miniſterium. 105
Angeli non ſunt creati priuſquàm cælum & terra. 16
Angeli omnes an ſint vnius ſpeciei. 209
Angeli prius meruerunt, vel demeruerunt, quam ad mouendum orbes deputarentur. 53
Angeli quod ſint ad imaginem Dei, datur intelligi ſub figura hominis facti ad imaginem Dei. 309
Angeli quomodo creati beati, 390
Angeli ſecũdum naturalia, quomodo lumina ſplendẽtia? 93
Angelici intellectus quodãmodo paſſio eſt habere ſpecies rerũ concreatas. 181
Angelicum peccatum ſilentio in geneſi abſconditum eſt, & hominis patefactum, cur? 92
Angelis inerit etiam poſt diem iudicÿ cognitio veſpertina, 105
Angelo an cognitio veſpertina neceſſaria propter miniſteriũ 104
Angelorum cognitio duplex matutina, & veſpertina. 101. & 102

An-

Angelorum creationem ſi Moiſes prætermiſit, profectò fuere creati ante hunc mundum ſenſibilem. 16
Angelorum de creatione Concilij lateranenſis dictum exponitur. 19
Angelorum de creatione tres opiniones. 16
Angelorum diſtinctio in ſupremos, medios, & infimos ſecundum quæ attẽdatur. 209
Angelorum nulla cognitio poteſt dici meridiana. 112
Angelorum ſcientia nec cauſa rerum eſt, nec cauſata à rebus. 181
Angelos ſub eadem ſpecie Deus poteſt multiplicare, an vero de facto multiplicati ſint, ignotum nobis eſt. 210
Angelus an naturali dilectione plus diligat Deum an ſeipſũ duplex opinio. 106
Angelus de rebus triplicem cognitionem habet. 69
Angelus duplicem habet verbi cognitionem. 110
Angelus inter omnes creaturas maxime deiformis eſt. 294
Angelus naturaliter plus diligit Deum, quã ſeipſum, 390 *&* 391
Angelus non Deo vnibilis. 255
Angelus ſimul poteſt videre res in verbo & in propria natura. 110
Animalia bruta non habent vllum herbarum dominiũ. 372
Anima eſt producta in eſſe per creationem. 316
Anima humana cur abundat diuerſitate potentiarum. 302. *&* 303
Anima naturaliter habet eſſe in corpore, & eſſe extra corpus eſt ei preter naturam. 424
Anima per naturam capax eſt omnium ſcientiæ, non autem omnipotentiæ cur? 284
Anima per naturam eſt imago Dei in potentia, in actu vero eſt per gratiam, & non aliter. 297
Anima per ſe non habet ſpeciem completam. 424
Anima primi hominis licet ponatur facta cum angelis, non tamen ante ſextam diem. 321
Anima rationalis inmortalis eſt 260
Anima rationalis, vt terreno corpori vniretur, conueniens fuit. 392
Anima ſi eſſet imago perfecta Dei, Deus eſſet primum cognitum. 303
Anima ſi tali corpori non vniretur, vel omnino non crearetur

tur, vel alterius eſſet natura. 306
Animalia aliter ordinantur ad hominem ſecundum ſtatum innocentiæ, aliter ſecundum ſtatum naturæ lapſæ. 356
Animalia, & plantæ non permanebunt poſt diem iudicij. 370
Animalia, plantæ & mixta non remanebunt in mundi innotione. 159
Animalia, quæ generantur ex corruptione rerum inanimatarum, vel plantarum potuerunt produci in prima rerum inſtitutione, non autem, quæ generãtur ex corruptione animalium, niſi potentialiter tantum. 234
Animalia, quæ nunc occidunt alia animalia, an in ſtatu innocentiæ fuiſſent manſueta, non ſolum circa hominem, ſed etiam circa alia animalia. 365. & 366
Animalia venenoſa an fuiſſent nociua ante peccatum. 235
Animalibus anima viuẽs, plantis anima virens ineſt. 227
Animalis motus duplex. 230
Animalium corpora cur dicuntur ex terra & aqua producta? 227. & 228. & 229
Animalium corpora denominantur magis ab elementis prædominantibus ſecundũ quantitatem molis, quã à prædominãtibus ſecundum quantitatem virtutis, cur? 230
Animalium productio quomodo ordinetur. 225
Animalium ſubiectio homini, et obedientia differunt. 265
Animam noſtram per creaturas non poſſumus cognoſcere ſub ratione, qua eſt imago ſũmæ Trinitatis, & vnitatis. 311
Anima Chriſti an omnis ſcientia communicata ſit. 284
Animæ nõ ſunt à principio creatæ, & poſtea ex diuina ordinatione corporibus vnitæ. 391
Animæ perfectio quomodo dependeat à corpore. 295
Animæ ſenſitiuæ brutorum fuerũt productæ ex aliquo. 217
Animæ ſenſitiuæ producuntur ex virtute, quæ eſt in ſemine. 217
Annus lunaris non continet tot dies, quot ſolaris, cur. 202

B

BAPTISMVS conuenienter fit in aqua. 52
Beatitudo hominis in nulla re corporea conſiſtit. 270
Beatitudo hominis ſecũdum cor

pus

pius eſt, quod imperium animæ Deo coniuncta perfectè exequitur. 308

Benedictio cur iteratur in hominibus. 234

Benedictio duplex, actiua, & paſsiua. 328

Beſtialitas, qua quidem veſcuntur carnibus humanis, eſt cōtra præcepta iuris naturalis. 369

Beſtialitatis peccatum eſt, ergo mortale, nō valet conſequentia. 369

Binarius numerus principium alteritatis & diuiſionis. 82

Bonitas diuina amata eſt ratio & cauſa finalis, propter quā vult creaturas producere. 84

Bonitas rerum quid. 405

Bonum creatum & bonum diuinum ſunt aliquid melius, ſaltem extenſiuè, quam ſolum bonum diuinum. 84

Bonum ſpirituale, ſecundū quod creatura rationalis diuinam participat ſimilitudinem, ſecundum tria attenditur. 303 & 304

C

Canicula an indicet æſtum natura, an obſeruatione humana. 180

Carnis eſus cur non conceſſus homini in ſtatu innocentiæ? 371

Carnium vſus in cibis an fuerit ante diluuium. 374, & 375

Cauſa ſenſibilis poteſt dici ſignū. 181

Cæleſtia corpora, & elemēta quomodo dicantur facta ſecunda, vel quarta die. 81

Cæleſtia corpora licet non ſint directè cauſa electionum noſtrarum, tamen ex eis aliqua occaſio noſtris electionibus præſtatur. 178

Cæleſtia corpora ſunt elementaris naturæ. 121

Cæleſtia corpora ſunt in miniſterium hominis duplciter facta. 172

Cæleſtibus in corporibus an deſcripſerit Deus tanquam in tabulis euenta omnia noſtri ortus, vitæ, morumq́; progreſſus, citra tamen arbitrij noſtri coactionem. 179

Cæleſtium corporū paſsio eſt habere ſcripta, ſeu depicta euenta omnia noſtri ortus, vitæ, &c. 181

Cæli duo, & duo aſtra an plus differant quam ſortes & Plato. 209

Cæli & ſi ſigna ſint eorum, quæ ſunt liberi arbitrij, non tamen

tamen ſequitur, quod ſint cauſæ vel effectus. 181
Cæli & terræ in creatione cur non dicitur, vidit quod eſſet bonum, ſicut informatione lucis. 77
Cæli luminaria differunt ſpecie. 213
Cæli luminaria ita ſunt ſigna horum inferiorum, quod etiā ſunt cauſa eorū. 182. & 187
Cæli motus prius exprimitur quam lux. 78
Cæli plures, & terra vna, cur. 35
Cæli quam conuenientiam habeant cum rebus, quæ noſtri ſunt arbitrij. 180
Cæli quot. 35
Cæli vtrum animati animatione propriè dicta. 211
Cælo de Empyreo quatuor opiniones. 28
Cælorum de natura ſi definiendum eſſet in concilijs, definiretur ea eſſe elementaris naturæ. 122
Cælos non eſſe cauſam eorum, quæ ex libero dependent arbitrio de fide eſt, an vero ſigna ſint, vtraq; pars ſine præiudicio fidei ſuſtineri poteſt. 181
Cælum empyreum influit in hæc inferiora. 79
Cælum Empyreum licet ſplendidum ſit, cur lumen eius ſenſus noſtros latet? 29
Cælum factū in principio, quid. 35.
Cælum incorruptibile, cur. 23
Cælum non agit de neceſsitate in iſtis inferioribus, Cælum eſt cauſa neceſſaria, ſtant ſimul. 172
Cælum nullam delectationem, aut vtilitatem ad fert, niſi motu & lumine. 77
Cærimoniæ Eccleſiæ amplectendæ. 394
Chriſti humana natura toto melior eſt vniuerſo. 89
Chriſtus reſurgens a mortuis quod matri apparuerit nō eſt ſcriptum cur? 17
Cognitio diuinarū perſonarum fuit nobis neceſſaria dupliciter. 68
Comedere carnes hominum occiſorum in bello anſit mortale. 369
Conſtitutio ciuilis, etiam in qui bus preſidet Imperator, ſi ſic opponeretur eccleſiaſticæ, quod verteretur in periculum animæ, poſtponenda eſſet. 194
Conſtitutiones eccleſiaſticæ præeminent ciuilibus. 193
Corpora quæ moueri poſſunt contrarijs motibus. 169
Creandi virtus ordine quodam diui-

diuinis perſonis conuenit. 37
Creare dicitur multipliciter. 4
Creare quid. 4
Creare quod ſit ex nihilo aliquid facere nō poteſt ex Scriptura colligi. 5
Creari proprie compoſitorū eſt, & ſubſiſtentium. 21
Creatio eſt abſque ſucceſſione. 8
Creatio eſt ceteris actionibus ad extra nobilior. 32
Creatio omnium conuenienter nomine cæli, & terræ exprimitur. 32. 33
Creatio patri, recreatio filio, glorificatio Spiritui Sancto appropriatur. 36
Creationis de ratione eſt, vt non praexiſtat ſibi aliquid, bifariam accipitur. 6
Creationis & recreationis diſſimilitudo. 72
Creationis in opere nihil reperitur proprium perſonæ patris, at in miſterio recreationis aliquid proprium ipſius filij reperitur. 37. & 38
Creatura habet triplex eſſe. 69
Creatura aliqua poteſt dici facta propter quatuor. 181
Creatura dignior quomodo facta propter inferiorem. 183
Creatura an per potentiam diuinam poſſit eſſe inſtrumentum creationis. 6. & infra.
Creatura corporalis eſt à Deo immediate producta. 14
Creatura corporalis facta eſt à Deo primaria intentione. 83
Creatura irrationalis inaſſumptibilis à Deo. 255
Creatura poteſt eſſe ſimilis Deo. 248
Creatura quæ vni nociua eſt, alteri proficua inuenitur. 402
Creatura rationalis dicitur Dei filius, natura, & gratia. 287
Creaturam non concurriſſe cum Deo ad mundum creandum, potius ex communi ſenſu eccleſiæ, quam ex aliquo expreſſo loco ſcripturæ habetur. 14
Credere Trinitatem explicitè fuit de neceſſitate ſalutis à principio. 259
Crux, praſepe, ſepulchrum, veſtis Chriſti cum adorentur latriæ cultu, cur nō beata virgo? 306

D.

DEI cognitio meridiana dicitur. 103
Dei non eſt aliquis tactus, quomodo. 135
Dei proprium eſt eſſe inmutabile verè & ſimpliciter. 284
Delectatio maior in coeundo an fuiſſet in ſtatu innocētia. 340

Dæmones an potuerint eſſe mali in primo inſtanti. 96
Dæmonum cognitio non matutina, ſed nocturna dicitur. 110
Dæmones in primo inſtanti non fuerint mali. 96
Dæmones licet ſimul peccauerint, tamen peccatum vnius potuit eſſe alijs cauſa peccandi. 97
Dæmones non cognoſcunt futura. 70
Dæmones non ſunt natura mali. 96
Dæmonū naturalis cognitio non eſt diminuta. 93
Deo quicquid damus, vt noſtrū damus, licet ab ipſo receperimus. 269. & 270
Deum eſſe ratione naturali inueſtigari poteſt, & non cœlum empyreum, cur. 129
Deum qui non cognoſcit, niſi per creaturas, ita ipſū cognoſcit, quod tamē quid eſt Deus magis latet ipſum, quam ſit cognitum ab eo. 310
Deus ab æterno creauit res, Res tamen nō ſunt ab æterno creatæ. 11
Deus ab æterno fuit ſolus, falſum eſt. 247
Deus ab æterno operatur res, Deus ab æterno res agit, verum. 12
Deus agit propter amorem finis & boni, alia agentia propter deſiderium boni & finis. 84
Deus aliter operatur, aliter angelus, aliter homo. 43
Deus an poſſit facere materiam ſine forma. 19. & 20
Deus Chriſtum diligit non ſolū plus quam genus humanum, ſed etiam magis quam totam vniuerſitatem creaturarum. 89
Deus cur dicitur quieuiſſe ſeptimo die. 420. & 421
Deus cur nō dicatur creator ab æterno. 30
Deus cur potius creauit mundū in tempore, quam ab æterno? 9
Deus diligit omnem creaturam. 381
Deus eſt agens per intellectum. 63
Deus eſt creator, quis ſenſus? 30
Deus eſt nomen operationis, & naturæ. 287
Deus ex libito ſuæ voluntatis potuit producere quæcūque ex quocunque elemento. 228
Deus facit res ab æterno an verum. 12
Deus fecit hominem ad imaginē ſuam, duplex ſenſus. 274
Deus formando ſolum maſculū

creauit maſculum & fœminam, quomodo. 323
Deus habet propriam cognitionem de omnibus rebus. 379
Deus immediatè plura produxit. 12
Deus non agit ex appetitu finis, ſed ex amore finis. 84
Deus non agit ex neceſsitate naturæ. 10
Deus non dicitur ſimilis creaturæ. 249
Deus non poteſt cuiquam creaturæ communicare, vt eius conſeruatione non indigeat. 308
Deus non potuit vniuerſum facere melius, quantum ad ordinem partium, 382. & 383 & 384
Deus omnia, quæ diligit, ex charitate diligit, dupliciter intelligitur. 382
Deus poteſt creare. 4
Deus poteſt immediate corpus mouere. 135
Deus poteſt præter curſum naturæ agere. 404
Deus poſſet dici ſolus, ideſt, ſolitarius, licet ſit cum angelis & animabus ſanctis, ſi in diuinis non eſſent plures perſonæ. 248
Deus procedēs per modum amoris propriè dicitur ſpiritus. 52
Deus produxit creaturas, non vt inde bonum reciperet, ſed vt eis bonitatem, quam habebat, influeret. 55
Deus produxit res mediantibus angelis non quidem operantibus, ſed cognoſcentibus. 71
Deus, quando agit preter curſum naturæ, an remoueat ordinem vniuerſi. 404
Deus quicquid poteſt facere mediante cauſa ſecunda, poteſt immediate. 20
Deus quomodo deſerat peccatorem. 93
Deus ſemper facit idem, & cum hoc, multitudo rerum ab ipſo immediate procedit. 15
Deus, ſi ex materia vnius elementi produceret aliqua mixta, illa fungeretur vice omnium elementorum. 228
Deus ſolus eſt verè liberalis. 55.
Deus ſolus fuit ab æterno, verum eſt. 248
Deus ſua prouidentia gubernat vniuerſa. 380
Deus ſupremum dominium habet, & quantum ad vſus, & quantum ad naturas rerum, homo quātum ad vſus, non quantum ad naturam, irrationale animal nullum. 268
Diabolus in primo inſtanti non pec-

peccauit, & an peccare potuerit. 388. & 389
Diabolus non eſt creatus malus. 388
Diabolus non eſt filius Dei, ſed fuit, ſimiliter damnati, mali viatores ſimpliciter ſunt filij diaboli, ſecundum quid, Dei. 287. & 288
Dicere aliquando ſumitur pro generare, aliquando pro creare. 72
Dicere Dei, & fari Dei differunt. 3
Dicere Dei, quid 65. & 66. & 67
Dicere & intelligere diſcriminantur in diuinis. 74
Dicere vno modo connotat effectum in actu: alio modo in habitu, non in actu. 66
Diei acceptio duplex. 100
Diei computatio in obſeruatione ieiunij quomodo fienda. 103
Diei in prima inſtitutione dictũ fuit vnus, & non primus, cur. 101
Diem computandi duplex modus. 103
Dierum computatio poteſt eſſe tripliciter. 104
Dies diſtingui conſueuere quatuor modis. 103
Dies ſex creationis, etiam ſecundum opinionem Auguſtini, poſſunt accipi ſecũdũ illuſtrationẽ lucis corporalis. 419
Dies ſex creationis, referẽdo eos ſecundum Aug. opinionem ad angelicam cognitionem, an accipiendi ſint ſecundum ordinem rerum cognitarũ, vel ſecundum cognitionum ſucceſſiones. 417
Dies ſex creationis, ſi ſecundũ Auguſtinum ſunt vnus dies, quomodo intulit Moiſes diem ſeptimum ſanctificandum? 420. & infra.
Dies ſex, in quibus dicitur factus mundus, quomodo accipiantur ſecundum Aug. 414 & infra.
Dilectio Dei potius dicitur dilectio effectus, quam affectus. 382
Diſpenſari an poßit in uoto continentiæ. 344
Diſtinctio duplex inuenitur in rebus, materialis & formalis. 380. & 381
Diſtinctio elementorum notatur. 56
Diuerſitas eſt in rebus ex propria Dei intentione. 379
Diuina eſſentia habet rationem ideæ reſpectu creaturarũ. 258
Diuina eſſentia an ſit imago rerum quantum ad quiditates earum. 259

Dominatus ſuper animalia quomodo pertineat ad imaginem 282

Dominij exterarum rerum cauſa quæ ſit. 268

Dominiorum differentia vnde ſumatur. 266

Dominium inter diuinas perſonas nominare nefas eſt. 267

Dominium quadruplex eſt. 266

Dominium quomodo cælis competat. 211

Dominus quis cenſendus. 267

Dotes animæ, & corporis quæ dicantur. 308

Durandi opinio, quod filius non procedit per actũ intellectus, neque ſpiritus ſanctus per actum voluntatis, periculoſa, & temeraria eſt. 313

E

ECCLESIA *rationabiliter habet ſub ſuo dominio caſtra, & vrbes cum poteſtate vtriuſque gladij.* 211

Eccleſiaſtici auctores etiam probatiſſimi, non eodem gradu, & loco ſunt omnes. 392

Effectus omnes an reducatur in aliquod cæleſte corpus. 171

Elemẽta actiua & paſſiua. 228 & 230

Elementa actiua, & paſſiua quomodo dominentur in corporibus animalium, 230

Elementa non remanent ſecundum ſubſtantiam in mixto. 216

Elementi vnius in materia non eſt potentia actiua ſibi naturaliter coaptata ad formam alterius elementi. 150

Elementorum diſpoſitio, & ordo non eſt à cælo, ſed immediatè a Deo. 148

Eſſe ad ipſum tanquam ad finẽ duplex. 129

Eſſentia diuina eſt tota, & propria ratio producendi quamlibet creaturam. 13

Eſſentia diuina vnitur intellectui beato in ratione ſpeciei intelligibilis, ſed non poteſt vniri in ratione vitæ, & animæ cur? 305

Eſſentia ſine exiſtentia nihil eſt. 315

Eua an ſit formata in opere ſextæ diei. 320

Euam talis complexionis fuiſſe conditam, vt inepta eſſet ad generationem maſculorum, repugnat. 351

Exiſtentia an ſit perfectior, quã eſſentia. 314

F

FATVM *quid.* 4.

Feſta cur accipit eccleſia poſt

tius ſecundum ſolem, quam ſecundum lunam excepto paſcate, & pentecoſte. 202. & 203
Filij quatuor ſunt propria. 255
Filius decenter incarnatus. 255
Filius Dei aſſumpſit intellectum eſt concluſio de fide. 305
Filius idem an poſsit eſſe diuerſorum. 351
Filius in creationis opere commemoratur, vt principium, in opere diſtinctionis, vt verbũ cur. 35
Filiatio per adoptionem differt à filiatione per creationem. 307
Finis mundi acceleraretur, ſi omnes vellent continere ab omni concubitu, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. 349
Finis naturalis, & appetitus naturalis quis. 271. & 272
Fines duo ſunt in corpore miſtico chriſtiano. 194
Firmamenti nomine cõprehẽdit ſcriptura omnes octo ſphæras, loquens in ſingulari, propter quid? 188
Firmamenti nomine quid intelligatur. 117. & 118
Firmamentum cur vocatur cælum. 130
Firmamentum dicitur dupliciter, & à quo dicatur. 171
Firmamentum, in quo poſita omnia luminaria, quid. 205
Firmamentum inter aquas dicitur diuidere quomodo. 129
Firmamentũ quomodo dicatur factum ſecundo die. 121
Fixum duplex. 156
Fori ſecularis omnes cauſæ an poſsint trahi ad eccleſiaſticum. 200
Formam educi de potentia materiæ, quid. 218
Formæ corporales in prima rerum cõditione fuerunt immediate a Deo. 61

G

GENERATIO fuiſſet in ſtatu innocentiæ, 330
Generationis via quãto aliquid perfectius tanto tempore poſterius eſt. 225
Genita exputrefactione non generant. 146
Gradus diuerſus vitæ ex modo loquendi ſcripturæ colligitur. 233
Grammaticus plus attendit modum, quam rem. 286
Gratia an habeat rationem ſeminis. 161
Gratia eſt Dei ſimilitudo in actu. 280

Gratia vnionis quid. 297. & 298
Greg. Nice. opinio de multiplicatione generis humani in paradiſo reprobatur. 317

H

HAERETICORVM *libri iure traduntur igni. 31*
Hirundo quomodo præſignet ver. 186
Homine de cur non eſt dictum, vidit, quod eſſet bonum. 393
Homini ineſt naturalis appetitus ad illam veram beatitudinem, quæ in Dei viſione cõſiſtit. 270. 271
Homini rerum exteriorum poſſeſſio naturalis eſt. 265
Homini ſoli competit ſublunarium dominium. 267
Homines elegantioris ingenij dominari rudibus, quomodo verum. 362
Homini omnia animalia naturaliter ſunt ſubiecta. 264. & 265
Homini omni viuenti in hac vita mortali licitũ eſt aliquid terrenum poſſidere, in proprio aut in communi. 367
Homini ſoli datum eſt eſſe ad imaginem. quis ſenſus. 290
Hominis in creatione non eſt facta mentio de genere, & ſpecie cur? 234
Hominis in productione cur modus loquendi mutatus? 281
Hominis triplex perfectio. 372
Homo cur poſtremo productus eſt? 280
Homo an ſtatim factus ſit ad Dei ſimilitudinem. 296
Homo dominium habet naturale non ſolum in omnes terræ fructus, verum etiam quodam pacto in elementa, caleſtes què orbes, qui velut tectum ſunt ſui domicilij. 266
Homo eſt imago Dei naturalis. 249
Homo eſt imago, & factus ad imaginem, quomodo. 308
Homo immortalis factus cum alijs animalibus alimoniam communem accepit, cur. 370
Homo in extrema neceſſitate aliena accipere poteſt abſque furti reatu. 367
Homo in ſtatu innocentiæ gratia gratum faciente indiguit, vt Deo placeret. 396
Homo magis eſt ad imaginem Dei quantum ad quædam, quam angelus. 253
Homo non eſt factus ſolum ad imaginem filij. 299
Homo non potuit, nec debuit per angelum reparari. 217

Homo per creationem non efficitur filius naturalis, neque adoptiuus, ſed tantum dicitur filius creatione, creatura irrationales nullo modo. 307
Homo per illa verba. Creſcite &c. Dominamini &c. triplicem principatum recepit. 355
Homo poteſt dici creatura pluſquam aliæ res, quare? 322
Homo poteſt ſuam conſequi beatitudinem. 272
Homo quantum ad animam an fuerit eo met inſtanti creatus quo angeli. 423
Homo quilibet ius habet naturale donandi, & quomodocunque alienandi res, quarum verè ac legitimè eſt dominus 260
Homo quomodo dicatur imago Dei. 276
Homo quomodo dicatur minor mundus. 119
Homo quomodo dominus elementorum. 363
Homo quomodo par, & ſuperior dæmone. 278
Homo quomodo peccauit appetendo diuinam ſimilitudinem. 304
Homo quomodo ſit æque imago Trinitatis totius, & magis filij. 257
Homo ſecundum modum, quo dominatur ijs quæ in ipſo ſunt habet dominari alijs. 354
Honor omnibus exhibendus eſt, & cur vni maior quam alteri. 298
Humana natura à filio Dei aſſumpta totum vniuerſum aſſumptum eſt. 90

I

IDEA quid ſit. 12
Ideam in Deo habent Materia, ſi abſque forma creari poteſt, Accidentia, Genera, Indiuidua, non autem malum. 63. 64
Ideæ omnium ſunt in Deo. 63
Ideæ in Deo nō ſunt magnæ, aut paruæ, neque inter ſe ordinatæ, neque vna nobilior altera. 64
Ignis regio cur habitatoribus, & ornatibus careat? 226
Ignobiliora quandoque cum maiori difficultate educuntur in eſſe. 177
Imaginis de ratione quæ ſint. 273. & 274
Imaginis & veſtigij diſcrimen. 275. & 281
Imago Chriſti ſculpta, vel picta in materia ſenſibili cum adoretur

tetur latria, cur non adoratur rationalis creatura, quæ eſt imago Dei? 305

Imago Dei magis viget in viro, quam in muliere. 252

Imago Dei in homine poteſt conſiderari quantum ad principale, & quantum ad ſecundarium. 252. & 253

Imago Dei quomodo conſideretur in homine abſtractis perſonis a diuina eſſentia. 289

Imago dupliciter dicitur. 299

Imago & ſimilitudo poſſunt ſupponere quid creatū, & quid increatum. 301

Imago in diuinis dupliciter accipitur, eſſentialiter, & notionaliter. 277

Imago naturalis, & connaturalis. 250

Imago, poteſt tolli per peccatum, & poteſt non tolli. 309

Imago prout dicitur de filio tantum ad patrem refertur, prout dicitur de homine, ad totam trinitatem. 277

Imago, quæ eſt in anima, dicitur expreſſa ſimilitudo Trinitatis, quomodo. 312

Imago ſpecies indifferens, quomodo. 290. & 291

Imago Trinitatis in anima primo attenditur ſecundū actus, ſecundario ſecundum potentias. 312

Imago Trinitatis in anima quomodo conſiſtat in tribus realiter diſtinctis. 311

Imago Trinitatis in homine. 250

Imago Trinitatis quod ſit in homine non ſecundum vnū indiuiduum, ſed ſecundum plura reprobatur. 321

Imago tripliciter dicitur. 288

Incarnatio verbi quomodo conferat ad pulchritudinem vniuerſi. 395

Incarnationis finis præcipuus quis, 254. & 255

Innocentiæ in ſtatu fieret æqualis multiplicatio virorum & mulierum. 331. & 340

Innocentiæ in ſtatu fuiſſet generatio per coitum. 317

Innocentiæ in ſtatu, quando voluiſſent, genuiſſent mares, vel fœminas. 318

Innocentiæ in ſtatu ſoli nunc electi nati fuiſſent an verum. 351

Innocentiæ in ſtatu tot fuiſſent generatæ fœminæ, quot mares. 318

Inſtantia diuerſa in iis, quæ ad angelos pertinent, quomodo

do accipiantur. 412
Inſtantia quot fuerunt a puncto creationis angelorum vſque ad glorificationem, vel damnationem eorum. 407. & 408
Inſtrumentum an ſit actiuum. 6. & 7
Inſtrumentum habet aliquam operationem propriam præuiam operationi participatæ a principali agente, cui deſeruit an verum ſit. 6. & 7
Intellectus agens eſt aliquid ipſius animæ, à Deo immediatè, & non ab aliqua ſubſtantia, ſeu angelo, creatus. 262 & 263
Inter imaginem & illud, cuius eſt imago, nihil eſt medium. 293
Inuidia ſtatim conſequitur ſuperbiam, ſicut propria paſſio. 409
Inuidiæ actus an fuerit in eodē inſtanti cum actu ſuperbiæ in lucifero. 409
Iudei quidam dixerunt, quod ante Euam fuit creata alia mulier. 323
Iure naturali omnia communia quis ſenſus. 373. & 374
Ius naturale eſt, vt quiſque ſua voluntate poſſit de ſuis bonis diſponere, ſed tamen quando voluntas poſſit rationē duce non errare. 269
Iuſtificare impium maius eſt, quam creare cælum, & terram. 62

L

LEPROSIS licet conſulatur, quod à coitu abſtineant ne filios leproſos generent, Deus tamen non inſtituit, vt homines a carnali opere ceſſarēt, licet per coitum geniti culpam originalem contrahant, cur? 327
Lex ciuilis contraria eccleſiaſticæ, omnino poſt ponenda, & conſtitutio eccleſiaſtica ſuſcipienda. 193
Libertas a coactione magis in angelo, quam in homine. 292
Libertas triplex. 291
Lib. arb. commune eſt creatori & creaturæ, ſed non vniuocè. 293
Liberum arbitrium an propriè, & abſq; metaphora in Deo ſit. 293. & 294
Lingua diuerſa habēt diuerſum modum loquendi. 32
Luce de illa, quid factum ſit. 67. & 80
Lucem miratus eſt Deus, quia bona eſt, potuiſſet dici. 80

Lucifer an appetierit ſibi vnionem verbi. 410
Lucifer an cognouerit Chriſtum eſſe filium Dei. 411
Luciferi peccatũ quomodo fuit alijs occaſio peccandi. 97
Luciferi peccatũ inuidiæ & ſuperbiæ an ſimul fuerit. 407
Lucis augmentum, quod habituri ſunt cæli in die iudicij non erit reſtitutio. 192
Lucis & tenebrarum diſtinctio qualiter accipienda; ſecundum quod per tenebras peccata dæmonũ intelliguntur. 93
Lucis in creatione non eſt dictũ niſi fiat & factum eſt, cũ tamen in omnium rerum corporalium productione dicatur, fiat, fecit, & factum eſt. 71
Lucis inter factionem, & cæli & terræ creationem quæ morula interceſſerit. 108
Lucis nomen ad quid ſignificandum fuerit impoſitum? 96
Luminare quid ſit. 175
Luminaria an moueantur proprijs motibus. 176
Luminaria cæli duobus modis poſſunt intelligi facta. 166
Luminaria cur dicuntur ſigna. 185
Luminaria eſſe in ſigno dupliciter habet exponi. 184. & 185
Luminaria non imponant neceſſitatem ijs, quæ actioni eorum ſubduntur. 170
Luminaria omnia quomodo poſita ſint in vno corpore continuo. 168
Luminaria poſita ſunt in firmamento, ſicut gemmæ pretioſæ in annulo. 165
Luminaria prius producta ſunt in actu, quam plantæ. 183. & 184
Luminaria quod ſint in dies & annos, non eſt eorum finis principalis. 188
Luminaria quare non ſunt cauſæ producentes de neceſſitate effectum. 170. & 171
Luminaribus an collatæ virtutes peculiares quarta die. 175. & 176
Luna an fuerit facta plena. 208
Luna, & ſtella habent a ſe aliquid, vnde luceant. 207
Luna luminare magnum quomodo. 205
Luna propter quid facta? 210
Lux à tenebris diſtincta quantum ad tria. 96
Lux an facta ſit in oriente, vel in meridie. 107
Lux cæleſtium corporum, & ſi minorata non ſit per eſſentiã homine peccante, realiter tamen in eius glorificatione augenda eſt. 208

Lux

Lux cur non dicitur feciſſe mane. 107
Lux eſt ad decorem & ornamentum cæli, quomodo intelligitur. 76
Lux & motus deſcribuntur à Moiſe. 77
Lux illa fuit lux ſolis. 68
Lux illa quomodo faceret diem ac noctem. 91
Lux illa ſi faciebat diem radiorum emiſsione, quomodo faceret veſpere & mane. 154
Lux minor abſorbetur à maiori quomodo verum. 204
Lux ponitur primo creata ob quatuor rationes. 68
Lux primo die à Deo creata corporalis erat. 48
Lux primo die creata dicitur à ſanctis nubecula ſecundum ſimilitudinem. 67
Lux primo die creata fuit, quis ſenſus. 76
Lux producta primo die eſt lux angelica, vel lux ſolis ſecundum Aug. 82
Lux proprie in ſpiritualibus dicitur. 96

M.

Magnes trahit ferrum quieſcens, quis ſenſus. 78
Mala actio, ſecundũ quod actio eſt à Deo, non ſecundũ quod mala. 397
Mala non ſunt perfectionũ cauſæ, ſed occaſiones. 387
Malæ actiones quomodo reducãtur in Deum. 397. & 398
Malum dicitur dupliciter. 387
Malum non facit ad complementum, ſeu perfectionem vniuerſi. 385
Malum non habet rationem entis. 387
Malum quomodo ordinabile. 398. & 399
Mala dicuntur res ſubiectiuè, & cauſſaliter quomodo. 405
Mali quod plures ſint, quam boni, vnde? 285
Mare an altius terra. 138. & 139
Maris in profundo aqua eſt dulcis. 142
Materia an fuerit creata ſimpliciter nuda ab omni forma ſubſtantiali, & accidentali. 20. & 21
Materia an vna ſit cæleſtiũ & terreſtrium quãtum ad eſſe. 21. 22
Materia cæli & inferiorum an ſit eadem, quatuor opiniones. 22. & 23
Materiam cæli & inferiorũ eſſe eiuſdem vel diuerſarum rationum, quid. 24

Ma-

Materia cur abiſſus appellata. 50
Materia dicta eſt aqua. 34
Materia dupliciter accipi poteſt. 25
Materia ex nihilo producta. 5
Materia in quibuſdam conuenit cum loco. 47
Materia non fuit creata ſub formarum diuerſitate. 44
Materia prima an ſit creata, vel concreata. 20
Materia prima producta fuit ante omnem diem. 24
Materia quomodo dicatur intranſmutabilis. 25
Materia ſecundum ſuam informitatem primò eſt terra, ſecundo inuiſibilis, tertio incõpoſita, quarto, tenebroſa, quinto abiſſus. 50
Materia triplici de cauſa vocatur terra. 45. & 46
Matricis quis locus aptior ſit ad generationẽ maſculi? 318
Matrimonij actus poteſt eſſe apud Deum meritorius gratiæ. 337
Matrimonia in linea recta in infinitum prohibentur; an verum. 350
Matrimonialis copula fuit ſub præcepto poſt peccatum. 338
Matrimonij actus poteſt exerceri ſine omni peccato. 337
Matrimonium cadit ſub præcepto, & illud præceptũ adhuc durat, & hoc non obſtante licitum eſt virginitatem, vel continentiam vouere, & ſeruare. 336
Matrimonium eſt in officium, & in remediũ, & quando cœperit eſſe in remedium. 339
Matrimonium fuit inſtitutum, & præceptum illo verbo, Creſcite &c. 332. 333. & 334
Matrimonium nunquam fit ſine benedictione. 338
Matrimonij præceptum eſt de iure diuino naturali. 329
Matrimonium quomodo ſacramentum in ſtatu innocentiæ, & ſub lege Moiſi, & etiam nunc apud infideles. 348 & 349
Matutina & veſpertina cognitio an differant, & quomodo. 109
Medium virtutis quomodo accipiatur. 345
Melius quod malo impermixtius. an verum. 387
Mineralium cur non facta mentio in Geneſi. 159
Miracula quomodo pertineant ad pulchritudinem vniuerſi. 365
Moiſes corpora quedã ſub aquæ nomine cõprahẽdit, cur. 129

Moi-

Moiſes diuerſa opera diuerſis diebus accommodauit, licet omnia ſint in vno momento creata, cur. 421
Moiſes incepit a quibuſdam ſenſibilibus, & a creatione cæli & terræ, Magiſt. vero, volẽs tradere theologiam, prius tractauit de Deo, poſtea de creaturis. cur. 40
Mortua aliqua perſona mulier an reſurgat vir. 350. & 351
Motu cæli ceſſante, non ceſſabunt luminaria quoad ſubſtantiam, propter quid? 188
Motus an requiratur neceſſario ad actionem cæli, vel ad nouitatem actionis. 78. & 79
Motus cæli ceſſabit. 172
Motus cæli duplex. 95
Motus cæli licet ſciamus principium, non tamen finem ſcire poſſumus. cur. 38
Motus fuit à principio. 127
Motus non fuit neceſſarius corporibus cæleſtibus propter influentiam, ſed propter influentiarum contẽperãtiam. 79
Motus luminariũ duplex. 185
Motus, qui incepit cum mundo, fuit à Deo inchoatus. 53
Motus, quibus elementa ſequuntur impreſſiones corporum cæleſtium, non ſunt violenti. 141
Multiplicitatis, & multitudinis diſcrimen. 289
Mulus & mula ſteriles, cur. 147
Mundi perfectio duplex. 159
Mundus an in vere, vel autumno fuerit creatus. 148
Mundum incepiſſe ſola fide tenetur. quomodo verum. 10
Mundus in die iudicij purgandus. 272
Mũdum produci ab æterno vtrũ implicet contradictionem. 9.
Mutatio duplex, ad eſſe, & in eſſe, & hæc quoque duplex. 283

N

NATVRA & creatura rationalis intendunt in ſua actione aſſimilationem, ſed diuerſimodè. 279
Natura humana diuina aliquo modo vnibilis in perſona. 253
Natura humana magis aſſumptibilis a Deo, quam quæcunque alia. 254
Natura per ſe ſine adiutorio poteſt dirigere ſuum actum ad finem, ad quem eſt, non autẽ creatura rationalis cur? 280
Natura ſic proceſſiſſet in generando, ſicut eam Deus inſtituit,

tuit, quomodo verum. 340
Negatio nō recipit magis & minus, quomodo verum. 292
Nomina, quæ dicuntur de Deo & creaturis, an dicantur vniuocè. 302
Non poteſt demonſtratiue probari mundum incepiſſe. 8. 9. 10. ſatis reſolute.
Notionalis quædam cōformitas reperitur inter patrem & filium, quæ non reperitur inter patrem & ſpiritum ſanctum. 294
Nouitas mundi non poteſt demōſtratiue probari, quomodo verum. 10
Nox vnde dicatur. 91

O

Olimpi aer non eſt aptus reſpirationi. 222
Olimpi in cacumine non pluit, neque perflat ventus. 222
Opinio dicens, quod ſol factus fuit a principio, reprobatur. 82. & 83
Oratio non habet locum in diuinis. 314
Orbium diſtinctio quomodo accipienda. 168
Ordinabile aliquid dicitur tripliciter. 398
Ordo duplex, manifeſtus, & occultus. 360
Ordo quis attendatur in operibus creationis. 133
Originalis peccati transfuſio facta eſt, quia prohibitio eſus ligni facta fuit Adæ, in quantum erat habens naturam totam in ſe. 296

P

Papa ampliſſimam poteſtatem temporalem habet ſupra omnes principes & reges, & imperatorem in ordine ad ſpiritualia. 199
Papam non poſſe punire omnia peccata mortalia ſentētia excommunicationis, falſum. 201
Papa quando poſſit interdicere bellum principibus inter ſe belligerantibus per auctoritatem propriam, & dare ius vni eorum, & auferre alteri. 199
Papa quomodo poſſit cunctos reges temporalibus bonis priuare, & vſque ad eorum depoſitionem procedere. 196. & 197. & 198
Papa recepit tantam poteſtatem quanta debebat homini puro dari. 201
Papa de poteſtate non iudicare ſed

ſed Deo gratias agere debemus. 201
Parentes primi quare non fuerunt carnaliter copulati in paradiſo. 329
Partes quomodo ſint aliud a toto. 402
Paruuli in ſtatu innocentiæ an fuiſſent nati perfecti in ſcientijs. 295. & 296
Pater eſt in filio, & creauit in filio, recipitur, nõ autem pater eſt per filium, licet recipiatur pater operatur per filium cur. 27
Pater & filius in diuinis ſunt diſtinctæ perſonæ. 248
Pater ſolus eſt dicens in diuinis. 74
Paulus perſtringens totam Melchiſedech hiſtoriam cur panis & vini oblationem prætermiſit. 18
Peccatum ad hoc, quod ſit mortale quid exigitur. 369
Peccatum veniale an macula, & quomodo. 297
Perſona Chriſti poſt incarnationem non eſt melior. 85
Perſonas diuinas dicere poſſumus Deos, ſed non tres Deos. 34
Perſonas diuinas habere cauſalitatem ratione propriorum, falſum, ratione verò appropriatorum, verum eſt. 76
Perſonæ diuinæ ſecundum rationem ſuæ proceſſionis habent cauſalitatem reſpectu creationis. 75
Perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus, & tres habẽtes deitatem. 34
Perſonæ diuinæ, tres Dij, quomodo. 34
Petro commiſſa ſunt iura cæleſtis & terreni imperij, quomodo. 198
Philoſophi, ponentes etiam mundum æternum, & Deum agere de neceſsitate naturæ, magis rationabilia fuiſſent meditati, ſi dixiſſent omnia fuiſſe a Deo immediate diſpoſita, & ordinata ſecundum formam in geneſi traditam. 149
Plantæ & herbæ productæ fuerũt tertia die, quomodo. 145
Plantas in vſus animalium, & animalia in vſus hominum mortificare licet. 368
Piſcium alimentum quod ſit. 371
Poſſeſsionis communitas eſt occaſio diſcordiæ in ſtatu iſto. 360
Poſsibile fuit, patrem, & Spiritũ Sanctum incarnari. 256
Poteſt Imago Trinitatis in mente humana cõſiderari, quomodo. 250. & 251

Potentia generandi & ſpirandi, quid. 37
Potentia vna & eadem poteſt dici plures vires. 312
Potentiarum pluralitas eſt in anima. 260
Potentiæ animæ quomodo diſtinguantur ab anima. 260. 261. & 262
Poteſtas Eccleſiaſtica & ciuilis ſunt duæ diſtinctæ. 194
Poteſtas eccleſiaſtica ꝑpter quid extenſa eſt ad transferendum imperium à grecis in latinos. 198
Poteſtas eccleſiaſtica extēditur ad cognoſcēdum de omni peccato mortali cuiuſlibet chriſtiani, etiam laici, & ad compellendum eum per cenſuram eccleſiaſticam, quo ab eo diſcedat. 199
Poteſtas quæcunque ciuilis eccleſiaſticæ ſubiecta eſt in ordine ad ſpiritualia. 196
Poteſtas ſecularis non eſt ità immediatè à Deo, ſicut ſpiritualis. 210
Poteſtas ſpiritualis præſtantior eſt ciuili. 195
Poteſtatis eccleſiaſticæ excellentia reſpectu ciuilis non eſt huius rationis, vt Papa ſit dominus totius orbis in temporalibus. 195
Præcepta naturæ irreuocabilia ſunt, quandiu ratio eadem iuris permanet. 334
Præceptum datum reſpicit totā multitudinem hominum, non ſingulos multitudinis. 345
Præceptum illud, Creſcite &c. ſemper ab orbe cōdito durat; durabitq́; vſque in finem ſub eodem tenore, & vigore. 334 & 335
Præceptum triplex datum fuit homini ante peccatum. 328
Præceptorum vis ex fine perpendenda. 335
Prælatus malus, inquātum prælatus, magis debet honorari, quam bonus ſubditus. 299
Principatus tria genera, omnia fuiſſent in ſtatu innocentiæ. 361
Principium mūdi eſt in ſcriptura reuelatum, non finis, cur. 39
Priuatio eſt hidropiſis materiæ. 23
Productio prima rerum non dicitur mutatio, ſed creatio. 52
Proles quomodo bonum matrimonij. 344
Pronomina poſſeſſiua impropriè in diuinis dicuntur. 286
Pronoſticari per aſtra quomodo peccatum ſit, & quomodo non. 186

Prouidentia duplex, ſecundum acceptionem, & ſecundum conceſsionem. 285
Prouidentiæ aliter ſubſunt quæ ſunt lib. arb. aliter naturalia. 285
Pupilli prohibentur de ſuis bonis diſponere, ſic, vt eorum alienatio irrita ſit, & nulla. 269

Q

QVANTO *aliquid ſimplicius in eſſentia, tanto multiplicius in virtute.* 289
Quatuor elementa non oportet neceſſario concurrere ad compoſitionem mixti. 216
Quatuor ſunt filio appropriata. 36
Quelibet diuinarum perſonarum eſt verbo dicta. 74
Quæ ſunt diuerſarũ rationum quomodo poſsint vnum conſtituere. 113
Quiditas Dei & eſſentia ab homine eſt cognoſcibilis non ſolum in futuro, ſed & in præſenti. 310
Quod homo ordinatur ad ſpeculandum Deum, tanquam ad eius operationem optimam, & perfectiſsimam. 310
Quod in nullius bonis eſt occupanti conceditur, quis intellectus? 278
Quod poteſt in maius poteſt in minus, an verum. 177

R

RATIO *ſeminalis dupliciter accipitur.* 150
Rationes primordiales, obedientiales, ſeminales, rationales, cauſſales, naturales. 154. & 155
Rationes ſeminales à Deo rebus inditæ ſunt. 329
Rationes ſeminales quid ſint. 151. 152. & 153
Rationes ſeminales, per quas producũtur animalia & plãtæ, ſimiles & diſsimiles. 146 & 147
Relatio æquiparantiæ non poteſt eſſe inter Deum, & creaturam. 249
Relatio æquiparantiæ quid requirat. 249
Religioſi an nubere tenerentur, ſi omnes eſſent mortui exceptis ipſis. 336. 337. & 349
Religioſis ordinibus congruè oppida cum iuriſdictione oblata ſunt. 212
Rerum eſſe triplex per quid importetur. 129
Res & ſi à Deo inmediate productæ, poſſunt tamen dici pro-

producta à ſeipſis. 61
Res habent verius eſſe in Deo quam inſeipſis. 62
Res poteſt cognoſci in ſua imagine, quomodo verum. 310
Reus, quomodo poſſit excipere, quando trahitur ad forum eccleſiaſticum. 200. & 201

S

SACRAMENTA plura requiri, & vnum non ſufficere conuenientius fuit. 394
Sacramentorum formæ (excepta Baptiſmi, & Euchareſtie) non habentur in ſcriptura, cur. 17
Saluandorum an æqualis numerus virorum, & mulierum. 350
Sancti quomodo inſtrumentaliter miracula faciunt. 7
Sapientia Dei ſicut eſt cauſa diſtinctionis rerum, ita & inæqualitatis. 380
Satisfacere quomodo poſſumus Deo. 270
Scriptura magis exprimit de luminaribus, quod ſunt ſigna, quam, quod ſunt cauſæ. 187
Scriptura non approbat confuſionem corporalis creaturæ, quam antiqui vocauerunt Chaos. 55
Scriptura ſacra licet poſſit adaptari multis expoſitionibus, ſemper tamen vna illarũ eſt magis litteralis. 118
Scripturæ aliqua ſilent nouem ex cauſis. 16. & infra.
Seruitus non adimit ius ſeruis matrimonia contrahendi. 362
Seruitus non qualibet, ſed ignorata à perſona libera impedit matrimonium. 361
Sex dierum numerus quomodo accipiatur ſecundum Auguſtinum. 109. & 111
Signum dicitur dupliciter. 170
Signum duplex naturale, & datum. 179
Similitudo dupliciter conſideratur. 276
Sol, Luna, Stellæ facta fuerunt à principio, & tamen non lucebant. 167. & 174
Sol non producit animam vegetabilem. 177
Solis obſcuritas, quæ accidit in Chriſti paſſione, per quid facta? 91
Solis obſcuratio, quæ in paſſione domini accidit propter quid facta? 183
Solius Dei eſt creare. 5
Spinæ an fuerint facta tertia die. 157. & 158
Spinis & de tribulis quid fuiſſet

ſet ante peccatum. 158
Spiritus domini ſuper aquas fer ri, & nõ in aquis eſſe, dictus eſt, cur. 54. & 55
Spiritus ſanctus verbum filij, quomodo. 73
Stellæ agunt in hæc inferiora. 169
Subſtantia ſpiritualis dupliciter inuenitur corpori vniri. 225
Succeſſio in rerum factionibus ex quo proueniat. 8
Superbia diaboli optimè explica tur. 408. & 409

T

TENEBRÆ *dupliciter.* 49
Tenebrarum nomine quid intelligatur. 49
Tenebræ duplices. 49
Tenebræ fiant non eſt dictum, cur? 94
Tenebræ vnde dicantur. 91
Tempus diſcretum angelorum non eſt vnum. 412
Tempus dupliciter poteſt accipi. 187
Tempus fuit concreatum materiæ primæ. 95.
Tempus, quod incepit cum mundo, eſt illud idem, quod nunc eſt, & durabit vſque in finẽ mundi. 187
Terra an maneat diſcooperta aſq; nouo miraculo, vel etiã aliqua aſtra ad hoc cooperentur. 139
Terra dupliciter accipitur in ſacris litteris. 25
Terra inuiſibilis & incompoſita quomodo. 47
Terra ſicca præcipuè dicitur terra, cur. 140
Terra inanis & vacua, quomodo. 45. & 46. & 47
Terræ denudatio an miraculo facta ſit. 139. & 140.
Terra elemẽtum prius vocatur arida, poſtea terra, cur. 136
Terræ nomine quid ſignificetur. 45
Theologi non eſt, rationibus relictis, ad potentiam Dei tanquam ad certum, & tutum Aſillum, vbique ſe ſic in Theologia recipere. 128
Theologia dupliciter tradi poteſt. 39
Theologia maximè ſapientia dici debet. 42
Theologia miſtica non eſt argumentatiua. 210
Theologiæ auditores, qui. 40
Theologiæ, & Philoſophiæ diuerſus modus procedendi, cur. 40. 41. & 42
Theologiæ imperfectioni non imputandum, ſi multas rerum proprietates pretermittat. 42

Theologus aliter conſiderat de creaturis, & aliter philoſophus. 41

Theologus debet diſſentire à philoſopho in hac concluſione. Cælum eſt neceſſarium & incorruptibile. 124

Traditiones ſunt ſcriptura antiquiores. 17

Trinitas in diuinis eſt quaſi quoddam totum numerale. 311

Trinitatis miſterium impoſsibile eſſe ratione naturali oſtendere de fide eſt. 311

Trinitas tota operata incarnationem, filius tamen ſolus incarnatus. 38

V

VBi eſt res per ſui præſentiam, non requiritur eius imago, quomodo verum.* 304

Vegetabilia, & animalia, quæ exeunt in eſſe per putrefactionem quomodo nobiliora corpore humano. 177

Venatio iure gentium communis eſt. 358

Venatio pars eſt rei bellicæ. 358

Venatio triplici de cauſa iurè vetatur. 358

Venationis gratia ingredientes loca vetita crudele eſt pœna corporali plecti. 359

Verbum conuenientiſſime incarnatum. 36. & 37

Verbum Dei vnum eſt, quo dicũtur omnia, nec multiplicatur, licet multiplicentur, facta per ipſum. 72

Verbum Dei ex vi productionis ſuæ non procedit ex ſcientia creaturarum, ſed diuinæ eſſentiæ. 60

Verbum diuinum non potuit eſſe in Chriſto loco animæ, & intellectus. 305

Verbũ, & imago propriè dicuntur in diuinis. 314

Verbum figuratiue ſumitur eſſentialiter in diuinis. 73

Verbum idem eſt, quo Deus dicit ſeipſum, & creaturas. 59. & 60

Verbum principaliter, & quaſi per ſe refertur ad patrem, ſed ex conſequenti, & quaſi per accidens ad creaturam. 61

Verbum principaliter exprimit diuinam eſſentiam, ſecundario creaturas. 60

Verbũ proprie perſonaliter tantum ſumitur in diuinis. 73

Verius eſt aliquid vbi eſt per ſuam eſſentiam, quam vbi eſt per ſuam ſimilitudinem, quomodo verum. 85. & 86

Veſpere & mane quomodo accipia-

piatur in cognitione angelorum. 102
Vir dignior eſt muliere ſimpliciter. 320
Virginitas, licet melior ſit, quã continentia coniugalis, poteſt tamen coniugatus melior eſſe quam virgo. 343
Virginitatem ſeruare quando ſuiſſet peccatum. 346
Virginitatem ſeruans quando non peccaſſet in lege Moiſi, & in ſtatu innocentiæ. 346
Virtus lunæ, & ſtellarum non abſorbetur per virtutem ſolis. 204
Virtutes morales habent completam rationem virtutis à fide. 210
Vniuerſi perfectio, ſeu decor duplex, ſubſtantialis, & accidentalis. 385
Vniuerſi natura non eſt vnibilis Deo. 399
Vniuerſi pulchritudo ſecundum triplicem ſtatum accipi poteſt. 395
Vniuerſitas creaturarum quomodo optima. 403
Vniuerſum an eſſet perfectius poſt peccatum, vel ante. 385. & 386
Vniuerſum an imperfectius eſſet, ſi non permitterentur mala. 386
Vniuerſum an poſſit eſſe melius, & quomodo. 399. & 400
Vniuerſum melius poſſe fieri quadrupliciter cõtingit. 400
Vniuerſum perfectius participat diuinam bonitatem, & repræſentat eam, quam alia quæcunque creatura, quomodo verum. 89
Vniuerſum plus diſtat, & deficit à Deo, quam punctum à linea. 85
Vniuerſum quomodo ad imaginem Dei, vel non. 402. & 403
Vniuerſum quomodo poſſit meliorari, humana natura Ieſu Chriſti non meliorata. 402
Vniuerſum tale non potuit ab æterno produci. 10
Voluntas diuina ad ſingularia bona ſe extendit. 379
Votum caſtitatis ſemper includit conditionẽ illã niſi ius naturæ conſeruandi humanum genus obſtet. 337

FINIS.

CORRECTA

PRior numerus cartam, poſterior lineam indicat.

4	10	Peus	Deus
11	32	dolore	dolare
32	2	fuit	fuerunt
43	1	explitantur	explicantur
46	28	tam	eam
56	7	ſpritus	ſpiritus
86	26	indiffetiam	indifferentiam

Minutiora verò ſtudioſus, modeſtus què lector ipſe caſtiget.

SERIES CARTARVM,

† †† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ

AA BB CC DD EE FF

Omnes ſunt quaterniones, præter FF, qui ſunt duerniones.

1-5-2

